


LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921



INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.



D. PAULI DELSIGNORE

CAN. REG. LAT.

INSTITUTIONES
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

QUAS

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS

ILLUSTRAVIT

D. VINCENTIUS TIZZANI

EJUSD. CONGR.

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO
HISTORIAE ECCL. ET ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM
DOCTOR DECURIALIS
E COLLEGIO THEOLOGORUM URBIS

PERIODUS TERTIA

A CAROLO MAGNO AD CONCILIUM LATERANENSE IV.

PARS I. EXTERIOR



ROMÆ
TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI
ET FRANCISCI FILII
1840

INSTITUTIONUM
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
N. T.

PERIODUS TERTIA

A CAROLO MAGNO AD CONCILIUM LATERANENSE IV.

PARS I. EXTERIOR

CAPUT PRIMUM

DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS PROPAGATIONE.

§. I.
De Occidentali Imperio.

Caroli Magni obitus, qui in annum incidit 814 latissimum ab Ibero ad Arabonem imperium Ludovico Pio regio nato gestandum reliquit (1). Injecta inter hujus filios discordia avitam dominationem imminuit, ternaque conflavit regna, Italicum, Franco-Gallicum, et Germanicum, quae, Otho Magnus a Joanne XII Pontifice Imperator salutatus, Italiae Romanaeque ditioni conjunxit. Ab hisce tempori-

(1) Cf. T. II. Historiae Francorum Scriptorum opera et studio Andreae Du Chesne - Lutetiae Parisiorum 1636. Praeter ea quae adnotavimus T. II. nostrae Historiae pag. 35. nota 58., videatur Fleuryus *Histoire Ecclesiastique* T. X. *Bruxelles* 1714. lib. 46. §. 8. et seq. pag. 133. et seqq.

bus post deletam Carolingicam stirpem varia imperii facies, quod Saxonici et Franconici duces obtinuerunt, intestinae seditiones, crebri flagrantesque motus, disceptationes inter sacerdotalem profanumque principatum cum ingenti Christiani populi luctu identidem excitatae (2). Regna septem illa quae olim Anglo-Saxonibus fuerunt, Egbertus West-Sexiae Rex in unum corpus redegit anno 827 (3), Normanni Canuto M. parentes occuparunt anno 1017; hisce dejectis, successerunt Eduardus Egberto prognatus, hocque improli extincto, Wilhelmus Normannorum Dux, cui belli fortuna anno 1066. arriserat; et anno 1154. Henricus secundus Comes Andegavensis qui captam armis Hiberniam Anglicis provinciis adjecit (4). Cum vetus autem

(2) Cff. sed admodum caute Dupinius in diss. VII. de antiqua Ecclesiae disciplina pag. 524. edit. Paris. 1686., et Natalis ab Alexandro diss. 2. saec. IX. pag. 353. T. VI. ed. Lucae 1751. qui de exauthoratione Ludovici Pii pro sententia quam tuentur, pertractant. Hujus exauctorationis acta videsis apud Du Chesne cit. T. II. p. 331.

(3) Vid. De Larrey in opere inscripto - Histoire d'Angleterre d'Ecosse et d'Irlande - T. I. p. 147. et seq. *a Rotterdam.* 1707. et pag. 25. diss. ad calcem ejusdem Tom. I. cui titulus - *Dissertation sur les Parlemens* - Cff. Scriptores rerum Anglicarum editi ab Henrico Savile.

(4) Leonardus Offerhaus in compendio Historiae Universalis, lib. 8. c. 17. pag. 95. par. II. Lipsiae 1778. Videatur Simeonis Dunelmensis historia continuata per Joannem Priorem Haugustaldensem col. 279. et seqq. apud Rogerium Twysdenum. Londini 1652. ubi inter caetera narratur legatio Johannis Presbyteri Cardinalis qui tunc temporis (an. 1152.) appulit apud *Tynamutha* in Northymbria cum palliis *Hybernensibus* missis.

contentio inter Francos et Normannos vigerent, quas sedes anno 912., Rollone (5) duce, hi sibi paraverant, medio postea saeculo undecimo augebant in Italia praesertim, conditores nempe Aversae, tum Apuliae, Calabriae, Sicanae insulae, Capuanique principatus victores. Hosce inter celebris evasit Rogerius (6) secundus Siciliae Comes, et Rex ab Anacleto II. pseudo-Pontifice anno 1130 nuncupatus (7)

(5) Vid. Iperii Chronicon S. Bertini T. III. Thes. Nov. Anecdotor. Edmundi Martene cap. XXII. par. I. pag. 542. Lutetiae Parisiorum 1717.

(6) Cff. chronicon Romualdi ad an. 1127; chron. Casin. lib. 4. c. 96. pag. 554. T. IV. Ann. Ital. Muratori Mediol. 1723. Alexander Celesinus de gestis Rogerii Siciliae Regis P. I. ext. in Thes. Siciliae T. V. pag. 89.

(7) Cff. Baronius ad an. 1130. ubi refertur Bulla ad rem pag. 453. T. XVIII. cum critice Pagii. Lucae 1746. S. Bernardus hanc regiam inaugurationem contempsit, et Rogerium non Siciliae Regem sed tyrannum potius appellat in variis epistolis praesertim in ea ad Pisanos, ubi inter cetera quae ad Pisanorum honorem habentur quia Innocentio adhaerebant legitimo Pontifici, haec notatu dignissima arbitramur - *Benefaciat vobis Deus, et meminerit fidelis servitii, et piae compassionis et consolationis et honoris, quae sponsae filii ejus in tempore malo exhibuistis et exhibetis* (hic peculiare innuitur studium Pisanorum erga Innocentium qui ad eam civitatem exulaverat) . . . . . . *assumitur Pisa in locum Romae et de cunctis Urbibus terrae ad Apostolicae sedis culmen eligitur. Nec fortuitu sive humano contigit istud consilio: sed coelesti providentia et Dei benigno favore fit qui diligentes se diligit, qui dixit Christo suo Innocentio « Pisam inhabita et ego benediceus benedicam ei . . . . » Me auctore tyranni Siculi* (i. e. Rogerii) *malitiae pisana constantia non cedit, nec minis concutitur, nec donis corrumpitur, nec circumvenitur dolis* - Cff. ep. 130. S. Bernardi col. 140. edit. Maurinae 1719. et ep. 127. col. 138. ubi contra Anacletum pseudo-ponti-

quem meliori fama secuti sunt nepotes principes viri, donec saeculo decimo secundo exeunte, potestas omnis ad Henricum Sextum devenit (8). In

ficem invehitur, eo quod omnibus principibus invisus, inanis tituli pretio unum Ducem, Rogerium scilicet, sibi comparavit « *Habent tamen* (ita cit. ep. 127) *Ducem Apuliae* (Rogerium) *sed solum ex principibus ipsumque usurpatae coronae mercede ridicula comparatum.* "

(8) Friderici I. Augusti filium. Mirabilis Henrici triumphus Panormi actus an. 1194. sic in chronico Ottonis de S. Blasio, describitur: «Statuta die processionis, quo a civibus Imperator imperiali fastu susciperetur, exercitum omni affluentia delitiarum resolutum, gazisque spoliorum egregie dilatum, securum reddidit: palaestraque militari exercitii gratia, omnique spectaculorum magnificentia interim exhilaravit. Tandem summa industria civium, cum maximis sumptibus triumphali pompa praeparata, tota coronatur civitas tapetibus sertisque diversi generis et pretii, compita illustrantibus, thure, myrrha, aliisque speciebus odoriferis, intus et extra civitatem redolentibus plateis: amotoque a civitate procul Imperatore cum exercitu, cives per turmas suas secundum modum dignitatum conditionum, aetatisque differentia egressi, nobiles in sua cohorte seniores, aetateque provecti in suo ordine, et his minoribus robustiores, exin juventus cum imberbi adolescentia imbecillique pueritia, omni phaleramento equestri, vestiumque varietate adornati, ordine stationario in obviam procedebant: singulis quibusdam pro suo modo vel arte cum omnibus musicae disciplinae instrumentis plausum exhibentibus. Imperator autem non minore industria composito exercitu, militari disciplina, omnique praesumptione Teutonica prorsus interdicta, contemptoribus mutilationem manuum interminatus, omni armorum splendore rutilantem militiam exhibuit binis longo tractu civitatem versus pedetentim incedentibus. Ipse autem cum principibus imperiali gloria, et ornatu subsequutus civitatem ingreditur, cunctis laudes affatim acclamantibus, vulgoque quod plateas circumstabat, viso Augusto, juxta morem illius terrae prono vultu in terra coram eo corruente: sicque in regiam receptus, quieti dedit operam. Itaque multis muneribus a civibus est honoratus scilicet praestantissimis sellis aureis, frenis phaleratis, ac diversis ex auro, argento, serico speciebus . . . . » ap. Muratorium Rer. Italic. T. VI. col 896. et seq. Mediol. 1725.

Hispania Wisigothi montana relinquentes, bello Arabes persecuti sunt, nonnullosque principatus Ecclesiae dederunt, quos omnes, excepto Barcinonensi Comitatu, copulavit anno 1030. Sanctius M. Ab hujusce filiis Garsia, Ferdinando, et Ramiro (9) seriem deduxerunt Reges Navarrae, Castellae, Legionis et Aragoniae, qui et Lusitanam quoque plagam, Comites dicti, obtinuerunt.

§. II.

De populis Septemtrionalibus.

Septemtrionales populi, Dani, Sveci, et Norvegi, quorum historiam a longinqua aevi vetustate et obscuram et fabularem habemus, Regibus diu obtemperarunt: caeteris hac periodo illustriores extitere Dani; Slavi e contra pluribus Germaniae provinciis initio ditati, devicti spoliatique sunt, quorum pars extra Germaniae fines novi duplicisque regni, Polonici scilicet ac Russici fundamenta jecit: quem primum e Polonis historiae meminerunt, Piastus (10) audit, quem anno 1025 regium

(9) Vid. Joannes Mariana in Historia de Rebus Hispaniae T. I. pag. 338. et seq. Hagae-Comitum 1733. ubi Garsiae criminatio narratur, qua adulterii crimen matri objecit cum non potuisset equum ab Sanctio M. in bellum proficiscente sollicite Reginae commendatum, ab ea obtinere. Nihil enim erat tunc temporis equorum possessione carius.

(10) Oppidanus Crusviciae, rusticus et simplex homo, sed ut adnotatur in Biblioth. Joannis Pistorii Nidani edit. Basileae 1582.

sceptrum ornavit, Boleslaus (11). Russicae Monarchiae exordia petimus ab anno 864 a Rurichio Novogorodi Principe, cujus successores magnique Duces (Wolodimirus praesertim rebus gestis et cognomento Magni conspicuus) cum Kioviae imperii sedem constituissent, ingentes metus Graecis facere caeperunt (12). Neque minus terroris damnique Italiae, Galliis ac Germaniae inlatum est per crebras Hungarorum (13) incursiones, qui ab Henrico Aucupe postea repressi (14) in Pannonicis sedibus conquieverunt.

T. III. p. 148., hospitalitatis et beneficentiae laude celebris; cujus posteri per 560. annos imperium in Polonia tenuerunt. Piastus moritur senex annorum 120. circa Christi annum 861.

(11) Juxta sup. cit. Bibliothecam Pistorii Boleslaus hic cognomento Chrobri vel Acer Micislai filius natus an. 967., renunciatus princeps an. 999., Rex coronatus an. 1001. fatis cessit an. 1025. Quatuor habuit uxores. Cf. not. sup. pag. cit. – Cff. Jo. Duglosz in hist. Poloniae edit. Lipsiae an. 1711. et altera historia inscripta – Histoire générale de Pologne par M. le Chevalier de Solignac – ed. Amstelaedami an. 1751.

(12) Cff. de rebus russicis Müllers in opere inscripto *Sammlung russischer Geschichte*. Petropoli 1732-1764. A. L. Schlözer. in annalibus russicis Göttingae editis an. 1802-1809. De origine vero Regni Russici vid. opus inscriptum *Vom – Ursprunge des russischen Reichs*, von Joh. Philip. Gust. Ewers. Rigae et Lipsiae 1808.

(13) Cff. Scriptores rerum hungaricarum editi a Joanne Georgio Schwandtnero, cum praefatione Matthiae Belii. Vindob. 1746-1748. et Annales rerum Hungariae ab an. Christi CMXCVII. ad an. MDLXIV. congesti a Georgio Pray, et editi Vindobonae an. 1764.

(14) An. 993. ad Merseburgum. Primus Hungarorum Rex Stephanus audit anno 1001. circiter. Cf. nota sup. Non ingratum lecto-

§. III.

De Orientali imperio.

—

Orientale sive Byzantinum Imperium intestinis perpetuisque dissidiis, tum Principum ignavia,

ribus erit coronae regiae Hungarorum, formam et pretium habere, quam Silvester II. R. P. ad Stephanum miserat. Rewaius Petrus id tradidit (ap. sup. cit. Pray T. I. p. 10-11.) « est itaque forma sacrae coronae auro solido, artificio sculpturae magis caelesti, quam humano in orbem fusa, a cujus latiore circumferentia pariter pinnae florentes forma triangulari similiori circum eminent, quatuor angulis rectis se mutuo intersecantes desinunt in crucem. In ipsa vera circumferentia, fronte recta, imago Salvatoris nostri pomum tenentis ex adverso divae Matris Virginis, et deinde sacerrimus Apostolorum ordo, regumque ac Imperatorum Martyrumque Christianorum, ut videre licet litteris graecis, cujuslibet imaginis aureis vultibus, ac propriis trophaeis per corpus totum usque ad crucem summam mutuo consequuntur, interjectis cuilibet sacrae imagini gemmis, ac unionibus candicantibus, smaragdo, atque item pretiosissimis lapidibus, Saphiro, Hiacintho, Chrysolitho, Rubino. Et quidem Saphirum qui Matthiae regis tempore ruptus fuit, eoque pacto cognoscendae et recipiendae genuinae Ungarorum coronae a Friderico III., ... indicium dederat, Matthias II. cujus auspiciis felicibus sacra corona in sedem patriam rediit, insertione alterius supplevit, qui etiam nunc in aversa occipitii parte medius conspicitur . . . . . . Ab aurium naturali parte una quatuor; ab altera totidem gemmae pretiosiores, octo ex catenulis aureis dependent appendicum veluti loco, quae ad lenem sacri Capitis motum mutua quasi harmonia sese commovent, ut nimirum rex aures divinae, humanaeque consecrando justitiae, accusanti unam, reo commodaret alteram, et omnia ad divini nominis gloriam: oppressorum levamen, famamque bonam, et existimationem referret. Nona singularis, a posteriori parte coronae qua occiput circumdat, appensa catenulae in modum reliquarum conspicitur, eo symbolo, ut rex, Jani illius bifrontis imaginem imitatus, siquidem ut plurima praeteritis

inscitia, et imprudentia, tum hostilibus infestationibus enervabatur, et illius partem ab anno 1204 Latini obtinebant. Maxima erat, desinente saeculo nono, per Asiam Calipharum (15) vis et potestas Religionis vinculis in posterum adstricta. Arabiam diuturnis molestiis conflictabant Turcae qui a Caspio mari ad Orientem solem late protendebantur: praedatores direptoresque Provinciarum Arabiae, novum ex hisce imperium anno 1037. conflarunt, ut vocabant, Selzukidarum (16) duce Togrulbeko, qui et ipse Chorosanae invasor priscos fines prolatavit (17).

futura similia sunt, eo, quod in mundo eadem semper luditur fabula, quando de rebus consultatio incidit, respiciat ad acta superioris aetatis, sicque memor praeteritorum de futuris etiam rectius deliberet. » Cf. Ditmarus Merseburgensis Episcopus quoad hanc coronam a Silvestro R. P. ad Stephanum missam, cum qua Stephanus regiam etiam dignitatem ab Romano Pontifice est adeptus.

(15) Cff. Geschichte der Araber unter den Califen, i. e. historia Arabum sub Caliphis; opus Abbatis de Marigny ex Gallica in germanicam linguam conversum et editum Berolini, et Bostampii 1753-54. editio Gallica est Parisiensis an. 1750.

(16) Seu ut alii legunt *Seljuccidarum*, quae familia exordiebatur a Togrulbeko Seljucci.

(17) Cff. Abilfedae Annales Moslemici, quos latinos ex arabicis fecit Jo. Jacobus Reiske edit. Lipsiae an. 1778. et seqq. et Hafniae an. 1789-94. Vid. Deguignes in opere inscripto - Histoire générale des Huns des Turcs, des Mogols et des autres Tartares Occidentaux et avant, et depuis Jesus Christ jusqu'a present - a Paris 1756-1758. Habetur etiam haec historia in germanicam linguam versa.

§. IV.

Dani ad Christum conversi.

—

Id eximiae Caroli Magni vertitur laudi nihil in omni vita praetermisisse, quod ad Catholicam Fidem inter Hunnos (18), Saxones (19), Frisios (20) aliosque populos asserendam fovendamque pertineret. Hujus autem patriae pietatis haeres Ludovicus, qui Pii nomen inde est adeptus Regnum Christi in dies amplificandum magnopere studuit, gloria equidem excellens singulari, quippe qui indomitas boreales plagas non armis et castris, quod eousque incassum cesserat, sed alio strenuae oppugnationis genere, Evangelica praedicatione, devicerit. At nullum ex hisce conatibus aut solertius excogitatum, aut alacrius susceptum, aut felicius patratum invenias, quam Evangelica missio Ansgarii (21) cum Sociis aliquot ad Danos et Svecos; haec siquidem et magnis Ebbonis Rhemensis Archiepiscopi (22) laboribus subvenit, et quod ipse una cum

(18) Cf. sup. cit. Deguignes in hist. Hunnorum.

(19) Recolantur quae diximus in I. p. secundae Periodi nostrarum Instit. pag. 33. et seqq.

(20) ut supra pag. 26. 27.

(21) Corbejae Saxonicae Monachi, dein Hamburgensis Archiepiscopi.

(22) Vid. Eginhardus in annal. de gestis Ludovici Pii Imp. pag. 267. B.; T. II. Scriptorum Hist. Francor. ab Du Chesne edit. Lutetiae Parisiorum 1636.

aliis Christianae Legis praeconibus frustra jamdiu contendebat, peropportuna occasione arrepta, confecit. Adducta post obitum Jutiae regis in dissidium successione, alter e disceptatoribus filiis Haraldus, patria regnoque pulsus, anno 814. in Franciam ad Ludovicum Pium opem imploraturus confugit. Imperator, cui regnum Christi magisquam Haraldi redintegratio altis insidebat animis, opibus suppeditandis Principique restituendo se se paratum ostendit ea tamen conditione, ut et Christiana Sacra, et Verbum Dei tum a Rege, qui totius populi exemplar esse solet, tum a Dania universa susciperentur. Hinc Haraldus, opitulante Ludovico, confirmatus, fidemque persolvens Moguntiae cum uxore ac natis Baptismo initiatur, ad potiorem Filiorum Dei haereditatem, qui humanam tantum quaesiverat, evocatur, et Ansgarium Corbejensem Monachum, et Authebertum in eandem Daniae totius conversionem biennio adhibet (23).

§. V.

Svecorum Ecclesia.

Dum itaque Ansgarius ad Catholicam Fidem provehendam toto homine intenderet, vita functus

(23) Vid. Rerum Danicarum Historia Joah. Isacii Pontani pag. 96. lib. 4. edit. Amstelodami 1631. Anno 1221. primum in Daniam venerunt Fratres Ordinis Praedicatorum ut ap. Pontanum Rer. Danic. p. 307. eruitur.

est anno 828. laborum socius, et sodalis amantissimus Authbertus, quod licet eundem pergravi molestia affecerit; non tamen dejecit, neque a suscepto curriculo deflexit. Quae singularis prorsus animi constantia Christianique cultus sollicitudo mirum in modum se se probavit, cum Ludovicus Pius idipsum rogatus a Berone Svecorum Rege, Ansgarium una cum Witmaro Monacho Corbejensi, Evangelicae doctrinae magistrum ac institutorem Sveciae cunctae impertivit; qui novam provinciam aggressus, incredibile memoratu est quantum erroribus eam absterserit, pietate imbuerit, sacris legibus non sudoribus non vigiliis parcens instruxerit. Redeuntem in Germaniam Archiepiscopalis recens constituta Hamburgensis sedes, et Apostolici Legati munus honestarunt, convenientibus Gregorii IV. Romani Pontificis, et Ludovici Imperatoris voluntatibus (24), et, quod ejus laudes amplificat, omnis in universas eas regiones septemtrionales Religionis procuratio, quae pericula innumera, difficultates pene inenodabiles, itinera asperrima objiciebat, eidem est demandata. Exhaustis pro Christo viribus debitum naturae reddidit, Bonifacio Germanorum Apostolo exaequandus.

(24) Ut supra pag. 97. 98.

§. VI.

Res Christiana in Dania et Svecia post Ansgarium.

—

Deferbuit pietatis ac Religionis ardor in Dania post obitum viri praeclarissimi Ansgarii, et, saeviente Gormonis Regis tyrannide (25) extinctus est, paucis admodum relictis Divini cultus vestigiis. Hae autem postea in eadem plaga Ecclesiae vicissitudines. Illata damna reparavit Haraldus (26) a Gormone natus, qui cum filio et uxore ab Archiepiscopo Amburgensi Baptismate sacro ablutus fuerat, et datis legibus, suffectis Episcopis, moribus instauratis, Religionem in exemplum adjuvit (27). A parentis imitatione, imo prorsus ab omni pietate aliquantum recessit Sveno (28), sed (quia tam penitus insitam et quasi animis consignatam habebat) ad eam se se retulit, magnum dedecus eximio virtutis studio depellens (29). Haec vestigia consecuti sunt qui in regno postea fuere omnibusque praestitit Valdemarus (30) cum ab in-

(25) Gormo ob crudelitatem *Vormo* sive vermis crudelissimus appellabatur. Inter ea quae contra christianam religionem gessit, enumeratur eversio a fundamentis Templi in agro Slesvicensi a religiosis tunc conditi, non alia ratione nisi quia illud haberet ut sacrilegum impietatis domicilium. Cf. ut supra pag. 129.

(26) Cognomento *Blaatand* ut supra pag. 130.

(27) Ut sup. pag. 130. ad an. 931.

(28) Vulgo *Svenotho* ut sup. pag. 136. ad. an. 981.

(29) Ut sup. pag. 138. ad an. 993.

(30) Ut sup. p. 232. ad an. 1158. et seqq.

sectatione Christiani nominis Slavos, Venedas, Vandalos, aliosque populos militari virtute saec. XII. deterruerit et proximam Pomeraniae insulam Rusiam non propriae tantum ditioni (id anno 1168) sed, connitente Absalone Lundensium Antistite, Catholicae Legi subjecerit. Neque parum eadem aetate Sveciae prospectum est, quam veteri Idololatrica superstitione sanctissimi viri expurgabant, quam crebris Fennorum infestationibus et latrociniis vexatam Henricus VIII. liberavit, grassatoribus ipsis bello prostratis, quos postea Henrico Upsalensi Episcopo ad fidem informandos tradidit (31).

§. VII.

Chazarorum Conversio.

—

Chazarorum (32) regio supra Maeotidem paludem sita est, et Patzinacitis ac Chersonetis confi-

(31) Ut sup. p. 525. ad an. 1396. et pag. 547. ad an. 1413.

(32) Cedrenus de Chazaris haec habet καὶ τοὺς Τούρκους τῆς εώας οὓς καὶ χαζάρους ὀνομάζουσιν *Turcorumque Orientalium quos et Chazaros appellant* juxta versionem Guillelmi Xylandri. Vid. Georgius Cedrenus in Historiarum compendio pag. 327. Venetiis 1729. Vol. VIII. Bibl. Byzantinae. Constantinus Porphyrogenneta cap. XXXVIII. libri de Administrando imperio haec habet « Turcae olim prope Chazariam habitabant in loco cui cognomen Lebedias a primo ipsorum Boebodo, qui nomine Lebedias a dignitate, quemadmodum reliqui ejus successores, Boebodus vocabatur. In hoc igitur loco fluvius est Chidmas qui etiam Chingylus cognominatur. Et non tunc Turce sed Sabart aeasphali quadam de causa dicebantur . . . . . . Habitarunt autem cum Chazaris annos tres . . . . . . Chaganusque Chazariae princeps primo Turcarum Boebodo Lebediae uxorem dedit

nis. Horum Princeps Chazanus cum ad Theodoram (33) Augustam et ad Michaelem (34) legasset qui Catholicae veritatis nuncios praeceptoresque efflagitarent, Augusti vota illi impleverunt, electo ad id operis Cyrillo, Monacho Thessalonicensi (35), cujusce pietas omnino singularis ac multarum disciplinarum peritia plurimum pollicebantur. Spem atque opinionem supergressus est felix, ac Christianae propagationi bene vertens exitus rei; hunc fama late protulit, famam vero ubique clarissimam Constantinopolim revertens Cyrillus invenit. Qua celebritate permotus Ratislavus (36) Moraviae dux, provincias suas, novum agrum adeo seduli Cultoris tum egentem, tum percupidum, honestissima Legatione anno 865 eidem obtulit. Nonnihil equidem Catholicae doctrinae jam olim apud eas gentes fuerat inauditum, sed quod dies brevi delevit; atque hinc existimans Cyrillus rem difficultate asperitateque plenam haudquaquam unius humeris sedere posse, virum sanctimonia spectabilem, sibi fratrem germanum nulloque pacto secundum, Methodium (37),

Chazaram nobilem » pag. 1172. T. VI. Opp. Joannis Meursii Florentiae. 1745. Lingua Chazarorum Turcica est, nec Georgianorum idiomati similis.

(33) Consulatur Josephus Simonius Assemanus in Opere inscripto *Kalendaria Ecclesiae Universae* T. III. pag. 13. Romae 1755.

(34) Cf. op. sup. cit. pag. 8.

(35) Antea *Constantinus* philosophus appellatus ut sup. pag. 9.

(36) Alias *Rastilaus* vel Rastislavus.

(37) Consul. cit. Assemanus pag. 20.

consiliis adstruendoque operi consociavit: opus faustis sane hominibus initum, laetumque ad finem adductum, unde barbaries omnis, quae alte radices egerat, penitus apud Moravos avulsa: integri, castigatique mores tum in eadem regione, tum apud eam quae lingua Slavica utebatur recepti. Ad haec tam utiliter glorioseque gesta referenda ambo Romam venerunt ad Adrianum hujusce nominis Secundum, qui Methodium Episcopali dignitate auctum (38) (Cyrillum enim anno 868 mors in urbe oppresserat) Moraviae restituit. Hunc vero postea in invidiam vocatum eo quod Illyricam videlicet Slavicam linguam in Sacra invexisset, ad se accivit Joannes VIII. (39) qui illibatam hominis fidem dignoscens, et veniam Illyricae linguae (dummodo Evangelium latine praelegeretur) et consecrandorum iis in regionibus Episcoporum facultatem est impertitus (40).

§. VIII.

Bulgaria Christo subdita.

Sed et Christiana institutio apud Bulgaros, an-

(38) Cf. ut sup. pag. 115.

(39) Videantur epistolae 194. 195. Joannis VIII. apud cit. Assemanum pag. 132. et seqq. et cf. pag. 129. ejusdem Assemani.

(40) Cf. cit. Assemanus. Videantur Joannes Georgius Stredowskius in *Sacra Moraviae Historia* sive vita S. Cyrilli, et Methodii, edit. Solisbaci 1750. et Kohlius in introductione in historiam et rem literariam Slavorum; Altonaviae 1729. et tandem Henschenius ad diem 9. Martii. pag. * 12. T. II. Martii Venetiis 1735.

tea quam in Moraviam afferretur, eorundem Cyrilli et Methodii studiis inceperat (41), cui nonnulla profecto semina jamdudum praejacta fuerant. Anno autem 865 aut 866. (42) exordiente, hanc toto animo recogitavit Bogoris Rex et a Presbyteris Graecis lustrali fonte ablutus est, a quo susceptus per Michaelem Augustum, Michael deinde transnominari voluit (43). Hinc progrediens adversus perditissi-

(41) Sic legitur in vita Cyrilli et Methodii ex Ms. Blauburano apud Henschenium ad diem IX. Martii pag. 22. n. 4. T. II. Martii Venetiis 1735. « Audiens autem princeps Moraviae quod factum fuerat a Philosopho (*Cyrillo*) in Gazarorum provincia, ipse quoque genti suae consulens misit ad praedictum Imperatorem (*Michaelem*) nuntios rogans eum, quatenus genti suae verum doctorem dirigeret: qui eis pleniter fidem rectam, legis ordinem et viam veritatis valeat ostendere. Cujus precibus annuens Imperator praenuntiatum Philosophum cum Methudio (*Methodio*) germano suo illuc transmisit, mandans eis dari copiosas expensas pro itinere. Egressus itaque primo venit ad Bulgaros, quos, divina gratia cooperante, sua praedicatione convertit ad fidem. »

(42) Vid. Josephus Simonius Assemanus in cit. Kal. Eccl. Univ. T. III. pag. 28. et seqq. ubi de anno quo accidit Bulgarorum conversio disputatur, Baronii, Henschenii aliorumque sententia refutatur de anno 845, auctoritate Leonis Grammatici, Simeonis Logothetae et Georgii Monachi. Pagii opinio refertur de anno 861. Tandem pag. 39. proponitur et defenditur nostra sententia de anno 865. vel 866.

(43) Cff. Chronicon a Leone Armenio usque ad Michaelem Theophili filium Constantini Porphyrogennetae jussu conscriptum. Extat gr. lat. interprete Francisco Combefisio Ord. Praed. in Scriptoribus post Theophanem T. XXII. Histor. Byzant. edit. Venetiis 1729. pag. 74. n. XIII. Lib. IV. - juxta editionem Parisiensem extat pag. 101. - Georgius Cedrenus in Historiar. compendio T. II. Cedreni (IX. Hist. Byzant.) pag. 424. edit. Venit. 1729. - juxta edit. parisiensem pag. 540. - Joannes Zonaras in annal. pag. 122. n. II. edit. Venet. 1729. T. II. (XII. Hist. Byzant.) juxta edit. Paris. pag. 155.

morum hominum seditiones, qui Christianam professionem oppugnabant, conatus omnes cohibet, et Legatos ad Nicolaum I. Romanum Pontificem mittit, qui nonnullis de rebus consultum adeant, eidemque reliquam Bulgariam vera Religione, castisque moribus erudiendam commendent. Novum Catholicae Fidei incrementum gratulatus Pontifex celeberrima ac perutilia consulentibus edit responsa, additque an. 867. viros undequaque spectabiles, eosdemque Episcopos Apostolica auctoritate insignitos qui Bulgariam omnem ad Christianam doctrinam traducerent, Paulum Populoniensem, et Formosum Portuensem (44). Hi, a Graecis Praesbyteris, chrismate inunctos perungunt, et plura Bulgaros edocent ne captionibus Graecorum Sacricolarum, et Monachorum, quos Photius illuc miserat, circumscriberentur. Atque hosce fructus praebuit Bulgaria innumeris Cyrilli et Methodii laboribus, quos Graeci Schismatici partibus suis perperam adjudicare student (45).

§. IX.

Chrobati et Russi ad Christum conversi.

—

Chrobati (46) qui e Chrobatia alba, concessu

(44) Vid. cit. Assemanus pag. 39. §. XII.

(45) Cf. ut supra.

(46) Quoad Chrobatos non injucundum erit lectoribus referre quae leguntur apud Constantinum Porphyrogennetam c. 30. de Ad-

Heraclii Caesaris migrantes in Dalmatiam (47) tran-

ministrando Imperio pag. 1018. T. VI. Opp. Joannis Meursii ex recensione Joannis Lamii edit. Florent. 1745. - Chrobati vero tunc habitabant ultra Bagibaream, *i. e. ultra Babios sive Carpathios montes ut adnotavit Assemanius T. IV. Kal. Eccles. univ pag.* 278. *edit. Romae* 1755. ubi nunc sunt Belochrobati. Una autem generatio nempe quinque fratres: Clucas, Lobelus, Cosentzes, Muchlo, Chrobatus, duaeque sorores, Tuga et Buga una cum suis populis discedens ab ipsis in Dalmatiam venit, ubi Abares incolas invenerunt, belloque per annos aliquot inter eos gesto vicerunt Chrobati; Abarumque alios quidem interfecerunt alios vero parere sibi coegerunt, atque ex illo tempore a Chrobatis possessa haec regio fuit . . . . . . Ceteri vero Chrobati versus Franciam commorabantur, et adpellantur hodie Belocrobati, sive Chrobati albi, qui proprio principi subjecti sunt . . . . At a Chrobatis qui in Dalmatiam venerunt, pars quaedam secessit, et Illyricum atque Pannoniam occupavit . . . . . . Per aliquot vero annos etiam Dalmatiam incolentes Chrobati Francis subiiciebantur . . . Tanta autem in eos crudelitate utebantur Franci, ut lactentes adhuc eorum pueros occidentes canibus obiicerent. Quae res cum intollerabilis Chrobatis esset, facto dissidio, principes quos ex ipsis habebant interemerunt, unde magnus contra eos exercitus movit e Francia, et post septem annorum bellum aegre tamdem superiores facti Chrobati, omnes Francos, eorumque Principem Cotzilin e medio sustulerunt. Et exinde liberi ac sui juris facti sacrum baptisma a Romano Pontifice petierunt, missique Episcopi ipsos baptizarunt, principatum tenente Porino » Quo autem tempore id fuerit silet Porphyrogenneta, ideoque variae sunt eruditorum sententiae. Bandurius, et Farlatus ea referunt ad regnum Heraclii Imp. junjoris, sed Assemanus in op. sup. cit. pag. 288. et seqq. putat primam Chrobatorum ad Christi fidem conversionem contigisse regnante Porga, alteram vero (de qua Porphyrogenneta) sub Porino contigisse, tum cum defuncto Ludovico Pio Imperatore, *acre praelium inter ipsius filios Lotharium ex una, et Carolum ex altera parte anno* 841. *exarsisset*. Assemanii opinioni libenter assentior. -

(47) Chrobati (*sic Porphyrog. cap.* 31. *pag.* 1022. *ed. cit*) qui Dalmatiae partem nunc inhabitant, (*i. e. an.* 949.) a Chrobatis baptismi expertibus, qui et albi adpellantur originem ducunt. Chrobati

salpinam sedes posuere medio septimo saeculo Romano Maximoque Antistiti (48) ejusque Sacerdotibus (49) obsequentes caelesti lavacro sunt expiati (50). Alia Chrobatorum pars, quae ab iis in Pannoniam secedens, Francorum dominatui mancipata fuerat, hoc demum exuta jugo, in Ecclesiae castra et ipsa successit (51). Hisce terga deinde vertit, sed duris admodum Saracenorum imperiis, maximis ideo at debitis poenis, obnoxia, cum a Basilio Macedone navali classe auxilium sortita esset, missis ultro Legatis Constantinopolim, Graecis iterum Christianaeque pietati se se restituit (52). Idem porro Imperator, genti Ruthenorum bellicosissimae non modo pacis, sed et verae Religionis amplectendae auctor fuit, solemnemque hac de re per Legatos fidem expetiit, quam Russi exonerantes, Evangelii

autem dicuntur lingua Sclavorum, id est terram multam possidentes. - Chrobatia idem est ac Croatia.

(48) Joanni IV. R. P.

(49) Inter quos Martinus Abbas adnumerandus.

(50) Legatur caput 2. par. II. pag. 290. et seq. citati Assemani ubi plura ad interpretationem textus Constantini Porphyrogennetae eruditissime afferuntur.

(51) Vid. Porphyrogenneta c. 30. p. 1018. et nota sup. (46) et conf. Assemanus in op. cit. T. IV. par. II. cap. I. pag. 289.

(52) Vid. Porphirogenneta in historia de vita et gestis Basilii Macedonis; extat graec. lat. interprete Combefisio inter Scriptores post Theophanem T. XXII. Histor. Byzant. p. 132. n. LII. ad LV. Venetiis 1729. Cf. Assemanus in op. cit. T. II. par. I. cap. V. pag. 179. et seqq. ubi et refertur testimonium Porphyrogennetae, aliaque inveniuntur ad rem.

doctrinam, et Sacrorum Antistitem missum ab Ignatio Constantinopolitano Patriarcha libentibus animis suscipiebant (53). At brevi a proposito aversi, praecipites adeo in pristinam superstitionem eunt, ut eorum Dux Wolodimirus Baptismo initiatus, nullum Saeculo X. praeter aviam Elgam, seu Olgam haud ita pridem salutaribus aquis renovatam, Christianae Fidei indicium repererit (54). Quae vero Fides non modo redintegrata sed perpetuo constituta est, cum conspicua regii exempli documenta, creatio Pontificum, magni non Graecorum modo sed et La-

(53) Sic habetur apud Porphyrogennetam in vita Basilii Macedonis sup. cit. p. 157. n. xcvi. - Praeterea genti Russorum nescienti mansuescere, ullive cedere atque a Dei sensu ac pietate remotissimae, auri argentique ac sericarum vestium affluenti largitione in foedus pertractae, initisque cum ea induciis, ac pace firmata, divini quoque Baptismatis participes fieri persuasit (*i. e. Basilius*) ac archiepiscopum ab Ignatio Patriarcha ordinatum ut susciperent effecit - Addit cit. auctor miraculum de Evangeliorum libro qui in ignem injectus, ad fidem faciendam veritatis Evangelicae praedicationis, illaesus incolumisque permansit - Quo viso (*concludit Porphyrogenneta l. c.*) Barbari (*Russi*) ac miraculi magnitudine in stuporem acti, omni sublata haesitatione Baptismo intingi coeperunt - Circa annum 871. Russi Archiepiscopum, de quo Porphyrog., habuerunt, non autem an. 876. ut vult Pagius. Cf. al. cit. Assemanus T. II. p. II. c. I. pag. 231 Romae 1755., ubi pag. antecedenti auctoritates quoad Russorum conversionem ad Christum, ex aliis graecis scriptoribus depromptae referuntur.

(54) Cf. cit. Assemanus T. II. pag. 264. et seqq. ubi refutatur historia de conversione Russorum ad Christum cujusdam anonymi graeci scriptoris, qui confundens Russorum conversionem sub Basilio Macedone, cum ea sub Wolodimiro Duce, ex duabus unam confecit.

tinorum labores in idem omnino consilium, in aedificationem Corporis Christi conspirarunt (55).

§. X.

Bohemi ac Poloni.

Bohemorum duces a Francis saepe devictos, saepe etiam faedifragos ex veteribus memoriis comperimus, quorum turbidos minacesque spiritus ut contineret ac mitigaret Arnulphus Germaniae Rex,

(55) Plurimum studii navarunt apud Russos pientissimi viri Reinbernus Antistes Colbergensis, Bruno, et Bonifacius ut filios Christo per evangelium gignerent, idque numquam illius gentis memoria excidere debet, pervetustam fidei doctrinam ac insignia virtutum omnium specimina illuc ab Apostolica sede, latinisque etiam sacricolis dimanasse. Hanc vero Religionis integritatem, debitamque Romanae Ecclesiae reverentiam usque ad miserandum Michaelis Cerularii schisma apud graecos permansisse, extra controversiam est; et anteaquam illud conflaretur, hoc etiam Apostolicae sedi beneverterat, ut Metropolitae Kiovienses, qui a Patriarchis CP. assumebantur eorum jugum abjecissent: id quoque exploratissimum tenemus, ante et post eam scissionem Russos principes cum latinis principibus consanguinitatem junxisse; sed et Izaslaum sive Demetrium eorum Regem anno septuagesimo quinto supra millesimum, Romam misisse filium suum, qui regnum omne a B. Petro in tutelam suscipiendum, Gregorio VII. vicarias partes agenti offerret. Litteras laetitiae et peculiaris benevolentiae testes rescripsit Gregorius addiditque nuncios, uti, quod epistola vix caperet, exsultationis voce adimplerent. Nulla enim gratulatio par esse poterat admirabili huic Christianorum Principum pietati, quae Populorum custodiam Principis Apostolorum fidei potius quam bellicae virtutis praesidio commendabat - Cf. Dissertatio anonyma *de origine Christianae Religionis in Russia* quam exaravit Stephanus Vizzardelli et Romae edidit anno 1826. Videatur etiam nostra nota sup. (12).

et regem (56) et Christianos morum institutores eidem genti imposuit (57): hinc ab hisce Principibus, a Uratislao praesertim res nostrae quam maxime auctae, imminutae postea aliquandiu a Uratislai filio Boleslao, qui defectionem hujusmodi, fraterno Venceslai sanguine anno 929. se se cruentans (58), oneravit. Verum vi atque armis, postea ab Othone tunc temporis Germanorum rege impetitus (59), aliquantum se se collegit (corripit enim Deus et vivificat. *Is.* 3. 8.16.), et ad Christianam pietatem paullatim reversus, Sacerdotibus, quos exilio affecerat, revocatis, hostias illibatas ac piaculares in Pragensi Templo, quo necatus frater conditus fuerat, placabili Deo offerri concessit, nec filiam nomine Dombrauam (60) Meschoni Poloniae Principi antea nuptum dedit, quam hic e patria superstitione ad Christiana sacra se se contulisset (61). Anno 965.

(56) Nomine *Zventibaldum* sive *Svatopelecum* Moravorum Regem, an. 890. ut ex Reginone, Annalista Metensi, Continuatore Freheriano, et ex Othone Frisingensi eruitur, ut ex Assemano in op. cit. T. IV. P. I. c. III. pag. 142.

(57) S. Methodii praesertim laboribus haec laus tribuenda. Cf. Assemanus ut sup.

(58) Legantur Jo. Dubravius Olomuzensis Episcopi in *historia Bohemica ab origine gentis . . . . . . usque ad Ferdinandi Imp. et Regis auspicia deducta* pag. 34. lin. 15. et seqq. Hanoviae 1602, ext. ad calcem Rerum Bohemicarum antiq. Script. edit. ibid.

(59) Legatur Dubravius cit. pag. cit. lin. 55. et seqq.

(60) Sive Dambrovcam, aut Dambrowcam et Dambrovucam.

(61) Cf. ut sup. p. 36. lin. 4. et seqq.

id factnm tradunt Polonicarum rerum scriptores (62) qui et Procerum hujusce regni, et infinitae propemodum multitudinis conversionem tempori illi adsignant: Mescho, qui ex Baptismate Miecislaus audit, et Boleslaus Dux Bohemorum Legatos misere ad Joannem XIII. Pontificem ut jam designatas in iis regionibus Episcopales Sedes excitare liceret; et Pontifex Ægidium Episcopum Tusculanum (63) cum ingenti ex Italia, Francia, et Germania Sacerdotum agmine consecrandis per Poloniam Episcopis nonnullis praefecit; nullibi vero Archiepiscopalis honor, ante annum millesimum, praesules illos ornavit. Quod vero Miecislaus nulla labe adspersus a Supremo Antistite impetravit, id ob fraternae caedis memoriam Venceslao frustra fuit, cum post hujus mortem dumtaxat, quae anno contigit 967, primus Bohemis Episcopus (64) in Urbe Praga a Joanne XIII anno 968. constitutus sit Ditmarus Saxonia oriundus, et Canonicus Regularis Magdeburgensis (65).

(62) Matthias de Michovia lib. 2. c. 1. Alexander Guagninus p. 346. Martinus Cromerus lib. 3. c. 2. p. 433. omnes editi a Joanne Pistorio Basileae 1582.

(63) Ut habetur apud Martinum Cromerum sup. cit.

(64) Id petentibus Boleslao Pio Duce et Mlada Sorore.

(65) Ut a Georgio Bartholdo Pontano lib. 3. Bohemiae Piae narratur, apud cit. Assemanum T. IV. part. I. c. III. §. XI. p. 172. Alter Pragae Episcopus fuit S. Adalbertus antea Voitychius appellatus, patre Zlaunik et matre Zrezizlava, apud cit. Assemanum.

§. XI.
Northmanni.

—

Northmannos etiam, qui mala innumera Europae universae pepererant, Germaniam, Brittaniam, Gallias, et Hispanias caedibus ac direptionibus impleverant, ac stabiles hisce in regionibus sedes posuerant, moribus efferos ad mansuetudinem, omni superstitione pollutos ad sincerum Dei cultum, temporum atque hominum victrix Religio perduxit. Posteaquam enim Rollo Norvegi Comitis filius Normannorum dux vel potius Archipirata magnam Galliae partem infestasset, reliquam jam animo peteret, Carolus, cui cognomentum Simplex, non satis sibi tutum vim vi repellere existimans, ita cum hoste compositus est, ut hic bello concedens nonnullas Galliae oras (66) incoleret, Gislam (67) Caroli filiam uxorem duceret, gentilemque barbariem cum Christiana Lege commutaret. Quibus conditionibus per Franconem Archiepiscopum (68) Rothomagensem, et Robertum Comitem allatis cum animum accomodavisset Rollo, Religionem sanctissimam est amplexus, et militibus et populo suscipiendam curavit.

(66) Quae ab Epta, et Andella fluvio ad mare patet.

(67) Vel *Guillam.*

(68) Verum tandem tricesimo et sexto anno, quo Francorum regnum a memorata gente (*a Normannis*) caeperat infestari, Rollo

§. XII.

Norwegi.

—

Ad Norwegiam licet antea accessisset divini verbi praedicatio parum sane profecit usque ad annum humanae salutis 945., quo Hako rex (69), suasu Heraldi Danorum Regis, eam in rem felicius incumbens, quamplurimos Christo subdidit. At gentili superstitioni multum honoris, ac cultus permanebat, donec Olaus (70) praejudiciis omnibus, quae in Fidem nostram hauserat, abjectis, industriam ac laborem advocaverit virorum sanctimoniae fama inlustrium, qui salutis tramitem non Norwegiae solummodo sed vicinis etiam Provinciis ostenderent; et, constitutis Pastoribus, Ecclesiam illam certis praesidiis firmarit (71).

Dux ille potentissimus voluit esse Christianus; Franco quippe Rothomagensis Archiepiscopus illum verbis salutaribus mitigavit, et ad Christi Domini cultum sagaciter invitavit. Et postquam permissu divino, multa Franciae bona diripuit, vastavit, incendit, atque consnmpsit: factus est fidelissmus Christi cultor, cujus ante fuerat crudelissimus persecutor - Sic legitur in MS. Monacho Florincensi tributo, ab Du Chesne edito pag. 34. in op. *Historiae Normannorum Scriptores antiqui* - Lutetiae Parisior. 1619. Haec facta sunt anno 912.

(69) Vel Haco.

(70) Eirici filius.

(71) Cf. Mamachius in *Orig.* et *Antiq. Christ.* T. II. pag. 211. nota (4.) Romae 1750.

§. XIII.

Hungari.

—

Quae Europae regio ante Paeonia, deinceps Pannonia vocabatur, eidem nomen Hungariae inditum est ab Hungaris, qui ab Scythia illuc irruperant. Hisce licet antea Evangelicae doctrinae veritas illuxerit, nil tamen ad fixam alte admodum radicatamque superstitionem eruendam profuit, donec facilior Religioni aditus patuit medio fere saeculo X. cum duo Turciae Duces ad Istrum (ea erat enim appellatio incolis Hungariae et Transylvaniae) Bolosudes (72) et Gyulas (73) Constantinopoli salutari lympha perspersi sunt. Quorum alter in veterem errorum foeditatem relapsus, et ab Othone Magno Germanorum Rege bello pene confectus anno 955. turpissimae defectionis poenas expendit (74), Gyulas vero fidei tenax, acceptam Ecclesiae doctrinam populo suo praebuit, adjutore praesertim Hierotheo Monacho quem Theophylactus Antistes Constantinopolitanus Turciae (75) Praesulem dederat; atque inde paulo major apud eas gentes

(72) Curopolates eum vocat *Bologudem* qui tamen diversus non est a *Bultzo Chagano* seu Chano seu *Pulzi*, vel *Bultzi Chano*.

(73) Seu *Gylas* vel Gyla.

(74) Ad Lycum fluvium.

(75) Idest Hungaris, sic enim Turci a graecis scriptoribus dicuntur.

Religionis nostrae progressio. Cujusce celerior factus est cursus, posteaquam ab Othone Rege primum debellati, deinde per Apostolicos viros, quos ille miserat, ad rectos Fidei sensus revocati sunt. Et quum denique Geusae (76), qui regnum et cum regno avitos ritus diu tenuerat, anno 997. Stephanus filius (77) successisset, adolescentia equidem ineunte, sed sanis sensibus et pietate antiqua, non incrementis modo, sed et Religionis splendori operam dedit. Templa plura per totam Hungariam erecta, Monasteria censu ditata, Episcopales decem positae sedes quarum Metropolim Strigoniensem a supremo Pontifice Silvestro II. per Legatos Romam missos impetrabat; haec universae Ecclesiae laetissima regni auspicia, incredibilique voluptate a Pontifice accepta. Datis hic enim litteris felicem Hungaricarum rerum conversionem extollit quae neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, (*Rom.* 9. 16.) cui effusas ideo agit gratias qui invenit sidi David filium Geysae hominem secundum cor suum. Quem profecto et David recte dixeris ob repulsos saepe telis orationis hostes, ob ampla eorum spolia Ecclesiae distributa, ob templa atque hospitia Hierosolymis et Constantinopoli aedificata; sed et si consilium ac legum prudentiam intuearis, Salomonem fortasse cogites, neque extrema ad Hen-

(76) Vel Geisae.

(77) Waic dictus ante baptismum.

ricum filium praemonita, in quibus Catholicam Fidem veluti galeam salutis, haereticos veluti pestem aufugiendos, observandos perpetuo Episcopos animorum custodes, misericordiam, clementiam, liberalitatem, aliasque virtutes divino prorsus sermone commendat absque ingenti admiratione perlegas. Hinc etiam facile intelliges quis in Hemerico rex, nisi Deus sibi praeripuisset, Hungaris compararetur, et quo pacto regia proles foret instituenda. Caeterum ab ejus interitu Christiana res aliquantum decrevit, postea apud Hungaros conflictata est usque ad Andream Regem ejusdemque restitutorem (78).

§. XIV.

De Borussis.

—

Adalbertus (79) doctrina et sanctimonia perillustris, Episcopus Pragensium imprimis memorandus, quam Sedem, ut Monasticae disciplinae vacare posset, dimisit, deinde Pontificis jussu, recepit, non Boemos modo et Polonos ad Catholicam veritatem excitavit, sed ad Borussiae fines Idola profligaturus accessit. At quem agrum ad bonam frugem vocabat, sanguine suo ab Idolorum Sacerdote deprehensus atque confossus cruentavit an. 997. Restitit

(78) Cff. nostrae notae sup. (13) (14) nec non Assemanus in op. jam sup. cit. T. IV. Part. I. c. II.

(79) Vidd. Bollandiani ad diem xxiii. Aprilis pag. 174. et seqq. T. III. Venetiis 1738.

eadem soli asperitas Evangelicis cultoribus saeculis XI et XII; restitit solerti Polonorum Principum industriae, qui acceptum in suis ditionibus donum Dei, alio invehere satagebant, neque antea mollescere visa est quam connitentibus in eam rem saec. XIII. Christiano, et Philippo Monachis Cisterciensibus (80), quorum ille primum Prutenorum Episcopatum anno 1215. suscepit. Pomerania plurimum debet Boleslao III. Polonorum Principi, qui variis praeliis superior discedens eandem Othoni Bambergensium Pontifici Christiana Fide erudiendam, litteris charitate studioque plenis commendavit, neque minus debet Othoni qui ad eam regionem appulsus anno 1124. Wratislaum qui Principatum gerebat, cum duobus filiis ingentique hominum multitudine Christo per salutare Baptismum conciliavit. Primus iis fuit Episcopus Adalbertus (81), atque hic sui honoris sedem posuit Volhinium, quod erat Julini insulae oppidum ad ostia Oderae fluvii. Othonis reditum in Germaniam plurimus secutus est Pomeranorum lapsus in veterem superstitionem, atque ingruens extitit necessitas, ut ille iterum ad eas gentes sese referret, lapsam revocaret Fidem, tepentem refoveret, imminutam propagaret.

(80) Cf. Joannes Albertus Fabricius in Salut. Lucae Evang. pag. 429. Hamburg. 1731.

(81) De S. Adalberto loquuntur passim scriptores Christophorus rerum Boemicarum, Polonicarum et Prussicarum ut apud citt. Bollandianos p. 177. vid. Hartknoch in diss. de Originibus Religionis Christianae in Prussia; ext. ad calcem Chronico Prussiae Petri de Dusburg. pag. 201. Jenae 1679.

§. XV.
De Livonia et Curlandia.

Livoniam quoque et Curlandiam ab iniqua Idolorum servitute, insitaque barbarie in Christianam libertatem vindicare conati sunt saec. XII. Mainardus Cardonius Regularis, et Bertholdus Abbas Lucensis, viri utique sanctissimi, aliisque virtute praeclaris conjuncti (82). Neque Evangelica doctrina exemplis inclytis comprobata desiderabatur apud Slavos rude atque agreste hominum genus, ad oram Baltici maris incolentes, quinimo consociatis Apostolorum ac Principum studiis, valde profecit. Inter eos autem quibus Slavorum conversio debetur, celeberrimus extitit saec. XII. Vicelinus Hamelensis qui primum Canonicorum Regularium Praeses, Episcopus Aldemburgensis deinde renunciatus per annos fere triginta (ab anno scilicet 1124. usque ad ejus emortualem 1154.) ea mente iis opibus in hanc curam incubuit, ut insignium benefactorum memoriam immortalitati tradiderit. Hinc cum Evangelica veritate morum mansuetudo incesserat, et quae divinis abundat laudibus, Christiana Religio hac etiam maxima ornatur, quod asperas gentes ab omni humanitate alienas ad mites sensus politosque mores adduxerit, et quae tenebricosissima ab ejus hostibus

(82) Cf. Mamachius T. II. Orig. etc. p. 213.

vocitatur, tenebrarum omnium fugatrix, civilitatis nuncia et comes extiterit (83).

§. XVI.

De Tartaria.

—

Tartaria, quae magna dicitur, et ultra Imaum montem protendebatur, Fidei rudimenta haeretica quantumvis labe inquinata a Nestorianis Chaldaeis accepit, et a pristina feritate ac barbarie aliquantum discedere visa est. Nestoriani caetus in ea regione frequentes, Episcopale nomen a nonnullis etiam usurpatum. At plurimum invaluit Religio apud Tartaros saec. XI, cum a regio splendidissimoque exemplo firmabatur. Factum est enim labore et industria Marvensis in Chiorosana Archiepiscopi Ebediesu, ut rex potentissimus Ungh-Chan cum ducentis hominum millibus (84) Christianae legi subderetur, et secunda belli fortuna usus adversus Persarum, Medorum, et Assyriorum reges imperium a Tartaria magna ad Tigrim miro cum Religionis incremento, propagaret. Atque ille idem *Presbyter Joannes* (85) (italice *Prete Janni*), quem hac appellatione ducti

(83) Consulatur saep. laud. Assemanus T. IV. nec non cit. Mamachius qui de christiana Religione inter alias nationes diffusa erudite disserit.

(84) Vid. Joseph Simonius Assemanus in Bibl. Orient. Clementino-Vaticana T. III. Par. II. pag. ccccLXXXVI et seqq. Romae 1728.

(85) Vid. ut sup. pag. ccccLXXXVIII.

nonnulli Sacerdotem, nonnulli e Persico idiomate Apostolicum virum intellexere, plurimi commentis ac fabulis obscurarunt. Tanta autem de ejus opibus ac potentia jactabantur, ut a Joanne II. Lusitaniae Rege Petrus Covillanius aliique ad Croesum hunc alterum explorandum missi fuerint; qui opulentissimum in Æthiopia Imperatorem, Christianis sacris addictum, et illi facile comparandum, nacti, hunc Presbyterum esse Joannem Europae universae suadere caeperunt. At res maturius perspecta, et a Lusitanis aliis, Balthasare Telesio, et Alphonso Mendesio, saec. XVII ineunte, acu tacta, Presbyterum Joannem non Africae, sed Asiae Principem declaravit (86).

§. XVII.

Res Christianae in Hispania instauratae.

—

Non ea erat dumtaxat Religionis gloria ut plagas sane multas e veterno superstitionis evocaret, sed ut alias quoque postliminio reciperet. Id Hispaniis feliciter iis temporibus evenisse scimus, cum Provinciae jam antea rerum acerbitate amissae, Principum virtute ac pietate, recuperarentur. Re-

(86) Cf. ut supra pag. ccccxciv et seq. ubi variae eruditorum sententiae exponuntur quoad Presbyterum Joannem. Consulatur etiam tum quoad Presbyterum Joannem, tum quoad Christianae Religionis propagationem apud Tartaros Jo. Laurentius Moshemius in *Historia Tartarorum Ecclesiastica* edit. Helmstadii 1741.

gnum Alphonsi, cui castitas plane singularis cognomentum fecit, Ecclesiam amplificavit (87), nullaque re illustrius videtur quam ob excitatum id temporis per universum terrarum orbem Jacobi Apostoli cultum, et ob Compostellam incredibili advenarum frequentia ac splendore ideo cohonestatam (88). Ramiri dominatus rerum gestarum fama potiusquam diuturnitate spectabilis fuit, et prostrata Mauricae gentis audacia, sexaginta hominum millibus anno R. S. 846. ad Clavigium coesis, Alvelda, et Calagum subjectis urbibus, Hispania inde universa Jacobo Compostellano votifera, Ecclesiae auctoritatem ac majestatem qua restituit, qua exornavit (89). Ordonii etiam Regis gesta adversus insolentiam Maurorum, debilitatae ac passim imminutae vires, florentissimaeque civitates ab eorum manibus receptae, haud exigua celebritate donantur (90). Sed haec posthumae alterius laudis auspicia, miraque incitamenta extitere Alphonsi (91) filii (92), cui dignitas corporis, et animi, nobilesque imprimis triumphi

(87) Desinente 8. et ineunte saeculo 9. Vid. Joannes Mariana in Hist. de rebus Hispaniae T. I. pag. 277. et seq.; Hagae-Comitum 1733.

(88) Jam adnotavimus alibi quod nulla vera traditione innititur Apostoli Jacopi praedicatio in Hispania; ideoque cit. Marianae historia, quoad rem hanc, sinceris coaevisque indiget monumentis. Vid. nihilotamen Mariana T. I. Lib. VII. c. X. p. 278. ubi loquitur de Inventione corporis S. Jacobi Apostoli.

(89) Cf. cit. Mariana Lib. VII. c. XIII. pag. 285.

(90) Cf. cit. Mariana loc. cit. pag. 289. et seqq.

(91) Cf. ut sup. pag. 292.

(92) Hujus nominis tertii.

Magni nomen dederunt. Numquam sane a Mauris exagitandis, ab ulciscendis eorum injuriis quievit, Vascones, Francos, aliosque sibi socios, barbarorum domitores, Ecclesiaeque vindices adhibens; quo rege Ovetensis Ecclesia, Metropolitico jure (93), Jacobi Apostoli religio privilegiis permultis, Compostellanum templum ditiori splendidiorique cultu aucta sunt. Anceps deinde extitit contra Mauros armorum fortuna sub reliquis Hispaniarum regibus, sub Ramiro II. praesertim, et Ordonio III; et cum barbari vindictam ac caedem anhelantes, in Christianos ardentius, quam antea unquam, irruperunt, Castellam praecipue oppugnantes, ducem adversum habuere tanto impetu non modo parem sed longe majorem, Ferdinandum Consalvum, qui infinita prope hostium multitudine deleta, munitis oppidis, aliisque a solo extructis Maurorum conatus ac turbas compressit (94).

§. XVIII.

Instauratio eadem in Lusitania.

—

Neque minus terroris circumferebat Maurica insolentia in Portugallia, neque minus virtutis ac fortitudinis Lusitani Proceres in barbarica temeritate retundenda exhibuere. Praestitit pietate atque armis Alphonsus Portugalliae Comes (95) et confractis

(93) Ut sup. pag. 296.

(94) Cf. cit. Mariana Lib. VII. capp. IX-XX. et Lib. VIII. c. IV.

(95) Regni Portugalliae initia videsis apud cit. Mariana pag. 412. Lib. X. c. XIII.

undique copiis id enixe studuit, ut uno veluti ictu, hostilis arrogantia concideret. Quinque reguli e contra infensis signis in eum concurrunt. Qui cum manus jam jam conserturus Rex ab exercitu universo salutatus fuisset, Scalabim ad Tagi ripam, occupavit Alphonsus, Sinbram municipium ad Promontorium Artabrum expugnavit et quia si Olisiponem urbem regni principem, et Maurorum propugnaculum caperet, Lusitaniam totam Religioni ac tranquillitati restituendam existimabat, eam circumsedere non dubitavit, obsessam in potestatem redegit, atque ut nomen ac monimentum victoriae in omnem posteritatem extaret, regium S. Vincentii Coenobium quo loco castra posuerat, edificari jussit. Neque hoc tantummodo, sed infinitis propemodum pietatis exemplis Lusitaniam totam, Mauris ereptam ornavit, quippe qui non aliunde quam ex sanctissimorum hominum documentis auspicia rerum gestarum et incitamenta petiisset (96).

(96) Cf. ut supra pag. 421. et seqq. Illud praetermittendum non est maxima consuetudine conjunctum fuisse Alphonsum cum Theotonio Canonicorum Regularium S. Crucis Conimbricensis parente, quem oraculi instar bellaturus adibat Moysen alterum in monte orantem, sibique caelesti ope praesentissimum tum ad Scalbim, tum ad Olisipponem; caelestibus denique honoribus auctum sibi ac Regno tutelarem persensit. Hinc quae pietas regia ac magnificentia Dei cultum in tota Lusitania decoraverat eadem se se mirum in modum superasse in celeberrimo S. Crucis Monasterio Can. Reg. ampliando ditandoque visa est.

§. XIX.

Eadem in Sicilia.

—

Versabatur a saec. IX in Sicilia insula Saracenorum furor, innumera miscebantur mala, omniumque instar, castissima Christi Religio extrema clade premebatur: eam turpi jugo exuere studuerunt Graeci, felicius vero hac aetate Romani Pontifices iniquae cujuslibet servitutis depulsores, ex quibus Leo IX Apuliam, Calabriam, et Siciliam Feudi, ut vocant, nomine Unfrido Normannorum Comiti anno 1053. concedere non dubitavit, ut hisce opibus instructus, Saracenis Siciliam infestantibus, pro virili obsisteret. Quo etiam munere, Ducalique praeterea titulo, Unfrido extincto, donatus est an. 1059 Robertus Viscardus ejus frater a Nicolao II. Romano Pontifice, cui ipse fidem annuumque tributum jurejurando obstrinxit. Atque haec primum potestas jurisque dictio a Romanis Pontificibus concessa, tantique habita, ut nemo Siciliae principatum tenere praesumeret quem Feudi nomine a Supremo Ecclesiae Antistite non impetrasset. Fidem itaque suam liberaturus Robertus Siciliam aggreditur, neque adverso Marte bellum cum Saracenis gerit, quod ab hujus obitu Rogerius frater, expunctis a tota insula barbarorum copiis, illustriori exitu confecit anno 1090. Hanc gloriam insigni alia cumulavit: nam quo in loco superstitio insana effrenataque ferocia

dominabantur, in eo Religionis nostrae splendorem, Monachorum instituta, optimasque disciplinas reviviscere voluit (97).

(97) Hinc pluribus ornamentis amplisque admodum facultatibus Rogerium, ajunt, ab Urbano II. R. P. auctum fuisse, hucque revocant privilegium illud quod vocant Monarchiae Siculae, a nonnullis vero inter commenta deputatum. Quae hac de causa in posterum controversiae inter Romanos Pontifices et Siciliae Reges obortae sunt, majorum nostrorum memoria scite dijudicavit Benedictus XIII qui et jurium illorum, et Ecclesiasticae libertatis incolumitati aeque consuluit. Cf. opus inscriptum - Codex diplomaticus Siciliae complectens documenta a primo Christianae Religionis saeculo ad nostram usque aetatem, quem collegit, ac notis et dissertationibus illustravit Johannes de Johanne Tauromenitanus - Panormi 1743.

CAPUT II.

DE SACRIS EXPEDITIONIBUS ET DE ORDINIBUS EQUESTRIBUS EARUM CAUSA INSTITUTIS.

§. I.

Cruciatorum Expeditiones.

—

Ingens magnificumque obtulit aetas spectaculum in posteritatem omnem celeberrimum, Occidentem fere totum bellico ardore flagrantem, permotum a sedibus suis, et in auxilium Comneni Graecorum Imperatoris, adversus Muhamedanorum audaciam quae Europae universae impendebat, confluentem. Christianorum Principum animos cepit, qui divino istinctus spiritu habebatur, Petrus Ambianensis Sacerdos, solitarius homo et Eremita dictus, qui Hierusalem sanctam, quam Deus elegit, salutis incunabula, et patriam et sepulcrum Domini a Saracenis polluta, ac pessumdata illacrymans, aulas omnes clamoribus et querelis implevit (98). Quin et in duabus Synodis Placentina, et Claramontana an. 1095. ha-

(98) Huic Petro praeivit S. Gregorius VII, qui ad varios principes scripsit ut ad arma adversus Muhamedanos pararentur quod Gregorii consilium ab dissidio inter eum Pontificem et Henricum IV Imp. fuit interceptum.

bitis elata est Urbani II. vox (99), canes loca sancta ingressos, in quibus steterunt pedes Domini, in luto et in latere regale Sacerdotium servire, direptam haereditatem Dei, pollutum Templum ac Sanctuarium ; quemlibet itaque zelo Dei armandum, accingendum gladio super femur suum, ut dirumperentur Christianorum vincula, projiceretur jugum eorum (*in Ps.*) Neminem Pontificalis eloquii imperio non exsilientem facile putasses, adeo magna vis ac multitudo hominum arma arripuit, arma tos supraquam credibile est animos in Palestinae Tyrannos allatura piaculares Indulgentias pro stipendiis, pro militari tessera Crucis insigne, unde Cruciatorum, Cruciataeque expeditionis nomen. Verum in repentino ac tumultuario exercitu, in magna Petri Eremitae, aliorumque Ductorum imperitia, in locorum ignoratione, nihil, praeter egregiam plerorumque voluntatem, in primis ausibus gloriandum fuit, innumerae barbarorum insidiae nostrorumque interneciones perdolendae.

§. II.

Primi Expeditionum Successus.

Major in Ducibus praestantia reique militaris

(99) Cff. Fulcherius Carnotensis in Hist. Hierosolymitana apud Du-Chesne T. IV. pag. 816. Lutetiae Parisior. 1641. Guibertus Abbas in Hist. Hieros. p. 479. T. I. operis – Gesta Dei per Francos sive Orientalium expeditionum et Regni Francorum Hierosolymitani historia a variis sed illius aevi scriptoribus, litteris commendata – Hanoviae 1611. Acta Concil. ap. Harduinum T. VI. §. II. p. 1711.

peritia fortunam belli amplificavit, quam tuebantur Godofredus (100) Bullionaeus (101) Lotharingiae Dux cum fortissimis per eam aetatem Imperatoribus facile conferendus, hujus frater Balduinus, Raymundus Tolosae Comes, Robertus Flandrus, Robertus alter Normanniae Dux, Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater, Boamundus Apuliae et Calabriae Princeps (102). Ab hisce Constantinopolim per varia itinera conventum est, et jubente Godofredo, in quo summa belli causaque omnis consistebat, Nicaea, urbs totius Bithyniae caput, et Medorum, Chaldeorum, Turcarum, Arabum et Saracenorum multitudine redundans, ad deditionem compulsa est. Inde per Asiam minorem in Syriam progressi ad Antiochiam accessere, qua demum recepta, Boamundum Apuliae Ducem auxere anno 1098. Edessa quoque occupata donatus est Balduinus. Hisce tam feliciter praeclareque gestis, Hierosolymam victricia transferunt arma, et in eam omni acie omnibusque nervis contendunt, quam tandem, ferente id Numine, in libertatem vindicatam novi Hierosolymitani regni sedem constituunt, Godofredo Rege salutato (103) quem omni

(100) Vel Godefridus.

(101) Vel Bolionius ex Eustachio Bononiensi, et Ida Godefridi Gibbosi sorore natus.

(102) Cff. Scriptores a Bongarsio editi, quibus titulus - Gesta Dei per Francos etc. - in sup. n. (99) cit.

(103) Cf. Guillelmus Tyrius Lib. IX. c. 1-15. Apud Bongarsium cit.

Imperio dignissimum inclyta justitia et virtus, recens nobilisque imprimis triumphus, eximiumque pietatis modestiaeque indicium commendavit. A corona enim aurea se se excusavit reveritus spineam quam humanae salutis Redemptor eodem in loco gestaverat. Huic ad supernas Sedes erecto suffectus est Balduinus frater Princeps Edessenorum qui regium insigne, et nomen assumpsit (104).

§. III.

Varia Expeditionum sacrarum Fortuna.

—

Sed non diu hisce rerum exordiis laetandum fuit, quae adversae vices exceperunt. Plerisque enim ad patriam remeantibus qui summa contentione dimicaverant, Godofredo extincto cum selectissimis factionis suae privatis apud Christianos eos duces rationibus, magisquam communis salus, invalescentibus, brevi factum est, ut desertos viribus, excidentes fama, virtutis impotes, rabidus, qui nova jamdiu anhelabat, Mahumedanorum furor adoriretur. Res igitur redit ad arma, quibus Christiani Proceres post praelium bene pugnatum Edessam captam ab *Atabek Zenghi* (apud veteres sacrae Expeditionis historias sanguinus audit) tamen protegere nequeunt. Qui eadem fata Antiochiae pertimescentes, propriisque opibus diffisi Romani Pontificis praesidium, et auxiliares Europaeorum Princi-

(104) Cf. cit. Guillelmus Tyrius ibid. lib. IX. c. 14. 15.

pum copias implorant. Dat faciles, quae filiis semper patent, aures Eugenius III. Pont. Maximus (105) aliam Expeditionem indicit anno 1146, eamque gravissimo sanctissimoque commendat nomini, Bernardo Claraevallensi Abbati (106). Hunc dedit Deus portentum in Israel, ut quae veterno torpere videbatur Italia, quae mollitie fluebat Gallia, quae hebescebat Germania unius fraterculi voce expergiscerentur. Id sane officii a se avertere studuit Bernardus, sed, jubente Pontifice, *praedicavit*, *Domino cooperante et confirmante sermonem signis;* inde et potentissimi Principes Conradus III. Germanorum Imperator (107) Ludovicus VII. Francorum Rex in aciem prodiere infinitaque hominum multitudo huic militiae nomen dedit. Cruce signatus exercitus uterque in Palaestinam convenit, et mense Novembris anno 1148. castra posuit apud Nicaeam. Verum inscrutabilia judicia Dei tanto rerum apparatui successus non aequarunt; nostri partim inedia, fameque imminuti, partim ex innumeris insidiis excepti, partim quoque interempti, et (quod exitiosissimae pestis instar accessit) summi Duces discordiis consumpti sunt, quarum non alius, ut optime Cicero, solet esse exitus inter claros et po-

(105) Cf. Otho Frisingensis de Gestis Friderici I. Imp. Lib. I. c. XXXIV. pag. 668. c. XLV. pag. 676. c. LVIII. et LX. pag. 691. et seq. ext. T. VI. Rer. Ital. Muratorii; Mediolani 1725.

(106) Cf. ut supra c. XLI. pag. 673.

(107) Varias aerumnas quas cruciati passi sunt in altera expeditione, describit citatus Otho Frisingensis c. XLV. l. c. p. 676. et seq.

tentes viros, nisi aut universus interitus aut victoris dominatus. Haec captans Dux barbarorum fortissimus Salahedin quem Latini Saladinum dicunt in Christianos irruit, immania quaeque intentat tela Guidonem Lusinianum Hierosolymorum Regem an. 1187 oppugnat et capit: sacrilegus barbarorum furor in mystica Urbe in verenda humanae reparationis sede debacchatur (108).

(108) Cff. jam sup. laud. Scriptores, et quos citat Leonardus Offerhaus in Compendio Historiae Universalis P. II. Lib. VIII. c. XVI. §. 7. in notis. Injustas fuisse sacras hasce expeditiones, et innumeras attulisse calamitates praesertim in Europam, post Albigenses et Waldenses, dixere Protestantes, ii qui Politici dicuntur et tandem patrum nostrorum memoria increduli, inter quos principem habet locum Voltairius quo nemo furiosior in hoc argumenti genere versatus est. Nos breviter primum de justitia, deinde de harum expeditionum bonis loquemur. Muhamedani injuste Imperatorum graecorum provincias occupaverant, iique veluti Tyranni habebantur. Muhamedani ultimum graeco imperio minabantur exitium, unde Alexii Comneni precibus defatigatus est Urbanus II. qui cum eo foedus iniit. Jure Alexius potiebatur imperio, jure foedus inire poterat, jure Principes arma pro foederato sumere poterant, ergo justissima dicenda est prima expeditio. Verum si haec justa, et ceterae justissimae dicendae sunt. Victis enim fugatisque hostibus, jure belli Occidentales principes Muhamedanorum Provincias occuparunt in iisque dominari et in iis defendendis Turcas depellere profligare, foederatorum suorum auxilium exposcere implorare suscipere. Quid, si Turcarum animus perpendatur, qui Christianis damna inferentes, non solum in suis provinciis nostros exagitabant sed universae Europae, huic Urbi nominis Christiani sanctissimae Sedi atque domicilio extremam perniciem minabantur? quare non alienam propugnasse causam dicendi sunt Cruciati, sed propriam, atque a periculo quod sibimetipsis impendebat omnino declinare voluisse, quod juri naturae et gentium consonum videtur. Videantur conciones Urbani II. R. P. in Claramontana Synodo habitae pag. 835. T. XII. Labbei. Venetiis 1730. Ad bona quod attinet. Imminebant Muhamedani imperio CP., vastitatem et

exitium minabantur Europae. Utrique malo remedium sacrae expeditiones attulerunt; et imperium graecum licet fractum, per tercentos tamen annos post primam expeditionem stetit, et Europae provinciae a barbaris sunt liberatae. Nihil dicam de intestinis civilibusque discordiis, et bellis per hasce expeditiones in Europa sopitis, extinctis, quamvis hisce malis remedium aliquod attulerat *Tregua Dei* qua quibusdam hebdomadae diebus nemini licebat inimicos lacessere, sed haberi debebant hi dies veluti dissidiorum induciae. Quae *tregua* hominum furorem extenuavit, non extinxit. Per sacras expeditiones restituta fuit regia potestas, molestorum hominum dominatus eversus, feuda pene extincta, plurimaque alia inde fluxere commoda in rempublicam. Hinc Veneti, Ligures, Pisani, Florentini, Itali omnes in navigando peritissimi, hinc opes, literarum studia, humanitas omnis, agrorum cultura in Germania praesertim, industriae et alacritatis initia ob consuetudinem cum Graecis. Inepte autem Voltairius proponit ad mala exageranda, ob sacra bella valde hominum numerum in Europa fuisse imminutum, cum vicies centena hominum millia circiter in his perierint, insuper alterum malum invenit de quo etiam Fleuryus, in veteri poenitentiae Canonicae disciplina pene deleta per plenarias illas Indulgentias quas Romani Pontifices concesserunt iis qui sacra bella (ut ajunt) susciperent. Quoad hominum numerum verum quidem est si de iis intelligatur qui Hierosolymitanam expeditionem suscepere: hi autem non omnes in bello interierunt, plures in Europam, confecto bello, rediisse testatur historia. Verum ob rerum inopiam, pestem, Graecorum fraudem, hostium crudelitatem, aliasque causas plures interiisse et nos fatemur, quamquam etsi omnes interiissent, tanta non erat caedes ut Europae vastitas et solitudo consequeretur ut Voltairius putat. Perpendendum enim est tempus quod fluxit in hisce sacris expeditionibus conficiendis, ducenti circiter anni, cujus temporis ratio si habeatur patebit rationibus subductis vix decem hominum millia singulis annis periisse; quae jactura exigua putanda est, habita ratione ad Europam universam. Tandem quoad Ecclesiasticam disciplinam, non inficiamur aliquid contulisse hasce expeditiones ad veterem poenitentiae Canonicae disciplinam abrogandam, omnem vero abrogationem ab iis minime repetendam esse judicamus. Superiori enim aetate fuerat jam debilitata; ante sacra bella sacris peregrinationibus, sumptibus in opera sacra vel publica, eleemosynis, Missarum celebratione, aliqua ex parte poenitentia Canonica redimebatur. E contra si id sa-

§. IV.

Aliae expeditionum vices.

—

Fregit omnium animos, occidentales plagas omnes implevit Solymorum expugnatio, et servitus, pontificales vero spiritus continere non potuit, qui ex ipsa miseratione augeri videbantur. Clemens itaque III sacrorum omnium Antistes dat litteras, preces adhibet ad Europaeos reges, aerumnarum magnitudinem proponit, quae eos in arma revocare debeat. Et quia tempus cunctatione, et segnitie a principibus terebatur, Petri Blesensis vox, Claraevallensem Bernardum imitans, vox dolentis increpantisque, late personuit. Germanorum itaque exercitum conscribit anno 1189. Fridericus Imperator Aenhobarbus dictus, et pericula adiens innumera, molestias maximas trahens in minorem Asiam tandem pervenit. Barbarorum copiae ad Iconium prostratae,

cris expeditionibus pro aliqua parte sit tribuendum prae oculis habeatur Indulgentiam plenariam plures ad sanctiorem vitam revocasse, ut optime observat S. Bernardus ep. 363. juxta edit. Maurinam - Paris. 1719. pag. 329. Praeter citatos scriptores in superioribus notis, conferantur Jacobus de Vitriaco Can Reg. in Hist. Hierosolymitana, ext. in opere - Gesta Dei per Francos jam cit. p. 1047. - Nonnotte in op. gallice exarata et in italicam linguam versa a Bonso Pio Bonsi et inscripta - *Gli Errori di Voltaire* - Firenze 1773. cap. XVIII. pag. 133. T. I. Michaud in historia gallice exscripta et italice versa ab Aloysio Rossi, cui titulus - Storia delle Crociate - Firenze 1830. praesertim consulatur liber XX. pag. 483. et seqq. Vol. VI. et opus anonymum (M. Mailly) inscriptum *Esprit des Croisades* à Dijon 1780.

Cruciatorum progressio in Syriam spem christiano populo ostendunt, hostibus timorem injiciunt. Sed utrumque decidit cum insequenti anno inferioris peragrans Imperator Armeniae partes in Saleph flumen, dum corpus ablueret, vel, ut aliis placet, nando trajiceret, demersus est: quod luctuosum suis, Principibus acerbum, omnibus gravissimum accidit. Subest totius militiae, aliarumque aerumnarum pondus Conradus filius, quo oppressus et ipse vita decedit. Meliori fortuna usi sunt Philippus Augustus Francorum Rex, et Richardus cognomento Cor-Leonis Rex Angliae ad Palaestinas oras cum delectissimo exercitu appulsi, quorum alter brevi in Europam rediit, Richardum vero praelia haud pauca cum Saladino egregie confecta, Jaffa et Caesaraea Palestinorum urbes expugnatae nobilitarunt; quod profecto increvisset hominis decus nisi turpiter a Gallis Italisque desertus, aliisque de causis compulsus inducias in annos tres totidemque menses ac dies cum Saladino pepigisset (109).

§. V.

Constantinopolitanum Latinorum Imperium.

—

Qui regebat Israel, Innocentius hujus nominis III. summopere intendit ut nova hominum ac

(109) Cf. sup. cit. Michaud.

virium conspiratio Terram Sanctam peteret, atque ingens belli apparatus, initum a Gallis proceribus una cum Venetis faedus, auxiliorumque consociatio, solventes feliciter naves, quae spes omnium gerebant, Pontificiae sollicitudini respondere videbantur. At contra votum Innocentii factum est ut in Graecos potiusquam in Palaestinorum fines diverterint christiani principes permoti precibus, illecti pollicitis Alexii, adolescentis regii Constantinopolitanum solium contra domesticas injurias repetentis, quem, ea urbe an. 1203. expugnata, in fasces imperii vindicarunt. Filii Ephrem ab Innocentio vocati sunt qui intendentes arcum et mittentes sagittas sicut in die belli conversi, a proposito recesserint et qui non ad causam Isaaci Alexiive cognoscendam, non ad eorum sed ad Christi injurias ulciscendas Crucis vexilla extollere debuissent: tantae molis erat apud Pontificem Palaestinae libertas, cui Constantinopolitanum triumphum et consectatrices opes posthaberet. Non ea autem deinde erga Christianos Principes Alexii voluntas se se praebuit, quam amissae dignitatis restitutores praestolati fuerant: neque ii Graecorum animi, qui auctores quietis et tranquillitatis complecterentur. Novae turbulentis populi seditiones, ausus nefarii, scelesta Marzuffi (vel Marculfi) facinora, cruentae Isaaci, Alexiique fiii neces, crebrae indebitae potestatis captationes, ultricia Latinorum arma consequenti anno illuc revocarunt. Ab hisce civitas totius Orientis

imperatrix, fundatoris nomine insignis, monumentis pietatis omnigenae, regiique splendoris celeberrima, obsidione clausa, et prid. Id. Aprilis an. 1204, capta, Alexiique Ducas, qui in fugam versus est, insolentia ac libidine liberata. Atque ut Imperatoria sedes criminibus eousque contaminata, ac sanguine polluta honestaretur, Balduinum Flandriae comitem, Carolo M. gentilem, recenti gloria, honorum contemptu spectabilem diademate ornarunt. Qui maximum incaeptae magnitudinis fundamentum esse ratus si religionem ea, qua praecellebat, pietate foveret, litteras demissi devotique animi testes, donaria item magnifica Pontifici dedit, rogans simul ut Orientalem Ecclesiam augustissima praesentia decorare, sibique arctius devincire vellet. Neque id unquam praetermisit, ut Latina instituta, accitis ab Occidente Sacricolis, eo libenter reciperentur. At ingenia Graecorum inquieta, consiliaque turbida alios atque alios contra Balduinum suscitabant, iisque innixus Theodorus quidam Lascaris Nicaea potitus est, illius divisionis auctor, quae Imperatores duos, Graecum Nicaeae, Latinum Constantinopoli sedentes in posterum dedit (110).

§. VI.

Equestres Ordines sacrarum Expeditionum causa instituti.

—

In hisce belli contentionibus Equestres Ordi-

(110) Cf. sup. cit. Michaud.

nes prodiere, et hoc sibi merito vindicat insignis cujuslibet instituti genitrix ac custos Ecclesia Dei, ut equites Hierosolymarii qui propugnandae Fidei jurejurando obstringebantur, statis etiam orandi formulis, jejuniis, ritibus, perpetuoque caelibatu detinerentur, atque res quoque militaris ad Religionis obsequium praesidiumque referretur. Celeberrima fama praestant Equites Hierosolymarii, Joannis Baptistae cultores, Melitenses etiam appellati (111). Horum initia ab eximia caritate repetuntur, qua ducti Latini nonnulli egenis et aegrotantibus hospitalem domum condiderant Hierosolymis, viatorum quoque ac peregrinantium adjutores optime merentes, et a Christianis principibus qui Palaestinam ingrediebantur, opibus ditati, et honorifice habiti. Qui (112) a Raymundo Dupuy (113) (hic supremi Magistri nomen assumpsit) suffragante Balduino II. Hierosolymorum Rege, comprobante Pontifice (114) in equestrem ordinem redacti Cruciatorum numerum et triumphos mirum in modum auxere (115). Hi Europaeae inter barbaros fortu-

(111) Quia Melitam Africi maris insulam Carolus V. Imp. an. 1530. iis condonaverat post captam Rhodiensem insulam ab Solimano.

(112) Circa annum 1120

(113) De Podio. Ante eum B. Gerardus.

(114) Calixto II.

(115) Hujus ordinis tres classes fuere institutae et ab Innocentio II. R. P. confirmatae an. 1130: primae adscribebantur equites nobiles in sacris expeditionibus pugnantes, alteri praesbyteri pro sacris, tertiae fratres ministrantes vel in hospitiis infirmorum curam habentes, vel in bello equitibus socii.

nae tutores, domitores Turcarum, Rhodiensis insulae (116) quater obsessae tenacissimi: magnum horum nomen, magna dignitas, magna majestas (117).

§. VII.

Templariorum Ordo.

—

Mirabilem progressione, notissimum exitu Ordinem auspicata est sodalitas quaedam Deo, juxta regularem Canonicorum disciplinam Hierosolymis dicata anno 1118, in qua (118) Hugo de Paganis, et Godofredus a S. Audomano primas partes agebant. Haec a domo prope Salomonis templum a Balduino II. donato apud omnes Templariorum nomen accepit. Studium et ardor eripiendi ab infidelium ausibus ac manibus peregrinos, viaeque expediendae iis qui iter ac salutare solum suscepissent (in haec praecipue incumbebant) principum voluntates easque beneficentissimas erga ordinem inclinarunt, multoque magis posteaquam ad certas

(116) Unde iis nomen etiam Rhodiensium.

(117) Vidd. Honoratus a S. Maria in opere gallice exarato et in italicam linguam verso, et inscripto - Dissertazioni storiche, e critiche sopra la Cavalleria antica e moderna secolare e regolare - Brescia 1761. pag. 239. - Paulus Antonius Paoli - dell'Origine ed Istituto del s. militare Ordine di S. Gio. Battista etc. - Dissertazioni: Roma 1781. et tandem consulatur Sebastianus Pauli in - Codice diplomatico del s. militare Ordine gerosolimitano. Lucca 1737.

(118) Una cum aliis octo nobilibus Gallis qui anno 1118 tribus votis emissis coram Patriarcha Hierosolymitano Canonicorum Regularium ordini se obstrinxerunt.

regulas, ac praescripta, quibus Bernardus etiam labores attulit, omnia exacta sunt. Opibus possessionibus edificiis ordinem, quam qui maxime, auctum fortuna a pristinis institutis dimovit, insolentia postea extulit, audacia demum armavit, conspirans principum indignatio evulsit. (119).

§. VIII.

Ordo Teutonicus.



Fortissima Germanorum phalanx, quae tum praeliis multis, tum praecipue in obsidione urbis Acrae seu Ptolemaidis valde inclaruerat equestris disciplinae initia accepit, et militia S. Mariae in Monte Sion appellari quoque consuevit (120). Hisce vitae ratio hospitalis ac bellica : leges Hierosolymariis, Templariisque proximae, et D. Augustini Regulam spectantes. Hae autem laudes, quod crebros scilicet Turcarum impetus ab interiori Europa arcuerint, borealibus invasoribus obstiterint, Prussos, hominum genus id temporis agreste et rapax, ad mansuetudinem, civilemque cultum, civitatibus extructis, jure legibusque munitis, indigna demum beneficiorum vice, perduxerint. Plurimum roboris

(119) Vidd. Guillelmus Tyrius in op. *Gesta Dei per Francos* j. c. Nicolaus Gürtler in - Historia Templariorum - Amstelodami 1702. et Dupuy in - *Histoire des Templiers etc.* - Paris 1650.

(120) Hujus ordinis institutio et confirmatio facta fuit sub Henrico VI. Rege Romanorum ab Caelestino III. R. P.

etiam, ac regia quaedam magnitudo Teutonicis accessit, queis vires suas conjunxit anno 1238, Friderico II. Imperatore, et Gregorio IX. annuentibus, Ordo Ensiferorum aut Gladiferorum, originem suam vel ab anno salutis 1204. sortitus. Consensio ejusmodi extirpationem Paganorum in Livonia properare visa est: dissensio cum nonnullis illius regionis Episcopis retardavit (121).

§. IX.

Ordines Hispanici,

—

Hispania, quae pietatem militaremque virtutem semper aluit, lectissimos quoque ordines dedit. Calatravae (122) militia origines ducit ab invicta hujusce oppidi defensione adversus Maurorum turbas quam pavidis omnium animis monachi duo Cistercienses Raymundus (123) Fiterii Abbas, et Diegus Velasquius susceperunt: magno quoque illuc facto militum ac Procerum concursu, auctis

(121) Cff. Raymundus Duellius Can. Reg. Lat. in - Historia Ordinis equitum Teutonicorum hospitalis S. M. V. Hierosolymitani - Viennae Austriae 1727. - Jac. de Vitriaco in cit. hist. Hierosolym. c. 66. Honoratus a S. Maria jam cit. pag. 262. Petrus Dusburg in Chronico Ordinis Teutonici cum ejusdem Ordinis privilegiis, et antiquitatibus Prussicis - Francofurti 1679.

(122) Cf. Clarus de Torres in - Historia de las Ordenes de San Jago, Calatrave y Alcantara - Madrid 1629.

(123) Cf. Girus Mascarennas in - Vida de Raymundo fundador de la Caballeria de Calatrava - Madrid 1653.

loci munitionibus, Mauros terror coepit, fugavitque. Inde Calatravae Principatus ab eximia Regum Hispaniensium fide Mariae Virgini Deiparae oblatus: propugnatores equestri munere atque honore praediti, regularique disciplinae, quam Alexander III. Romanus Pontifex ann. 1104. firmavit, obstricti partae antea famae postea non impares. Vix autem D. Jacobi sepulcrum exteros undique advocare caepit, itineris difficultatibus, locorum asperitati occurrit caritas Canonicorum S. Eligii, et hospitiis hic atque illuc aedificatis, viis patefactis, peregrinis interdum viatico instructis tuta omnia ac commoda praestitit. Inde Principum opes huic Instituto impertitae, militum plurium ac nobilium frequentia eidem consociata cum equestris ordinis dignitatem efflagitarent, hanc, ad normam et leges Canonicorum regularium S. Augustini anno 1175. Pontificia Diplomata attulerunt. Militiae nomen S. Jacobi, insigne autem in veste alba crux rubra in gladii militaris speciem. Habuit et Alcantara militiam suam, habuere in Hispania regiones aliae, quas praeclara facinora, ac indesinens patriae religionis tuendae studium nobilitarunt. Caeterum equestres ordines haud paucos a nobis praetermissos haeroicae, quas percurrimus, aetates dederunt. Militia hoc pacto ad religionem versa monasticas referens disciplinas neque eadem segnis et imbellis sed alacris, cunctisque hostibus metuenda duo statim evincit, roboratas ex Christiana

integritate hominum vires, et ex bellico ardore, ex decora procerum aemulatione novum Fidei praesidium ab Apostolica Sede paratum (124).

(124) Vidd. Andreas Mendo de ordinibus militaribus Lugduni 1668. Petrus de Belloy - De l'Origine et Institution de divers Ordres de Chevalerie - Paris 1613. Hermant - Histoire des Religions ou Ordres militaires de l'Eglise. Rouen 1698. Bernardus Justiniano - Historie cronologiche della vera Origine di tutti gli Ordini equestri, e Religioni cavalleresche. - Venetia 1672. aliique.

CAPUT III.

DE PERSECUTIONIBUS IN CHRISTIANOS EXCITATIS.

§. I.

Persecutio in Hispania.

—

Cladibus pressam ac pene aliquando obrutam haec Periodus ostendit Ecclesiam, malorumque labem, fallacissimam barbarorum gentem, quae non a Christianae modo professionis excellentia, sed et a civili cultu longe aberat. Miserrima e vestigio se praebet Hispaniae facies, quam Saracenorum turba ac colluvione faedatam longa aetas abstergere non valuit. Magna ab ejusmodi imperio tenebatur Hispaniarum pars, Corduba totius dominationis sede constituta, et licet tollerabilis eorum videretur conditio, queis et libertas filiorum Dei et jugum barbarorum inerat, commotae nihilominus identidem hostilem in modum vexationes infestos omnino saevosque animos prodiderant. Verum nulla vehementior antea Christianae plebi calamitas quam quae ab anno 850. allata est, eaque ex aperta veritatis confessione quam barbari non pertimescentes modo, sed perhorrescentes excipiebant. Rogatus enim a Saracenis quibusdam Perfectus presbyter

Cordubensis sententiam suam de Mahumede ejusque placitis, hanc viro Catholico dignam protulit, inquinatissimum hominem, et pseudo-Prophetam se se aversari professus: ea vox mortem illi ab indignantibus insanoque furore captis conscivit. Quam Mahumedis detestationem cum Monachi plures Perfectum secuti in barbarorum coetu iteravissent, pars eodem supplicio affecti, pars conjecti in vincula, pars quaestoriae severitati traditi, indebitas poenas, hostium (id melius dixeris) sitim explebant (125).

§. II.

Persecutionis ejusdem vis et diuturnitas.

—

Sed inexplebilis omnino erat barbarorum sitis, quam Christianae plebis luctus incendere videbatur: parabantur horrenda spectacula Cordubae, quae palestra martyrum facta, athletas Christi in dies proferebat, et ubi erat cubile draconum (*Is.* 35.), iniqua scilicet Saracenorum sedes, illic flores Monachorum, certamina et cruces apparuerunt. Is erat animus, id consilium Abderrahmani Regis (126), ut Christianorum nomine deleto, superis gratum fieret, et religionis dissidio sublato, firmaretur imperium. Cum autem quot Christi occumberent milites, tot

(125) Cf. Joannes Mariana in Hist. de rebus Hispaniae lib. VII. c. XV. pag. 286. Hagae Comitum 1733.

(126) Hujus nominis alterius.

erigerentur invisae Religionis trophaea, ideoque tot ignominiae notis perfida tyrannis se se inustam sentiret, Martyrii honorem prosternere statuit, quae martyrum virtutem frangere non potuerat. Hinc Episcopos nonnullos Cordubae non in Spiritu Sancto, sed in nefarium concilium cogit Abderrahmanus, a quo depressa et damnata gloriosa eousque Christianae legis confessio quippe quae nulla hactenus miracula, nulla hominum corpora incorrupta edidisset, neque necessitati, sed pervicaciae innixa, neque charitate ac zelo, sed conviciis ac contumeliis fervescens religioni ac tranquillitati magis obesse quam prodesse videretur. Ita quae voces confirmare debuissent fratres, confirmarunt hostes, et nil profecto ad Christianae societatis conditionem acerbius hoc rerum discrimine in quo pastores gregis viam direptoribus facerent, direptores et ipsi. Nec regis mors, quae non sine indiciis divinae ultionis contigerat, calamitates cohibuit, quas Mahomad filius (127) haud degener intulit: graviora inlaturus profecto nisi intestina dissidia, crebrae contentiones, et consilia domestica ejus furorem identidem avertissent. Haec et alia quae dein successere certamina nobilissimas martyrum coronas dederunt; viri siquidem doctrina summaque pietate insignes fidem suam Numini Christo probarunt, quos in monastica solitudine absconderat Deus tam-

(127) Cf. ut sup.

quam in pharetra sua (*Jer.* 49.) futuros aliquando sagittas acutas in manu potentis: hosce inter Eulogius (128) Abbas S. Zoili, vir omni virtute praeditus, iliadis miserrimae testis, enarrator, ac victima. Verum non minus doloris ac luctus Ecclesiae fuit ab aliorum defectionibus, quos fidissimos sibi respondere debuisset, honoribus ac muneribus obstrictos: paleas horreo dominico inutiles persecutionis ventilabrum jactavit (129).

§. III.

Italiam impetunt Saraceni.

—

Non Hispaniae modo, sed Galliae etiam barbarorum injuriis, atque ictibus subjectae sunt: per Rhodanum immissi et ad Arelatem usque progressi vexando omnia ac diripiendo terruerant animos. Versa praeterea in Corsicam insulam, et in Italiam tempestas florentes ibidem populos turbare caepit, atque huc et illuc effusa, in alteram modo atque in alteram plagam incumbens, ea ubique furoris indicia reliquit, quae cum haud multum rem nostram intersint, pergrato nobis Italae telluris alumnis silentio praeterimus. Verum nulla conticescet historia captam anno 827. fraude Siciliam,

(128) Ibid. pag. 287.

(129) Cff. Bollandiani ad diem 11. Martii T. II. p. 88. Venetiis 1735. et pag. 328. ad diem XIII. Martii cit. T. ubi de martyribus Ruderico Presbytero et Salomone.

quam Euphemius Dux ob sacrae virginis raptum in Affricam perfuga, nomenque affectans imperatorium, avidis rapacibusque Saracenorum tradidit manibus. Eam sibi januam esse putarunt barbari, qua tota Italia pateret: hinc crebris excursibus Brutium, Samnium, Apuliam et Campaniam populantur, et cum in nonnullis harum regionum civitatibus et oppidis pedem posuerint, non impressa leviter, sed in omnium memoriam fixa eorum vestigia nos edocent, quid reliquae Italiae, iis dominis, subeundum fuisset. Spem praedae ac vastationis sequentes accedunt ad Urbis maenia quae eorum impetum a se quidem repellere, suburbana vero nonnulla, et in hisce Vaticanum agrum, Basilicamque hoc nomine insignem a direptione et latrocinio tueri non potuit (130).

§. IV.

Persecutio apud Orientales populos.

—

Haud minus dira atque intolleranda barbaries Orientales provincias adorsa fuerat, et acrius quam alibi religionem insectabatur. Omittimus Cretensem

(130) Hisce incensio Lunae, et per omnem Italiam terror successit, quem virium imbecillitas infeliciter quoque periclitata confirmavit. Hunc vero terrorem, si qui maxime, debilitare conati sunt perpetui Italicae tranquillitatis assertores Romani Pontifices, Gregorius IV. praesertim, Leo IV. Joannes VIII. et X. qui et Urbem et ceteras provincias omni studio sospitarunt.

insulam, quam Saraceni, Michaele Balbo Graeciae imperante, ex Hispaniis digressi praedam fecerant, et usque ad Nicephorum Phocam qui eam vindicavit, obtinuerunt: nil gravius, religionis jactura, infelix regio perpeti potuit. Provincias, quae orientem spectabant solem, prae ceteris dolet historia, acerbissimum Muhamedanorum jugum, armatam eorum superstitionem pro Christiana veritate invalescentem, nostrorum defectiones, inflictasque alias Ecclesiae cicatrices, ingratam sane memoriam, refricando. At nullibi tanta in Christi plebem audacia furebant, tot anhelabant scelera immanes illae barbarorum turbae, quantum in Palaestina, et quam humanae redemptionis monimenta, et Christianae religionis incunabula nobilitaverant, non modo a pristino decore, sed et ab omnium mentibus, depellere grex hominum faedissimus conabatur. Perduram hujusmodi servitutem nemo non defleat, qui Hierosolymitanam Ecclesiam Romanae universali Ecclesiae opem non modo petentem sed efflagitantem, et epistolam illius Ecclesiae nomine a Silvestro II. Pontifice conscriptam audierit. Plorat Jerusalem hic vagientis, illic edocentis, et miracula patrantis Dei vestigia, loca ejusdem poenis insignia nunc vero conculcata et protrita; sepulcri cujus gloriam praececinit Isaias: *Erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Is.* 11.) contemptam gloriam, avulsam religionem;, quae vehemens profecto erat Christianis Principibus incitatio

ad faedus contra Muhamedanorum copias ineundum (131).

§. V.

Aliae Persecutionis vices.

Ex secundis rebus effrenatus ac praeceps in dies Saracenorum furor: potiti enim Amorio, Phrygia urbe, civium plurimorum in ipsa expugnatione peragunt caedem, reliquis ostentant (quae postea per eximiam catholicae confessionis constantiam secuta est), cum in Ecclesiae fide perstitissent. Eadem malorum colluvies, eadem Religionis conflictatio caeteras omnes Provincias minitabatur, fortasse etiam perculisset, ni Theophili et Nicephori Imperatorum arma tam violentos ac horribiles impetus retardassent, nisi (quod magis favit) simultates et odia tacitis primum inter Saracenos discordiis contenta, in seditionem ac bellum deinde erupta, et duobus Caliphis, alter in alterum, insurgentibus, animorum distractio vim persecutionis ac robur attenuassent. Potentiam praeterea minime ferendam labefactare conati sunt Graeci, et Romani, feliciori tamen successu saeculo X. Turcae. At nil pro Religione, qui enim Saracenos lacerabant, eorumque sanguine cruentabantur, impia et ipsi superstitione in Christianum gregem rapiebantur,

(131) Cff. Scriptores graeci in Bibliotheca Byzantina.

inito veluti faedere teterrima miseriarum mole eundem opprimebant. Adeo verum est errores quam facile erroribus, hisce vero numquam veritatem sociari (132).

§. VI.

Normannorum Infestationes.

—

Inimica Ecclesiae barbaries boreales provincias infuscabat, ex quibus Normanni Daniam, Norvegiam, Sveciam orasque Baltici maris incolentes, latrociniis sueti et piraticae dediti, Germanica littora et Gallica praedatoriis navibus, cum adhuc Carolus Magnus in vivis esset, tentabant. Quorum conatus, instructis castris, castrorumque Ducibus, refutavit Caesar, repressitque Ludovicus Pius parentis successor. At Ludovici mors, divisioque regni inter ejus filios opportunitatem fecit crebrium in Germaniam, Britanniam, Frisiam, Galliamque praesertim excursationum, quarum non populatricem modo violentiam, sed ferrum ac ignem gentes illae omnes cohorruere. Terror in regales quoque animos descendere visus est; neque enim hanc pestem avertere potuerunt viri in Europa Principes, sed, (cum Lotharius et Carolus Calvus plures Northmannis terras ad incolendum concesserint) illius visceribus inhaerere passi sunt. Alebatur furor impunitate, do-

(132) Cff. ut supra.

nec feliciori quam antea, exitu in eum contenderunt anno 879. Ludovicus Ludovici Germaniae Regis filius et Austrasiae Rex, et Arnulphus qui postea imperium gessit, et Henricus imprimis Aucupes qui anno circiter 950. Gormonem hostem Christiani nominis acerbissimum religionisque in Dania insectatorem ad incitas redegit. Interdum etiam per faedera, amicasque testificationes emolliti hostium animi; et Carolum Crassum magno cum dedecore iis indulgentem libenti silentio praetermittentes, alterum cognomento Simplicem Carolum Galliarum Regem meminimus, qui Rollonem Northmannorum Ducem militari virtute inlustrem, metuendumque, nonnullis terris an. 912. augere prudentiae suae putavit esse; religionis autem spectatique exempli eundem ad Catholicam Fidem, Gisla filia nuptum tradita, concitare (133).

§. VII.

Slavi, Bohemi, et Hungari.

—

A Slavis, Bohemis, aliisque finitimis gentibus plurimum laboravit Ecclesia. Hi enim omnes vel in magna rerum ignoratione, obscuritateque demersi, Christianae justitiae vim et naturam haud satis perspectam vel eandem agresti immanitati ferisque artibus insociabilem persequebantur. Post-

(133) Cff. nostrae notae supp. (66), (67), (68).

eaquam furor inter eorum fines versatus est, irruit in alienos, incendiis ac bello mitissimam omnium Religionem ad excidium vocans. Primae vero fuere Borussis, et Hungaris illius infestationis partes. Hungari (134) gens Scythica, animis ac viribus ferox, pulsi e sedibus suis primo quidem Arpade Duce, anno 892. Pannonicas aliasque solitudines peragrarunt, venatu, aucupiis, piscatuque victitantes, Graecis deinde armis confirmati Bulgarorum tranquillitatem, atque Alamanniam demum, Saxoniam, Turingiam, Italiam, et Gallias exagitarunt. Quos Christianae disciplinae ratio haud informaverat, praeibat terrifica flagitiorum fama, vexatae Ecclesiae, pressarum urbium lacrymae, et luctus subsequebantur. Hanc porro ad omne facinus audaciam eousque invictam compescuit primum Arnulphus filius Liutpoldi Bojariae Ducis, qui pacis faedera ipsis fecit cruenta admodum anno 913. caede prostratis, eorumque metu Christianum populum undique solvit. Vires inde suas feliciter expertus est Henricus, genere Saxo, filius Othonis Saxoniae Ducis, et Aucupes cognominatus, qui pace annorum novem observata, irruptum in Germanicas plagas eorum agmen an. 926. acriter adeo est insecutus, ut ab hoc ausu exciderint, ab aliis diutius abfuerint. Nec minus virtutis nacti sunt in Othone,

(134) Vid. Assemanus in Kal. Eccl. Univ. cit. T. III. part. II. cap. II. §§. III. IV. V. VI. et Tom. IV. part. I. c. I.

qui Enrico successerat, et Romae anno 962. a Joanne II. imperatorium diadema susceperat; hostiles enim tum civili tum christianae reipublicae hominum manus, plures equidem praelio caecidit, plures cruciatibns variis deinde affecit, et Bulogadem eorum Ducem, qui Fidem Christi per Baptismum Constantinopoli fuerat amplexus, eandemque postea sceleste ejuraverat, singulari justissimoque omnium supplicio tradidit (135).

§. VIII.

Alii boreales Populi.

—

Perardue, uti jam vidimus, apud boreales plagas, Evangelicae legis propagatio, praeconibus nostris virtutis ac constantiae, Christianis vero illic degentibus aerumnarum patientiaeque origo et materies. Infremuit enim vetus illa et eousque dominatrix barbaries, quum certa possessione deturbari et ad suavissimum Christi jugum se se pervocari sentiret, et paciferam Legem, infensum veluti hostem non modo armorum praesidio a se amovere, sed et apud finitimas gentes ferro igneque persequi contendit. Qui in barbara prae caeteris consuetudine versabantur, eos scelus ac furor incredibilis inflammavit. Lithuani, quorum Dii colubre, quorum superstitio crassior Aegyptiaca nonnullis visa est, Sla-

(135) Cf. Adamus Bremensis in Hist. Eccl. - Lugduni Batavorum 1595.

vi, Abotritae, Borussi vel Pruthenì, aliique Germaniae incolae Christianum nomen et in suis et apud confines oras ad exitium vocarunt, neque brevi id temporis intervallo, sed per saecula X., XI., XII., in eam rabiem assuetudo flagitiorum efferaverat animos. Quae vero immanitas Christifideles omnes multoque magis Pastores, caeterosque sacra quavis legatione fungentes exercuit. Quod enim laborum, aerumnarum, periculorum omnium studium Remberto, et Anschario Episcopis apud Slavos (136) aliosque populos confectum non novimus? Quid non insidiati sunt, quid non moliti Borussi in venerandum Pragensis Ecclesiae Antistitem, eorumque Evangelistam Adalbertum? hic cum, jam fratribus suis, in odium Christianae professionis interemptis, summo cruciatu an. 997. Martyr occumbens Paganorum sevitiem jam hausisse videretur, abscissum crudeliter caput, truncum corpus, membraque dilaniatum ludibrium insanientibus turbis exhibuit. Nil itaque Principibus antiquius erat, quam ut ferocia ingenia ad humanitatis sensus adducerent, quod cum a Religione nostra praestari viderent, pro ea decertare non dubitarunt. At inveterata ruditas omnem abhorrebat cultum, tumultus nefarii, ac truculenta facinora animos terruerant; inde Christianae veritatis propagatio retardata (137).

(136) Cf. Chronica Slavorum Hermoldi Presbyteri Buzoviensis - Francofurti 1581.

(137) Cf. Chronicon Ditmari Episcopi Merseburgis - Francofurti - ad Maenum 1580.

§. IX.

Subvertitur Christiana Respublica in Palaestina.

—

Ita premebatur in Occidentalibus provinciis Christifidelis populus nec minus, acriter, et cruente Orientalis regio seviebat. Pessumdabant enim quid quid Religionis esset in Palaestina Muhamedis sectatores, et Jerusalem sacratissimam non pristino dumtaxat cultu orbaverant, sed misero squalore perduraque servitute conficere nitebantur: frequentia jam ante veri Numinis templa sacrilego impetu subversa; pro Aris stabula, pro Sacellis popinae: quae inhonesta vis minime laederet, clausa, adeo ut vel nullus vel pollutus sacrorum aditus extaret: Christianorum vita inter insidias luctumque edita, ferro impetita, exsulari maerore, aliisque aerumnis consumpta. Quid tantum nefas? Vix divina hostia perlitasset sacerdos, ipse vero persecutorum gladiis humana hostia ante aram cedebatur. Haec obliqui caeteroquin erga Ecclesiam scriptores diserte eloquuntur, Urbanus autem II. omnium instar in suis ad Europeos proceres hortationibus pergravi sermone complectitur, et miserabiles integrans Jeremiae questus illatas Christiano nomini injurias vehementer expostulat (138).

(138) Ap. Labbeum T. XII. pag. 835. Venet. 1750.

§. X.

Muhamedani in Crucesignatos saeviunt.

—

Susceptae a Christianis Principibus, inclamante Pontifice, in Palaestinam expeditiones Muhamedanorum acuère furores, acuère gladios; barbaris, non quid Ecclesiae vindicarent commoti a sedibus suis Christi milites, sed quid furiali audaciae atque immanitati officerent secum tantummodo agitantibus. Qui priores itaque ad eas oras accesserunt Crucesignati, Petro Ambianensi, Eremita duce, manus hominum repentina, armorumque rudis, iis omnis Muhamedanorum vis ac ferocitas obeunda fuit: seorsum intercepti, vel conjunctim oppressi, ferro caesi, fame confecti, palati, fugatique, infelix laborum, calamitatisque auspicium inspectanti Europae protulere. Hinc certamen omne, victoriaque nostrorum omnis promiscua clade, sanguineque polluta quo immanior esset feritas, vel decidentis tyrannidis rabies, vel acerbum denique in Christianos odium animos exsulceraret. Repulit humanitatem crudelitas barbarorum Nicænam expugnationem indignata, et quotquot ante oculos darentur Christiana tantum professione, licet non lanea Cruce insigniti, sceleris victimas hausit, violatis virginibus, Sacricolis inter Sacra peremptis. Haec eadem tulit Antiochena obsidio, urgente praeterea Crucesignatos tam rabida fame, quae notissimas illas Sagunti-

nam Numantinamque dicitur superasse, ingentemque sacri agminis partem miserandum in modum enecavit (139).

§. XI.

Grecorum Injuriae.

Ad haec, Graecorum ingenia varia, et ad fallendum nullo non tempore paratissina ex amicitia et faedere in simultates conversa; qua in re haerendum putamus an ipsum versutiae genus tam insidiose, mirabilique scelere conflatae, an damna in nostros patrata majori detestatione habenda sint. Qui enim catholicos milites prolabentis Imperii sospites adversus Muhamedanorum conatus sortiti fuerant, secunda illorum fortuna livescentes, suspiciosi, et anxii, fidem (nil magis gentile) turpiter immutantes una cum Muhamedanorum grege in nostrorum perniciem conspirare maluerunt: infestationis autem genus omnino graecum, at nostris tamen valde noxium, aucupia, decipula, segregatae identidem dimicationes, haeque deinde pro Turcarum exemplis, acerrimae, et exitiales. Hoc igitur pacto et Muhamedanorum atrocitas, et inexsolubiles Grecorum fraudes Ecclesiae adversabantur: veterrimum utrumque, iis fere cognatum gentibus, quod Scriptoribus non-

(139) Conferantur Scriptores a nobis citati in cap. II. ubi de sacris Expeditionibus.

nullis aequo animo inspectum vellemus, aequius inde judicium de sacris expeditionibus prodiisset, nec praepropero, ut ajunt, Catholicorum furori tam leviter daretur, quod spectabilis erga domum Dei zelus, ac vindex gladii potestas neque temere, neque arroganter, sibi adjudicavit. (140).

(140) Cf. nostra nota sup. (108).



INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.



D. PAULI DELSIGNORE

CAN. REG. LAT.

INSTITUTIONES
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ N. T.

QUAS

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS

ILLUSTRAVIT

D. VINCENTIUS TIZZANI

EJUSD. CONGR.

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO
HIST. ECCL. ET ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM
DOCTOR DECURIALIS
E COLLEGIO THEOLOGORUM URBIS

—

PERIODUS TERTIA

A CAROLO MAGNO AD CONCILIUM LATERANENSE IV.

PARS II. INTERIOR



ROMÆ

TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI
ET FRANCISCI FILII
1841

INSTITUTIONUM
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
N. T.

PERIODUS TERTIA

A CAROLO MAGNO AD CONCILIUM LATERANENSE IV.

PARS INTERIOR

CAPUT PRIMUM

DE REGIMINE ECCLESIÆ ET ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

§. I.

Regiminis Immutabilitas in Ecclesia

Non Protestantes modo quorum in Romanam Sedem pertinax est contentio, neque alii dumtaxat obtrectatores, Febronius, Jannonius, Tamburinius, ac Villersius neotericus scriptor, ecclesiastici regiminis conversionem in hac Periodo statuunt; verum quod dolori maximo esse debeat, discordes ab illis omnibus homines sacroque principatui obsequentes, inconsulte magisquam contumaciter in eas querelas abierunt. Hosce autem universos si audias, disciplinae novitas pro veteribus institutis invaluit, eorumque nervos perfregit, antiqui Canones deleti, perturbata Episcoporum, Conciliorumque jura, omnimodam potestatis vim obsidentes Pontifices innumera Christianae Reipublicae damna peperere. Duplici

ex causa priores illos haereticos quidem homines, et haereticorum asseclas tam acriter in Romanam sedem invectos, alios autem mire hallucinatos existimes. Prima ac communis ea est conquestio, Isidorum quemdam mercatorem seu, apud alios, peccatorem, Decretales plurimas Romanorum Pontificum Epistolas, atque ex iis pleraque horum jura et privilegia condidisse; quas Decretales eruditi veluti apocryphas repudiare solent. Deinde et Romanos Antistites dominatu ab Imperatoribus auctos ad civilem rationem accessisse, haud exiguam inde Ecclesiasticae integritatis jacturam, et incitabulum earum contentionum, quae flagrarunt inter Imperium supremumque Sacerdotium, extitisse contendunt.

§. II.

Quae Isidoriana Decretalium Collectio.

—

Collectionis Isidorianae omnium quae praecesserant locupletissimae materiem constituunt Decretales antiquorum Pontificum Epistolae a S. Clemente usque ad S. Sylvestrum, nonnullae etiam ad Gregorium Magnum (1). Rem veritatis interpolatricem sensit primus et monuit Cardinalis de Cusa (2), ac

(1) Videatur Praefatio Isidori Mercatoris in suam collectionem canonum p. 4. T. I. concil. Labbei. Venetiis 1728.

(2) Can. Reg. qui de epistolis Clementis et Anacleti primus dubitationem movit: «Sunt meo judicio illa de Constantino apocrypha sicut fortassis etiam quaedam alia longa, et magna scripta sanctis Clementi et Anacleto papae attributa,» sic pag. 358. lib. 3. c. 2. de *Concor-*

deinde multi pergravibus sane rationum monumentis confisi. Suspicionem peperit Auctoris ignoratio (3)

dantia catholica apud Simonem Schardium in syntagmate tractatuum *de imperiali jurisdictione authoritate et praeeminentia ac potestate ecclesiastica etc.* Argentorati 1609. Cf. editio Paris. opp. Card. de Cusa 1514. Dubitavit de genuinitate epistolarum Isidorianae collectionis Erasmus Roterodamus; falsas et apocryphas habuerunt Centuriatores Magdeburgenses, Blondellus, nec non Petrus de Marca, Christianus Lupus, Petrus Coustantius, fratres Ballerinii, Balutius aliique inter Catholicos. Adversus Centuriatores praesertim bellum movit Franciscus Turrianus quinque libris Coloniae editis an. 1573. sed Turriano respondit David Blondellus Calvinista cum libro inscripto *Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes, seu editio, et censura nova epistolarum omnium quas piissimis urbis Romae praesulibus a B. Clemente ad Siricium etc. nefando ausu, infelici eventu Isidorus cognomento Mercator supposuit etc.* Genevae 1628.

(3) Isidorum Hispalensem Episcopum sanctimonia celeberrimum obtrudere studet post Hincmari Rhemensis ep. 7. c. 12. sententiam, Cardinalis Josephus Saenz de Aguirre in 1. diss. Collect. maximae conciliorum omnium Hispaniae p. 31. et seqq.; T. I. Romae 1753., quem praesertim episcopalis fraternitatis mentio *peccatoris* nomen, solemne tunc temporis humilitatis indicium vel in ipsa operis fronte permovit, quemque vero Toletana concilia octo cum Bracarensi a collectione quidem in medium allata, et tamen *post Isidori obitum* habita edocere deberent. Plurimorum opinio Riculphum spectat Pontificem Moguntinorum qui desumptam ex Hispania collectionem, Moguntiae et in proximiori Gallia evulgasse dicitur ab incerto auctore a Pithaeo edito: horum autem judicium esto utrum verba aliquot Concilii Parisiensis anno 829. celebrati praemortuum anno 814. Riculphum exscriptorem habere potuerint: quod hanc rem asseruerit Hincmarus Rhemensis, id ex fide bona non ex mendacio profectum esse credimus. In aliorum sententia vel Benedictus Moguntinus Levita vel Angilramus Archiepiscopus Metensium sub Isidori nomine latuit, absque tamen sontica causa. Nihil dicam de sententia Febronii asserentis, Romanos Pontifices fuisse Decretalium auctores, quam veterem crambem recoxit (ut optime adnotavit Ruttenstochius in Inst. *H. E.* T. II. p.532. Viennae 1832) Jo. Ant. Theiner in diss. hist. canonica de Pseudo-Isidoriana canonum Collectione, Uratislaviae edita an. 1827.

auxerunt Consulares notae neque fastis Consularibus neque temporum rationibus congruentes, tum magis atque magis voces (4) ac mores ab aetate ac usu (5) veterum illorum Pontificum aliena: plane autem confirmarunt ignotae ante nonum saeculum et inexploratae Epistolae quae in eodem libro vel omnibus Episcopis, vel orthodoxis omnibus inscriptae leguntur, eaedemque verbis ac sententiis interdum instructae, quae ad posteriores Scriptores pertinent. Satis praetera superque sunt ad commentum, quae Collectioni cuidam Hispanicae aliisque (unde plurima in Isidoriana hac describuntur) supposita videas, postrema scilicet capita Epistolae Vigilii ad Profuturum, binas Symmacho Synodos, quaedam vero capita Hadriano Pontifici afficta, aliaque multa corrupta et immutata, quae Critici acu tangunt, cordatus quilibet detestatur (6).

§. III.

Quo tempore prodierint decretales.

Auctoris ignoratio et obortae eam in rem con-

(4) In epistolis enim perleguntur sacrae scripturae testimonia juxta Hieronymi versionem. Adde styli et orationis similitudinem, adde voces *Primatus*, *Metropolitani*, *Apocrisarii* in ep. I. Anacleti.

(5) Celebratio conciliorum provincialium bis quotannis facienda; quod fieri primis tribus Ecclesiae saeculis non poterat ob persecutiones etc.

(6) Cff. Fratres Ballerinii de antiq. collection. et collect. can. Parte III. c. VI. pag. ccxv. T. III. opp. S. Leonis. Venetiis 1757.

troversiae Decretales in suspicionem, ut supra dictum est, adduxerunt (7). Neque magis innotuit tempus quo opus digestum et in lucem editum est. Plerisque supra annum 829. Collectio ejusmodi minime repetenda videtur, quippe quae nuperrima Concilii Parisiensis eodem anno celebrati Decreta ostendat. Et quia vero Aquisgranense Concilium anno 836. habitum, cum de oleo sancto quotannis in Coena Domini ab Episcopis conficiendo statuit, Decretalium praescripta meminit, et Fabiani pseudo-Epistolam fortasse innuit, totius operis editionem septennio ab anno 829. ad 836. dare non dubitant. Verum hi a Rabano perturbari solent, qui Paenitentialem librum Autgario Moguntino Episcopo paullo post an. 841. inscribens, nil ex Isidorianis commentis vel nescius vel contemptor attulit. Alias alii rationes ineunt, ac tuentur, quas brevitatis studio, et fastidio parcentes praeterimus. Nonnulla potius de Auctoris mente ac consilio hic obversantur, quae in operis disceptatione libabimus (8).

§. IV.

Isidorianae Decretales Ecclesiae Regimen non immutant.

Qui Romani Antistitis jura ita detorquent, et

(7) Vid. nostra nota sup. (3).

(8) Cff. citati Ballerinii et Joannes Nepomucenus Alber in diss. XII. Pestini 1820. pag. 45. T. II.

carpunt, conversamque ex Isidoriana Collectione Ecclesiae disciplinam conclamant, ii profecto a novitate, quam ab Isidoro injectam putant, Pontificiaeque dominationis concitatricem commoveri videntur. Quam falsam omnino criminationem e vestigio repellere facillimum nobis erit, ostendentes, neque id consilii Isidoro fuisse, ut Pontificalis potestas latius pateret, immo vero ut tranquillitati, et quieti Episcoporum, quos maligna multorum studia judicialibus molestiis afficiebant, aliquo pacto consuleretur. Eos enim in ipsa Collectionis Praefatione Isidorus aut Pseudo-Isidorus redarguit qui contra Episcopos accusatorie agunt, "*ut se per illos excusent*, *vel eorum bonis ditentur*,,, incommoda ejusmodi praedicat judicia, quae praecellens universis Ecclesiis Apostolica Sedes aut continuo rejicere aut nonnisi Episcopis in propria ac pristina restitutis, aut, Synodis demum ipsis obnitentibus, exercere debuisset. Verum aliam rei finiendae rationem consequi volumus et praecipua Isidorianae hujusce Collectionis capita ab omni novitatis calumnia et suspicione vindicare. Ea autem suprema: provinciale Concilium nullum, inconsulto Pontifice, qui per Legatos praeesse debet: referendae ad illius auctoritatem Episcoporum causae, et ab inferiori sententia ad eum provocandum. De hisce, quasi de re confecta gloriantur adversarii, et ex Pontificali amplitudine, ex imminutis Episcoporum, Conciliorumque Provincialium juribus deturbatam in Ecclesia disciplinam suadere

conantur. At nihil ullo ex capite colligi posse nostrum erit quam brevissime ostendere (9).

§. V.

Nulla quoad primum Jus Immutatio.

Concilia vel Provincialia cogi injussu Apostolicae Sedis non modo ante Isidori aetatem, sed et a remotissima vetustate nefas in Ecclesia habitum est. A primis enim Ecclesiasticae historiae aditibus occurrit Julius Pontifex Eusebianos reprehendens, qui, eo inconsulto, in Athanasium Episcopum Alexandrinum judicium tulerant (10). Hujus autem verba dum literis tradunt Socrates (11), et Sozomenus (12) hoc sollemne illis temporibus sanctum-

(9) Cff. citati Ballerinii T. III. opp. S. Leonis.

(10) « Nam (ita habet Julius) si ut dicitis omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum canonem, et non isto modo judicium fieri, oportuit scribere omnibus nobis ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur . . . Cur igitur et in primis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? an ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est definiri posset? » – apud Labbeum T. II. Concil. p. 535. Venet. 1728.

(11) « Julius itaque contrariis inter se literis ad ipsum missis, rescribens Episcopis qui Antiochiae convenerant, graviter conquestus est: primum quidem de acerbitate ipsorum epistolae; deinde quod contra canones ipsum ad Synodum non vocassent: cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam Romani Pontificis quidquam ab Ecclesiis decernatur » ita Socrates Lib. II. *H. E.* c. XVII. pag. 96. edit. Cantabrig. 1720. T. II. Scriptor. H. E.

(12) « Ad episcopos vero qui Antiochiae convenerant . . . literas scripsit (*Julius*) quibus eos accusabat quod Nicaeni Concilii fidem clanculo innovarent, et quod praeter Ecclesiae leges ipsum ad syno-

que fuisse asserunt ut Concilia quaelibet Romani Antistitis auctoritatem et nutum intuerentur. Unde Auctor historiae tripartitae (13) nullius momenti extitisse ait Antiochaenam Synodum contra Athanasium quia " neque Julius ei interfuit, neque in locum ,, suum aliquem destinavit, cum utique Regula Ec- ,, lesiastica jubeat, non oportere, praeter sententiam ,, Romani Pontificis, Concilia celebrari. ,, Non itaque a saeculo nono Pontificiae potestatis incrementum allatum est, cum eadem in Provincialia Concilia vel a saeculis IV., V., VI., lege exerceretur: ad Provinciales Synodos interdum jam celebratas accedebat comprobatio Pontificis, quae si desidereretur robur omne ac Decretorum, actorumque firmamentum desiderabatur (14).

§. VI.

Et quoad alterum.

Ab Isidori vel Pseudo-Isidori Decretalibus Epistolis id consuetudinis ortum arbitrantur, ut Roma-

dum non vocassent. Legem enim esse Pontificiam ut pro irritis habeantur quae praeter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta.» Sozomenus Lib. III. c. X. *H. E.* p. 105. edit. sup. cit. Cantabrig. T. II. Scriptor. H. E.

(13) Cassiodorus Lib. IV. c. IX. pag. 227. T. I. opp. Venetiis 1729.

(14) Auctoritas Socratis, et Sozomeni etiamsi, quod non concedimus, suspecta esset quoad tempora Julii, quoad sua tempora utique valeret.

ni Antistites Legatos mitterent ad Provinciales Synodos: debilitata proinde ac pessundata Metropolitarum jura, fracta propemodum Ecclesiae disciplina, fracta calamitatibus Christiana Respublica. Haec homines nobis perstrepunt, verborum quidem profusi, rerum inanes, saepe etiam ignari, quos vetusti in hac re testimonii vel inscios, vel contemptores habeas, utrumque magno vertas dedecori. Tollit enim querelam Sardicense Concilium saeculo quarto habitum, et Canon illius quintus (15) statuens de Pontificiis Legatis ad eas Synodos in quibus causa de Episcopis ageretur (16). Qua igitur injuria novatrices appellentur Decretales quae institutum saeculo quarto jam receptum, nono autem referunt, et quam turpe sit Romanis Pontificibus ea de re invidiam conflare, vel caecus viderit. Nullius profecto dubitationis esto, Presbyteros de Pontificis latere missos legationem obiisse, conventus in quibus de Episcoporum causis disceptaretur, provinciales fuisse; demum qui Pontificia auctoritate instructi Synodis interessent. Praesidum loco habitos, personam nempe tuentes illius cujus non honor dumtaxat cunctis

(15) Alias VII. juxta edit. lat.

(16) « Si quis autem postulet suum negotium iterum audiri, et ad suam supplicationem Romanorum Episcopum judicare visum fuerit, ut a proprio latere presbyteros mittat. . . et si decreverit oportere eos mitti qui cum Episcopis sint judicaturi habentes auctoritatem ejus a quo missi sunt et hoc ponendum est (*versio Dionys.* erit in suo arbitrio, *Gratianus* in ejus) – can. V. al. VII. Conc. Sardic. apud Labbeum T. II. Concil. pag. 659. Venetiis 1728.

praefulget, sed potestatis fastigium supereminet. Incommoda autem quibus dolere videntur et damna Legationum, benefactis comparata vel nulla invenias, vel certe exigua, eaque hominum imbecillitati aut pravitati necesse est assignentur: sed est iniqua, ait Tullius, in omni re accusanda, praetermissis bonis, malorum enumeratio.

§. VII.

Nec quoad tertium.

Quod evincere huc usque studuimus, Romanos Pontifices neque veteris disciplinae, neque propriae potestatis fines praeteriisse, idem omnino intelligas de causis Episcoporum criminalibus quas, auctoritate eadem et disceptatrix, et judex ab ultima Christianae Ecclesiae memoria finire consuevit. Accipe Innocentii verba in iis quae saeculo V. scripsit ad Victricium Rothomagensem : " Si majores ,, causae in medium fuerint devolutae ad Sedem ,, Apostolicam sicut Synodus statuit et inveterata ,, consuetudo exigit, post Episcopale judicium re- ,, ferantur.,, (17). An inficiari quis valeat, Episcoporum causas esse cum majoribus reputandas? cum ea nempe dignitas in discrimen versetur, qua nulla, si Ambrosium audiamus, sublimior potest reperiri, quae nullius, ut Gelasius R. P. inquit po-

(17) Ep. II. ap. Labbeum T. III. Concil. pag. 9. Venetiis 1728.

test comparationibus adaequari, et ubi *non tam de humilibus constitutis quam de divinae quodammodo benedictionis refragatione tractatur*, quod quidem Gregorius Magnus scriptum reliquit (18). Penes igitur supremum Ecclesiae Rectorem erant judicia de criminibus Episcoporum, antequam evulgaretur Isidori Collectio, eaque abuti possent Pontifices. Quin potius rei veritas et supra Innocentium et a Julii Pontificis auctoritate repetitur (19). Hic enim saeculo IV. Eusebianos datis literis increpans, quod a Romana Sede injussi orthodoxos Episcopos loco dimovissent. "An ne vetus, ajebat, institutum decessisse putetis quo sententia nostra exquirebatur, ut haec caeteras moderaretur? Et si quid suspicionis istic in Episcopum confletur, ad parentem, judicemque omnium Ecclesiarum Ecclesiam continenti ab Apostolo Petro ad nostrum usque Pontificatum more, afferri debet.,, Pudeat igitur novitatem, et insolentiam conqueri, cum tanta consuetudinis senectus fuerit, tanta in senectute vis et authoritas.

§. VIII.

Idem omnino de Appellationibus.

—

Ab Isidori Decretalibus vel primum factam vel incredibiliter amplificatam appellandi copiam perdo-

(18) Lib. 3. ep. 8. ad Natalem Archiep. pag. 631. T. II. opp. edit. Maurinae. Paris. 1705.

(19) Cff. sup. notae (10), (11), (12).

lent adversarii, id autem injusto dolori quod ceteris questibus dandum esse putamus. Quemadmodum ex ipsa imperii vi ac potestate, cui judicia omnia subjiciuntur, regia aequitas provocationes admittit patronas, civitatis, ait Cicero, libertatisque vindices, ita in Christiana Republica ex ipsa sacri principatus constitutione, in qua nil supremo aequissimoque omnium juri deesse debet, Romani Pontifices se illius imaginem proferre sentiunt, qui judicium judicat (*Ps.* 118.) eumque locum tenere quem elegit Dominus (*Deut.* 17.) ut judicii veritatem indicent; hinc qui inferiores magistratus aversarentur Romana Sede, tamquam comuni perfugio atque oraculo usi sunt. Sane Episcopos, qni Provincialium Synodorum sententiis oneratos se existimarent, Pontificem omnium maximum, publicumque Ecclesiae censorem veluti aram jam inde antiquitus petiisse scimus. Quae habet in eam rem Canon 4. Sardicensis Concilii indubiam fidem dederunt. Obnoxius enim (Patres id statuunt) crimini Episcopus, et ab Episcopis per eam regionem congregatis loco abire jussus, si injuriam apud Romanum Antistitem expostularit, decretoriam et ad sanctissimas sapientiae leges exactam sententiam praestoletur. Cavet autem insequens Canon ne quis a Provincialibus Episcopis in amoti Praesulis vicem consecretur, antequam invocata Pontificis auctoritas in causam pro arbitrio incubuerit, totamque controversiam diremerit. Quid praestantius Ecclesiasticae disciplinae antiquitatem

commendet? cujus profecto non auctores, sed testes Patres illi Sardicenses fuere. Hanc itaque multo ante Isidorum possessionis latitudinem tuebantur Ecclesiae Antistites qua Episcoporum appellationes attenderent, et exaudirent. Quin et inferioris ordinis Clericis et Laicis quoque eandem asyli religionem patuisse ex historiis ediscimus (20), quae Appianum Presbyterum Africanum ab Ecclesia Siccensi dejectum ad Zosimum, et ad Caelestinum Romanos Pontifices saec. V. confugientem, aliosque eodem jure profectos non obscure loquuntur.

§. IX.

Jura Romanae Sedis in confirmandis Episcopis.

—

Romanam Ecclesiam *radicem*, *et matricem omnium Ecclesiarum* appellat Cyprianus (Ep. LV. ad Cornel. PP.) cum a S. Petro *Episcoporum ordinatio*, *et Ecclesiae ratio decurrat*: *primae B. Petri Sedi* honorem adhibet Gelasius (Ep. XIV. seu Tract. apud Labb. Tom. IV.) " . . . *per quam omnium Sacerdotum dignitas semper est firmata.*,, Hisce praeconiis

(20) Nemo enim ignorat Appianum Presbyterum Africanum ab Ecclesia Siccensi dejectum ad Zosimum, et ad Caelestinum RR. PP. saec. V. confugisse, aliosque eodem jure protectos fuisse. Recolantur quae diximus in nostra nota (25) pag. 22. partis interioris Periodi I. Romae 1838. ubi alia appellationum exempla referuntur. Cff. Zaccaria in Antifebronio, et Fratres Ballerinii in opp. S. Leonis M. nec non Canones Sardicenses III. IV. VII. ap. Labbeum sup. cit.

haud absona est quam superiori periodo (21) explicavimus Pontificia Episcoporum confirmatio, nec quae in praesentia commemoratur jurata fidei professio Metropolitarum, cum Pallii insigne a Romana Sede impetrarent: absonum potius, et absurdum utramque consuetudinem in novitatis invidiam vocare. Veteribus institutis addictissimus, et disciplinis Ecclesiae omnibus imbutus Bonifacius Christianae pietatis apud Germanos praedicator, instaurator, et custos cum Concilium anno circiter 742., Carolomanno et Franciae Proceribus adstantibus habuisset, illud etiam, quod ipse luculenter fatetur, decernendum curavit " Metropolitanos Pallios ab ,, illa Sede (Petri) quaerere, et per omnia praece- ,, pta Petri sequi desiderare. ,, Imo Archiepiscopos, Gallos praesertim, pontificale officium a suscepto dumtaxat pallio auspicatos, edocebat vel sua aetate Nicolaus I (22). Ita autem Jannonius aliique de hac Pallii concessione interpretantur, ut hoc consilii aucupiique genere Romani Pontifices Metropolitarum libertatem et jura circumciderent, vel eosdem, ut calumniatur Petrus de Marca, rei cujusdam novae miraculo obstupefacerent. Hosce ita refellens cum Ecclesiasticae historiae monumentis cl. P. Bianchi, nemini dubitationem reliquit, insigne hoc Pontificalis dignitatis, apostolicaeque auctoritatis testimonium a Supremo Ecclesiae Antistite col-

(21) Periodus altera pag. 82. Romae 1839.
(22) In celeberrimis responsionibus ad Consulta Bulgarorum.

latum, Principum, et Metropolitarum votis ac flagitationibus satisfecisse, nihil alieni juris adpetens, nihil offendens. Obedientiae autem, observantiae ac fidei erga Romanum Pontificem sponsione obstrictos ante octavum saeculum Archiepiscopos et Episcopos haud obscure intelligere, sibi visus est P. Bianchi tum ex Concilio XI. Toletano anno 675. tum ex ipso Germanorum Apostolo Bonifacio, qui anno 722. a Gregorio II. Romae ordinatus fidem suam Pontifici Maximo ad sanctissimum Petri sepulcrum obligaverat. Haec aliaque persequitur Auctor laudatus (23) et non minori laude dignus Franciscus Zaccaria (24) ut Apostolicam Sedem ex aequo et bono, non ex callido versutoque jure Episcopos firmantem, defendant.

§. X.

Jura in Translatione Episcoporum.

—

Provincialibus Synodis (25) potiusquam Romano Pontifici Episcoporum translationem omnem ante nonum saeculum tribuendam censuit Scriptor sacro Principatui iniquus Justinus Febronius. Eo

(23) In opere inscripto - *Della Potestà e della Politia della Chiesa* - alias cit.

(24) In eruditissimo opere cui titulus - *Antifebronio* - Part. 2. Pesaro 1767. Cf. etiam Thomassinus in op. inscripto - Vetus et Nova Ecclesiae disciplina - part. II. lib II. c. 19. p. 352. edit. Lucae 1728.

(25) Cff. Zaccaria in Antifebronio part. II. Lib. I. c. V. pag. 94. et seq., et Ballerinii T. III. opp. S. Leonis.

autem jure quam vere Apostolica Sedes gloriari possit, cum multa suadeant tum ineluctabiliter Innocentius III. ex sacrarum legum disciplinis, imo ex Divina institutione evincit (26). Imaginem enim spiritalis Episcopum inter et datam Ecclesiam conjugii ante oculos sibi proponit Innocentius, nexum proinde ab eo qui adstrinxit, et ministerio Clavium quae Caelum reserant, tantummodo laxandum. Ex ipsa quoque, ut nobis videtur, Primatus notione, Episcoporum translationes, majores scilicet causas, Romano Antistiti Canonicas leges omnes moderanti, ut Dupinius fateri debet, subjiciendas esse colligitur. Rem ex caelesti illa Primatus institutione deductam tum Conciliorum decreta, tum Pontificum oracula multo ante hanc aetatem declarant, confirmant, eaque mentione digna videtur Leonis Magni severitas, qua transmigrantem proprio ingenio Episcopum, utraque Sede et derelicta, et capessita depelli jubet, ne (consilium hisce explicat verbis) ,, illis praesideat quos per avaritiam concupivit, ,, nec illis quos per superbiam sprevit (27). ,, In magna argumentorum copia nihil Innocentio opus erat, quod Febronius inepte malitioseque contendit, ad commentitiam Anteri Papae Epistolam confugere, et ex fallaci judicio Pontificiam auctoritatem

(26) Cf. Zaccaria sup. cit. cap. V. ubi refellitur Febronius, et Innocentii III. testimonia quoad jus hujusmodi enucleantur.

(27) Ep. XIV. c. 8. col. 689. T. I. opp. S. Leonis editionis Balleriuianae.

augere. Testimonio sunt illi et prisca vetustas quae incredibilem in Ecclesia scientiam affert, et sacrorum Canonum praescripta, neque obscurum esse poterat, Paschalem II. hisce etiam nominibus Anglos redarguisse, qui commutatos injussu Apostolicae Sedis Pontificatus facile tollerassent (28).

§. XI.

Quae libertas in sacris Electionibus.

—

Ita libertatem in sacris electionibus, aequitatemque suam commendavit Carolus Magnus, ut profiteretur (29) nil se se in Episcoporum electioni-

(28) In hisce Ecclesiasticae Historiae monumentis pervestigandis multum operae impendit Franciscus Ant. Zaccaria sup. cit. in Antifebronio, ubi Scriptores vel integra, vel corrupta erga apostolicam sedem fide huic tamen perpetuo in translationes juri suffragantes invenies. Suffragatur et Thomassinus asserens « receptissimam fuisse enim regulam juris, et consuetudinem saeculo XI, quae jam ne in controversiam quidem vocabatur ineunte saeculo XII. Pontificibus reservatas translationes episcopales » *de Beneficiis* Part. II. Lib. II. c. 64. pag. 517. edit. Lucae 1728. Exempla autem translationum idem Thomassinus retulit part. II. cit. hoc ordine servato - cap. 60. pag. 502. loquitur de translationibus in Ecclesia Latina quinque prioribus Ecclesiae saeculis: cap. 61. pag. 503. de translationibus in Ecclesia Orientali, per priora quinque saecula: cap. 62. pag. 507. de translationibus Episcoporum, et Episcopalium sedium ab anno quingentesimo ad octingentesimum; cap. 63. p. 509. De translationibus sub imperio Caroli M., et ejus stirpis; c. 64. p. 515. de translationibus post annum Christi millesimum.

(29) In Capitularibus T. I. operis - *Capitularia Regum Francorum* - a Balutio edita Parisiis 1677. Cf. cit. Thomassinus part. II. Lib. II. c. 20. pag. 357. §. IV. ubi haec verba Caroli referuntur:

bus affectasse, neque id gratiae causa, sed juris per sacros Canones constituti, libertatisque illius, quae Ecclesiae cognata, unaque simul adulta a viris esset principibus, omni ope retinenda, ac propugnanda. Hi sensus, haec verba auctoritatem disciplinamque successoribus praescribere videbantur, qui exemplar illud intuentes, Electionum libertatem neque praecidi neque intermitti, interdum potius latius patere voluerunt, idque legimus de Ludovico Pio (30) qui Ecclesiasticae in electionibus libertatis custodiam atque incrementum ex Edicto jubens pientissimi imperii primitias dedit. Optimae huic erga Ecclesiam occidentalium Principum voluntati honestum plurimique habendum testimonium, Hincmarus Remensis aliique saepe saepius impertiunt. Nulla in regia Electionum confirmatione verba aut no-

« Sacrorum Canonum non ignari ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore; *ad sensum* ordini Ecclesiastico praebuimus ut scilicet Episcopi per electionem Cleri et Populi secundum statuta Canonum de propria Dioecesi eligantur. » Capitul. Car. M. an. 803.

(30) Cf. ut sup. et vid. Thomassinus loc. sup. cit. p. 358. ubi refert decretum Ludovici Pii quoad Abbates cum illud quoad Episcopos sit idem quod Carolus edidit ut sup. retulimus: « Monachorum siquidem causam qualiter Deo opitulante ex parte disposuerimus, et quomodo ex seipsis sibi eligendi Abbates licentiam dederimus, in alia schedula diligenter adnotari fecimus, et ut apud successores nostros ratum foret, et inviolabiliter conservaretur, confirmavimus. » Ad quae, perpensis verbis decreti Abbatum, et collatis verbis decreti Episcoporum, haec adnotavit Thomassinus « diserte profitetur princeps Monachis a se dari libertatem eligendi Abbatis . . . at electiones Episcoporum jubet esse liberas, juxta Canonicas sanctiones, quae eam illis libertatem semper adseruerunt. » pag. cit. 358

va aut insolentia, sed quae jus electionis ex Canonicis disciplinis sancitum possessionemque temporis diuturnitate firmatam Ecclesiae faterentur, Principem vero nil gratificantem sed debitum Ecclesiasticae libertati subsidium afferentem ostenderent. Praecedebat electio, suffragante Clero, assentiente plebe; electus deinde se se Regi sistebat, a quo praedia, Ecclesiae dotem, per *investituram*, ut loquuntur, acciperet: ordinatio demum subsequebatur. Et si qui imperatoriae auctoritatis vicarii de suffragiorum libertate nonnihil deterrere ausi essent, hi non alienae voluntatis ministri, sed proditores contemptoresque habebantur. Caeterum mira haec in Ecclesiae negotiis integritas et continentia Ottones Germaniae imperantes imitatores nacta est, suosque fructus in Anglia, et quod praesertim decebat, in Italia tulit (31).

§. XII.

Quaenam Principum pars in Electionibus.

—

Sedes Episcopis et Abbatibus ab egregia Ottonum Imperatorum pietate liberalitateque constitutas ac completatas historia quaevis eloquitur: nostra autem interest id electorum cogitationi subjicere Principibus illis quibus religio fuerat populum Christo subdere et Pastorum disciplinae credere, iisdem

(31) Cf. Thomassinus cit. pag. 366.

etiam supremi Antistitis auctoritatem sanctam integramque fuisse, quae profecto originem omnem novamque rerum molitionem amplecteretur: deinde eadem voluntate qua Ecclesias fundabant, Ecclesiarum quoque praesidia, ornamenta, ac lumina, Episcopos, parare studuisse; nullum idcirco hoc auctum honore, quem sanctimonia ac doctrina spectabilem omnibus non fecissent. Novimus etiam, electiones, dimisso regii patronatus jure Ecclesiis quibusdam interdum concessas, et Imperatorias designationes Cleri populique suffragiis permixtas. Apud orientales populos convocati Episcopi a Metropolita, Episcopum probantibus Clero et populo, jubebant; Imperatoris erat novum protegere honorem, minime autem decernere, et cum Patriarchae electo virgam traderet, crucemque pectori in magna hominum frequentia appenderet, insignium ejusmodi custodiam non potestatem ministerii cujusdam benignitatem magisquam dominatus superbiam significabat. Egit de Electionibus octava Synodus Oecumenica, et cavit ne Principum arrogantiae subesse cogerentur (32). Dedit prior Nicephorus arrogantiae exemplum (33) qui Episcoporum electio-

(32) Inter notata digna prohibuit Concilium ne Principes interessent electionibus « ne videlicet (ut ait) inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio; » can. 22. ap. Thomassinum pag. 372. cit. part. II.

(33) « Id vero omnium gravissimum quod legem tulit (ait Cedrenus), cui et Episcopi quidam leves, atque adulatores subscripse-

nes regiae auctoritati asserere voluit, dedit et sanioris consilii indicium Joannes Zemisca (34) successor, injuriique Edicti revocator (35).

§. XIII.

Quae damna et detrimenta ab Investituris.

—

Possessiones, ut ajunt, feudales et investituras adauxit protulitque aetas bellicis Ducum ac Principum consentionibus et facinoribus insignis, easque habuit primo rei militaris veluti praemia deinde stipendia, atque subsidia. Relligioni autem non minus quam armis studentes permulti ex Principibus et inopem indecoramque cum non paterentur Ecclesiae conditionem, vectigales fundos cum ipso honoris gradu electis Episcopis et Abbatibus adjudicare consueverant, anulum, virgamque pastoralem, rei indicio, tradentes. Verum quia nihil est tam sanctum

runt: Ne Imperatoris injussu ullus crearetur Episcopus: et mortuo aliquo Episcopo aliquem suorum submisit, qui definitos faceret sumptus: ipse, quod erat de reditibus reliquum, accepit. » Cedrenus in Historiar. Compendio pag. 658. juxta edit. Parisiensem, pag. 516. et 516. juxta edit. Venet. 1729. Vol. IX. Bibl. Byzant.

(34) Vel Tzimiscas aut Tzimisces Τζιμισκῆς ap. Cedrenum l. sup. cit. p. 519. edit. Ven.

(35) Ob concilium Polyeucti Patriarchae qui eum imperatorio diademate ornare noluit, nisi prius et crimen in Nicephorum patratum paenitentia expiaret, et revocaret edictum *quod ad confundendas res ecclesiasticas Nicephorus ediderat* . . . quare *edicti libellus prolatus*, *et discerptus est*, *pristinaque Ecclesiae libertas reddita*; » sic habet Cedrenus pag. 520. edit. Ven.

quod non aliquando violari possit Ecclesiae rationes Principes parvipendere caeperunt ex opitulatoribus nullatim praeceptores facti, et electiones ipsas ex arbitrio et libidine versantes. Hinc obnoxii vectigalesque Praesules stipendia militibus persolvere, interdum etiam proprio marte merere: hinc verendum Angelicis humeris munus, non doctrinae, non inlustrium laborum commendatione, sed ambitu, et blanditiis parari, diuturnaque assentatione qua se se in Procerum aulicorumque consuetudinem penitus immerserant. Accessit (oh rem perditam!) immanis malorum cumulus, cum ambitio edocuit Spiritus Sancti dona venalia habere, cum baculus, et anulus ille pastoralis officii, hoc Fidei signum tradebantur, ut scite Monachus quidam adnotavit, non effugienti Gregorio, aut renuenti Ambrosio, vel Ecclesiam visitanti Nicolao, sed ei potius qui Principum animos tentavisset, alienam fidem pretio labefactasset fur, et latro per ostium non ingrediens, emptaque dignitate exsecrabilis, detestandus. Nihil perfecto est quod simoniaca labes venenis quasi omnibus imbuta haud corruperit, fidelium scilicet pietatem, pastoralis officii studia, morum sanctimoniam et integritatem nihil quod in vetustis Ecclesiae institutis, in canonicis disciplinis non conculcavit. Dissolutam consuetudinem, impudentemque licentiam, quae tantam attulerat auctoritatem peccandi, intemerati illius aetatis Scri-

ptores vehementer objurgant; et Anselmus (36) qui Religionem ipsam ad extrema provocatam conqueritur, et Petrus Damianus qui suprema mundi in tam exitiali Christianae Reipublicae peste praeformidat (37).

§. XIV.

Dissidia Germanica ab Investituris.

—

Vir antiqui moris, incredibili Religionis, strictiorisque disciplinae ardore succensus Gregorius VII, et intimo, quod ex diuturna Gregorii Magni lectione conceperat, in simoniacos odio concitatus plurium in eandem rem Synodorum decreta tueri, sanctorum undique hominum votis et querelis occurrere, fidelium saluti prospicere, Germaniam praesertim Clericorum contuberniis expurgare percupiens Henricum quartum Imperatorem, divina humanaque omnia vexantem, Clericorum avaritiae atque incontinentiae praesidium, ad meliorem mentem, quae imperium regeret, pareret autem Ecclesiae, omni humanitate revocare studuit. Missis ad eum Legatis Pontificiae auctoritatis conciliatoribus, habita Romae An. 1075. Episcoporum Synodo quae investituras notaret, profusamque inde Clericorum

(36) Cff. Epistolae S. Anselmi edit. Lugd. 1630. Vid. Thomassinus sup. cit. c. 34. p. 402. et c. 38. p. 416. et seq.

(37) Vid. optima editio. Paris. 1743. opp. S. Petri Damiani.

licentiam coerceret, monitis gravissime Pastoribus quorum pecunia *in perditionem* esset, nihil in corruptissimo omnium principe profecit, a quo novi etiam Pontificatus sacraeque praefecturae venum tradita rejectis contumeliose Legatis, pronunciata in conciliabulo Wormensi an. 1076 per Henricum convocato, Gregorii damnatio et exclusio. Intollerandam libidinem nefariam audaciam fictis modo officiis, callidaque paenitentiae simulatione contectam, modo aperte erumpentem, iterum atque iterum anathemate perculit Pontifex, complexus pari sententia et alienorum numero habens Episcopos et Abbates quorum caterva stiparet Henricum regiis largitionibus enutrita criminum socia et adjutrix veluti manus in conventiculo Moguntino supremi Ecclesiae Antistitis (infandum!) judex, judiciis ipsa non paucis convicta. At incorrupta erat in nonnullis Christianae plebis Pastoribus fidei ac morum integritas, eosque degeneri illi sacerdotum gregi adversam et obnitentem dabat, quin et distracti in contraria studia, ac facinora criminum animi, cum pars absentis licet aerumnosique Pontificis in potestate perduraret et Rodulphum Svevum Henrico suffectum probasset, pars Henrico tenacissime haereret tali incendio imperium couflagrabat (38).

(58) Prae ceteris cf. scriptor minime in re suspectus J. Voigt in opere germanice exarato, et in gallicam linguam verso et inscripto – Histoire du Pape Grégoire VII. et de son siècle d'après les monuments originaux – Paris 1838. et vid. Thomassinus loc. cit. pag. 419. et seq.

§. XV.

Dissidia Brittannica ob eandem causam.

—

Quae acta contra investituras et superius sancita fuerant nec Willelmi II. nec Henrici I. Britannorum Regum infensas inclinaverant voluntates. Willelmum satis declarant incusationes et querelae de eo, et de vituperandis investiturarum quaestibus in Barensi Concilio ad Urbanum II. allatae, teste autem illius vexationis ac deploratore Anselmo Antistite Cantuariensi (39), qui ab ejus aula et familiaritate indignabundus discesserat. Neque meliora Ecclesiae ostendit auspicia Henricus Rex hujusce nominis primus, Clericalis et ipse iniquus disciplinae et sacrorum insignium nundinator, qui idcirco Anselmo eidem et Paschali II. (hic enim Urbano successerat) curam haud levem incussit, fratris ingenium et libido apparebant in Henrico, praedecessorum virtus et constantia in Paschali, cui cum regius nuncius investituras quasdam immerito efflagitans, Britannorum regem illius propositi vel usque ad amissionem regni tenacem significasset, reddita vox Pontificem nec pro capitis redemptione Investituris annuentem inclamavit. Enituere in omni hac controversia Anselmi integritas, perturbatis sacris, contaminatis gentibus, nulla unquam labe conspersa,

(39) Vid. ejus vita ex mss. Bibliothecae Victorinae - Paris. in edit. Maurina opp. S. Anselmi. Paris. 1721.

spectabilis erga Apostolicam Sedem fides ac reverentia neque minis neque aerumnis labefactata, eximium denique pacis revocandae studium. Cujusce dedit indicia, et fructus utpote qui anno 1105, flexanimum habuerit cum Rege colloquium, eumque ad deserenda Willelmi fratris vestigia omni contentione excitarit. Simultates omnes deponens investituras Pontifici, sibi quandam tantummodo honoris signifiationem tribuens, officium Christiani Regis (cujus nomen dumtaxat Willelmo inerat) Henricus reddidit (40).

§. XVI.

Quae egerit contra Investituras Paschalis II. quae toleraverit.

Promercalia Ecclesiae munera, sacriq. honoris insignia omnino abhorrens Pascalis II. curas, molestias, et angores maximos cepit quippe, qui Concilia, adhibuerit, et iteraverit, Legatos tum in Angliam tum in Germaniam proficisci jusserit Ecclesiasticae disciplinae curatores, et re plerumque infecta dimissos, ac Principes de officio admonens e turpi investiturarum negotiatione revocare conatus sit. Haec non modo frustra habuit cum Henrico V. (qui patrium Imperium affectaverat, aggressurus deinde Eccle-

(40) Legatur Eadmerus, qui apud Anglos venit *Edmerus*, et apud Scriptores corrupte dicitur *Edinerus*, in vita S. Anselmi Cantuar. Archiep. ext. ad calcem opp. ejusdem S. Anselmi, juxta edit. Maurinam sup. cit.

siam, ut proximum esse solet) sed etiam calamitose. Inexpiabili enim Henricus concepta fraude, magnis copiis in Italiam devenit honoris insigne, regiumque nomen sollemni ritu a Pontifice Maximo impetraturus; obvios dedit Paschalis, officiique plenos Cardinales et Episcopos, se se autem arctissimis ut fertur, complexibus impertivit. At quam brevi immutata, quam tristis, quam atra rerum facies! Ex composito armata Germanorum legio Pontificem ac suos circumsistit, et investituras profanis hominibus tradere recusantem, sacro exutum amictu sontium vinculis coercet, detinetque in Sabinis. Ita illustris pompa in latrocinium versa: milites non festae urbis custodes, sed atrocis audaciae satellites ac praesidiarii; qui manus supplices dederat violentas injecit; qui novum sacrare debebat imperium, expertus est sacrilegum. Perculsum jacentemque Pontificem, dolis metuque obsidet Henricus objectisque clericalis ordinis angustiis, urbis seditione (in ea turbatum erat contra Henricianos) schismatis impendentis periculo, investiturarum privilegium per vim elicit (41). Attamen subreptitium in-

(41) Vide quae narrat Otto Episcopus Frisingensis in chronico Lib. 7. c. 14. p. 135. et seq. Basileae 1569. ubi de Romanorum caede haec habet: « Populus etiam Romanus cum infinita erumpens multitudine, Tyberim transeunt ac Regem (*Henricum*) pene ex improviso, multis de exercitu in Urbe sive in agro manentibus, ante gradus Ecclesiae S. Petri invadunt. Rex ergo ut erat armis experientissimus, cum paucis quos ibi habebat, in hostem ruit, diutissimeque ac acerrime suis jam adventantibus pugnans, occisis multis, ceteros

dultum plura corrigunt, adjecta nempe Ecclesiasticae libertatis et continentiae commendatio, luculentissimae Paschalis ipsius epistolae intemerati animi testes, advocati in eam rem Episcoporum caetus anathematis paena in contumacem Henricum, plaudente Concilio, anno 1116. demum pronunciata. Ceterum nova illius constantiae tempestas oblata est, Imperatore Romam minaciter regrediente, quo quidem discrimine Paschalis Beneventum perrexit, neque minus jactatus est iis fluctibus Gelasius II, in pontificatu successor, et antequam eos sedare posset, e vivis ereptus (42).

§. XVII.

Tollitur Controversia sub Callisto Secundo.

Dedit immortale Numen Callisto II., ut pertinaci tandem dissidio sublato, pacales dies posset constituere, quos ab inito pontificatu, Conciliis peractis, et litteris ad Imperatorem disertissimis, maturabat. Jussa ultro citroque conciliatrici legatione, et cor regis inclinante Domino Henricus Augustus Ann. 1122 in Wormatiensi frequentique clerico-

in fugam vertit. Romani fuga in ponte juxta castrum Crescentii coartati, Tyberi se committunt, pluresque aquis quam gladiis periisse narrantur. »

(42) Actus aerumnis quas ipsi pararunt Cencius Frangipaneus, Henricus Imperator et Bracharensis Archiepiscopus Mauritius Burdinus ab Henrico eodem in Pontificem M. electus.

rum, et optimatum conventu Apostolicae sedis Apocrisiariis de admissis dolens in vestituras abdicavit. Utque res tam praeclara legum sacrandarum numero haberetur sempiternoque extaret monumento, Callistus Lateranensi Concilio firmandam obtulit. In quo, Legatis comprobantibus, haec Synodo universae jussa rataque fuere; episcoporum videlicet et abbatum electio per teutonicum Imperium citra vim et avaritiae licentiam, adstante ac protegente Imperatore, cui metropolitani et Episcoporum provincialium consilium in litibus placandis presto esset; feudalia et principalia jura, positis anulo et virga pastorali, per sceptrum conferenda, idque intra sex menses iis omnibus qui ex aliis Imperii regionibus sacris infulis initiati accederent. Hinc iterata per Legatos Caesaris submissio, ipse in fidem Pontificis confirmatus et ad christiana sacra receptus (43).

§. XVIII.

Non injuria Romani Pontifices restitere.

Quod expetit salus Reipublicae ut libertatis deturbatores depravatoresque morum coerceantur, id

(43) Hac ratione investiturarum controversia confecta, est quae per quinquaginta circiter annos Ecclesiae pacem turbaverat. Cf. Thomassinus in op. cit. de veteri, et nova Ecclesiae disciplina c 38. et seqq. p. 415, et seq.

sacro Ecclesiae moderamini dandum est, a quo membrorum omnium distinctio, et adspectabilis caetus incolumitas pendent. Quae igitur judicaria potestas civilem tuetur Rempublicam, nec in Ecclesia defuit, cui tradidit Dominus claves, non modo solvendi causa sed et ligandi: *Quia bona est*, inquit Augustinus (44), *vindicandi justitia*: dedit Ecclesiae, ut quos inobsequentes, ac contumaces sensisset, eos profecto tamquam ethnicos et publicanos repudiaret, quod, ipsius Doctoris effatu: *Gravius est quam si homo gladio feriretur*, *si flammis absumeretur*, *si feris subjiceretur*: Praecisam autem libertatem suam a Principibus sacri honoris insignia deferentibus, dolere poterat Ecclesia, a qua sacerdotia exoriuntur, et in universitatem omnem propagantur, cum praesertim eos sibi audacter impositos videret, queis omni jure abnuisset, structas exinde militares civilis Reipublicae copias non Christianae, Caesaris, non bella Domini praeliaturas. Perturbata Ecclesiae libertate, quaerere velit nemo quae morum licentia in leviticum agrum patuerit, quae hominum cohors nullum retinens Ecclesiastici officii morem, assueta mendaciis, simultationis artificio erudita Christianae plebi praeficeretur, vitiorum omnium exemplum suppeditans, auctoritatem praebens. Hinc romanus Pontifex quem constituit Deus *Dominum domus suae et*

(44) Lib. I. contra adversar. legis et prophetarum col. 567. T. VIII. opp. S. Aug. edit. Maurinae. Parisiis 1688.

Principem omnis possessionis suae (*Ps.* 104, 21.) ut *nempe evellat, et destruat, aedificet, et plantet.* (*Jer. c.* 1, 10.) sponsamque Ecclesiam exhibeat Christo Virginem castam (2. *Cor.* 11, 2.) potuit, tradita divinitus auctoritate, cui Reges etiam servire debent, cuique servientes vere regnarunt Principes pientissimi Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, et Henricus Germanicus, potuit, inquam, gladio suo accinctus homines quantalibet dignitate elatos corrigere, pertinaces e sacris comunibus arcere, de civilibus non minus quam de Ecclesiae rationibus eodem pacto promerens (45).

§. XIX.

Romani Pontificis Creatio.

—

Initio periodi tertiae electio et ordinatio seu consecratio Romani Pontificis libertate donabantur, cui neque adversari, neque deesse unquam visa est consuetudo mittendi Legatos ad Caesarem qui utriusque potestatis concordiam, et electionem ipsam quolibet vitio carentem commendarent. Verum inficiari haud licet subjectam deinde Imperatoriae confirmationi Pontificalem consecrationem, cujusce rei aetas, causae, et conditio innotescunt. Aetatem definiunt Annales Bertiniani ad annum 844., causa petitur ab implo-

(45) Vid. de investituris, dissertatio Christiani Lupi inscripta - de Laica Antistitum Investitura - ext. T. III. opp. ejusd. auctoris edit. Venet. 1724.

rata Imperatorum auctoritate quae Gregorium IV. Pontificale fastigium prae admirabili animi demissione refugientem contineret, ac populi voluntates et studia comprobaret. Non minus ea autem in re tribuendum est Lothario Imperatori. Hic dummodo Ludovicus pater in vivis fuit, novitati minime studuit: eo autem mortuo, anno 840, et sublato ad superos Gregorio IV. (annus agebatur 844.) cum ab ordine populoque romano Sergius II. Pontifex renunciatus, et Caesare inconsulto, Cidari sacra insignitus fuisset, Ludovicum filium in Urbem misit qui ab Apostolica Sede impetraret, ne ante Legatorum adventum Antistes Maximus Ecclesiae daretur (46). Quod certum est nec Lotharius ejusque

(46) Ita habent annales Francorum Bertiniani apud Du Chesne T. III. p. 200. edit. Lut. Paris. 1641. ad an. 844. « Gregorius (IV) Romanae Ecclesiae Pontifex decessit. Cui Sergius succedens in eadem sede substituitur. Quo in Sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum Hludowicum Romam cum Dragone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente Apostolico quisquam illic praeter sui jussionem, Missorumque suorum praesentiam, ordinetur Antistes. Qui Romam venientes honorifice suscepti sunt Peractoque negotio, Hludowicum Pontifex Romanus unctione in Regem consecratum cingulo decoravit. » Ado Viennensis in Chronico, et praesertim Anastasius Bibl. in Vita Sergii II. silet omnino de hac lege imperatoria Romano Clero imposita; quare inter commentitia ponenda esse quae leguntur in citt. Ann. Bertinianis, judicat Thomassinus in vet. et nov. Eccl. Disciplina Parte II. Lib. II. c. 25. p. 369. edit. Lucae 1728. « *Non temere ergo conjicimus* (sic habet cit. auctor) *ex eadem errorum scatebra, chronico nempe Sigeberti, commentum hoc totum derivatum esse in Bertinianos et in Eginardi Annales, et in vitam Ludovici Pii,* » affert tandem idem Thomassinus auctoritatem Flori Lugdunensis Ecclesiae Diaconi qui sub Carolo Calvo [illegible]

natus Ludovicus, nec quisquam ex Germanorum Principibus praescriptione aliqua per Gothos Orientalesque Imperatores inducta id accipere, neque in jura principalia sed potius in Apostolicae Sedis concessiones, ac beneficia describere potuerunt. Defuit ejusmodi privilegium (47) decedente Ludovico Lotharii filio. Fecit eandem copiam Henrico Augusto Nicolaus II. Pontifex an. 1059. at quae rursus in imperatoria jura minime transmitteretur, sed a Pontificali indulgentia ac benignitate omnino pende-

tamen quin legem aliquam commemoraret clero impositam quoad ordinationem Romanorum Pontificum, potius maximam exercuisse libertatem Romanum Clerum testatur hisce verbis: « Sed et in Romana Ecclesia *usque in praesentem diem* cernimus absque interrogatione principis, solo dispositionis judicio et fidelium suffragio legitime Pontifices consecrari » in lib. de electionibus Episcoporum ext. T. XIII. Bibl. PP. Gallandii pag. 592. §. VI. edit. Ven. 1779. Quod servatum semper fuit in Romana Ecclesia. Immo Ludovicus Pius in diplomate Paschali I. R. P. dato an. 817. loquens de nova Romanorum Pontificum electione, libertatem Ecclesiasticam sartam tectamque voluit hisce verbis: « Set (sed) liceat Romanis cum omni veneratione et sine aliqua perturbatione honorificam Pontifici suo exhibere sepolturam, et eum, quem divina inspiratione et Beati Petri intercessione omnes Romani uno consilio, atque concordia sine aliqua promissione ad Pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate, et contradictione more canonico consecrari (*consecrare*) et dum consecratus fuerit legati ad nos vel ad successores nostros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos et illos amicitiam et caritatem ac pacem socient. » Apud Cajetanum Cenni T. II. Monumentorum dominationis Pontificiae p. 132. Romae 1761. Cff. Anastasius in Vitis Romanorum Pontificum et Thomassinus loco cit.

(47) Si vere extiterit.

ret (48), et quae post multas et graves de investituris contentiones obliterata videtur.

§. XX.

Ratio creandi Pontificis.

—

Aetate Ludovici Pii Aug. Romanus Pontifex e sacricolis Romanae Ecclesiae, nempe ex Presbyteris et Diaconis eligebatur; posteriori aevo, cum a pristina consuetudine recederetur, viri extra eum ordinem, et Pontificatu aucti ad id fastigii proferri ceperunt. Primus administrationem Ecclesiae suae cum maxima omnium Ecclesiarum sollicitudine post mortem Joannis VIII. an. 882. commutasse traditur Maximus Episcopus qui et Martinus II., idque ab omnibus tacitum tulit. At non absimilis electio Formosi, qui ab Episcopatu Portuensi ad universam Ecclesiam regendam ab obitu Stephani VI. doctrinae sanctimoniaeque commendatione translatus fuerat, finem longe dissimilem, immane infandumque facinus, habuit. Immortali enim quo in extinctum Formosum flagrabat odio Stephanus VII. coacto Romae concilio, majestatem loci legumque proterens, sacra tantae dignitatis verendaque sepulcri jura perfringens, Formosum exanimem e silentum sede, exturbari, sacraque amictum veste tamquam in judicium si-

(48) Discordia sane quae electionem Romanorum Pontificum perturbaverat aliquando, Legatorum Imperatoris praesentia componi poterat.

bi sistere jubet, manus, queis Christianus populus jam antea sollemniter lustrabatur, impia caedes abscindit, truncum, informeque cadaver exprobrat, quod Portuensis Antistes ad Ecclesiae regimen vivens accesserit (49). Aversi omnium oculi a tanta faeditate

(49) Habe, lector, fragmentum Auxilii qui Presbyter fuerat ordinatus a Formoso: « Stephanus qui tertius a Formoso extitit Papa, eundem Formosum adeo reprobum esse judicavit, ut cadaver ejus de tumulo extrahi, et in Concilium pertrahi faceret, ibique eum pristinis vestibus denudantes, laico amictu velaverunt et ferro duobus dextrae digitis amputatis, in quodam peregrinorum tumulo sepelierunt, nec multo post in Tiberinum fluvium praecipitarunt. » In lib. II. c. XXX. de sacris Ordinationibus p. 374. ap. Joan. Morinum Congr. Oratorii in opere inscripto - *Commentarius de sacris Ecclesiae Ordinationibus* etc. Parisiis 1655. Haec eadem leguntur apud Mabillonium in opere cui titulus - *Vetera Analecta*. Parisiis 1723. Luitprandus qui saec. X. floruit historiam hanc hisce verbis refert: « Hoc in tempore (nempe post fugam Widonis) Formosus Papa religiosissimus a Romanis vehementer afflictabatur. . . Causa autem simultatis inter Formosum Papam et Romanos haec fuit. Formosi praecessore defuncto, Sergius quidam Romanae Ecclesiae Diaconus erat, quem Romanorum pars quaedam Papam sibi elegerat. Quaedam vero pars non infirma nominatum Formosum Portuensis civitatis Episcopum pro vera religione, diurnarumque scripturarum et doctrinarum scientia Papam sibi fieri anhelabat, cum a Formoso defuncto, atque Arnulfo in propria reverso, is qui post mortem Formosi papa constitutus est expellitur; Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto ut impius, doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum e sepulcro extrahere atque in sedem Romani Pontificatus, sacerdotalibus indumentis indutum collocari praecepit. Cui et ait: « *Quum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti*? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactare praecepit, cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit. » In Hist. Luitprandi c. VIII. pag. 430. col. 2. T. II. Rerum Italicar. Ludovici Ant. Muratorii Me-

spectaculi, abhorrentes omnium aures atque animi qui humanitatem nondum abjecissent! Atque supremi honoris successores Theodorus II. et Joannes IX., factum illud scelestissimum execrati sunt, horumque alter ordinationes a Formoso habitas confirmavit, alter Stephani acta vehementer redarguens (50)

diolani 1723. Flodoardus saec. X. scriptor de Stephano VI. haec habet:

« Tum sextus (*STEPHANUS*) sacra regimina culmine carpit
» Durus qui nostris, propriis ac durior instat
» Saeva quidem legat vivis, truciora sepultis
» Fulcoremque minis, Formosum concutit actis
» Concilium gregat infaustum, cui praesidet atrox:
» Praedecessorem abjiciens ponensque Patronum, etc.

ap. Joan. Mabillonium, et Lucam d'Achery in op. inscripto - *Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti* etc. saec. III. part. 2. Venetiis 1734. pag. 548. apud Baronium ad an. 897. in notis Pagii pag. 488. T. XV. edit. Lucae 1744. et apud Muratorium in op. Rerum Italicar. T. III. parte II. col. 318. Mediol. 1734. - Sigebertus Gemblacensis, qui desinente saec. XI, et saec. XII. exordio florebat, in chronographia ad an. 902. scribit: « Stephanus Romanae Ecclesiae 113. (Miraeus habet CXVI.) praesidet mensibus quatuor. Hic primum a Formoso Papa Episcopus Anagninae Ecclesiae ordinatus, ipsum Formosum persequitur, et ordinationes ejus omnes irritas esse debere decernit et alia horribilia dictu in eum fecit. Legitur enim quia ipse, et non Sergius, corpus Formosi a sepulcro in consilio protractum et papali veste exutum laicali induit, et abscissis duobus digitis dexterae manus ejus, in Tyberim praecipitari fecit; » pag. 805. ap. Pistorium in Hist. Rerum germanicarum. T. I. parte II. Ratisbonae 1726. Universam hanc de Formoso narrationem silentio praeteriissem vel suspectam credidissem, nisi me coaevorum auctoritas commoveret.

(50) Videantur acta Concilii Romani a Joanne IX. celebrati, apud Labbeum T. XI. concil. col. 699. et seqq. Venetiis 1730.

Formosi translationem et consecrationem comprobavit cavens vero, ne exemplum inde caperetur " quippe quod (statuit Pontifex) necessitate aliquo- ,, ties inductum est, necessitate cessante in aucto- ,, ritatem sumi non est permissum (51). ,,

§. XXI.

Cardinales eorumque suffragia in eligendo Pontifice.

—

Qui Cardinales appellantur praecipuas nobilioresque Cleri partes vel ab ultima antiquitate Romae obtinebant, Ecclesiis quibusdam veluti diaecesibus (unde cognomentum et titulum acciperent) omnino addicti, ministratores, adjutoresque Pontificis, cardines nempe queis res Christiana potissimum incumbat. Triplici distinctos ordine vetus praeterea agnovit aetas, Cardinales Episcopos qui ex Diaecesibus suburbicariis Romano Antistiti praesto adessent, Praesbyteros, et Diaconos qui pastoralis muneris expertes essent (52). Ante Nicolaum II., qui pontificatum maximum anno 1058. est consequutus supremo Ecclesiae Moderatori eligendo intererant non Cardinales modo, sed quidquid Romae Clericorum esset

(51) Videatur ut supra col 702. lin. 5. et seqq.

(52) Vidd. Anastasius Germonius T. I. opp. in tractatu de Indultis Apostolicis pag. 385. col. 1. Romae 1623. ubi etiam agitur de titulis et diaconiis S. R. E. Cardinalium; et Blasius Bagno Can. Reg. in libro inscripto *de praecipuis S. R. E. dignitatibus* tract. undec. p. 163. Bononiae 1625.

civibus praeterea militibus ac popularibus, testimonio tantum. Cum vero in tanto hominum conventu, tantaque frequentia turbae ac seditiones erumperent, hinc factum est ut Nicolaus, adhibito Romae concilio, plurimis Episcopis adstantibus, Italis, Gallis, ac Germanis ad eos motus prohibendos queis, vacante Sede, non modo Roma, sed cuncta Italia saepe exagitabatur, potiores electionis partes Cardinalibus Episcopis tribuerit, qui et Cardinales Presbyteros, et Diaconos, ac reliquum in urbe electum huic negotio, adsciscerent (53).

§. XXII.

Alexandri III. Decreta de Electione Rom. Pontificis.

—

Principem locum, auctoritatemque in creando Pontifice confirmavit et sanxit Alexander III. Cardinalibus, tum et septem Judicibus Palatinis. Hi erant praeter Priorem seu Archipresbyterum Lateranensis Ecclesiae, Archipresbyteros Vaticanae Basilicae, et S. Mariae Majoris, Abbates S. Pauli, et S.Laurentii M. extra pomerium, Primicerius major ac minor, Arcarius, Sacrarius, Summus Scriniarius.

Pontifex idem Alexander, edita in Concilio La-

(53) Nicolaus II. ne seditiones, ac tumultus post mortem Stephani X., Simoniacorum praesertim malitia exorti in posterum renovarentur, normam praescripsit observandam in electione Romanorum Pontificum, decretum illud promulgans in Concilio Romano mense Aprilis an. 1059. quod legitur T. XII. Concil. Labbei col. 49. Venetiis 1730.

teranensi constitutione, cum annus ageretur 1179, eum rite electum, probatumque voluit, quem binae Cardinalium partes juberent (54), reliquis Cleri, Populique ordinibus omissis. Quae confirmavit Gregorius X. (55) ratus et saluti Ecclesiae, et rei majestati consultum fore si a concilio dumtaxat Cardinalium, quos seniores populi, ac judices urbis D. Bernardus nuncupabat (56), supremus Pontifex Christiano populo impertiretur: id etiam moris, qui electionum tranquillitatem custodit, dignitatem auget, retinuit, retinetque Ecclesia (57).

(54) « Statuimus igitur, ut si forte inimico homine superseminante zizania, inter Cardinales de substituendo Pontifice non potuerit concordia plena esse, et duabus partibus concordantibus, tertia pars noluerit concordare, aut sibi alium praesumpserit (*nominare*) ordinare: ille (*absque ulla exceptione ab universa Ecclesia Romanus Pontifex habeatur*) Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus fuerit electus, et receptus. » Alex. III. in Concilio Lat. III. c. 1. de electione Summi Pontificis T. XIII. Conc. Labbei col. 417. Venet. 1730.

(55) In Concil. Lugdunensi an. 1274. T. XIV. Conc. Labbei col. 520. et seqq.

(56) S. Bernardus in lib. IV. de Consideratione col. 445. T. I. edit. Maurinae. Paris. 1719. Quoad Cardinalatus dignitatem, officia, privilegia, et jura, et dotes videri possunt praeter eos jam in sup. nota 52. cit. S. Bernardus, Paulus Cortesius in trib. libris *de Cardinalatu* impressis in Castro Cortesio an. 1510. Hieronymus Manfredi in libro *de Cardinalibus S. R. E.* Bononiae edito anno 1564. Hieronymus Platus *de Cardinalis Dignitate et Officio*. Romae 1713. Andreas Hieronymus Andreucci *de Cardinalium Dignitate, Officio et Privilegiis Discept. canonica* et tandem, ut ceteros omittam, Franciscus Cardinalis Albitius in libro *de Jurisdictione quam habent S. R. E. Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum*. Romae 1668.

(57) De modo eligendi R. Pontificem, et de iis ad conclave spectantibus: legatur Novaes in diss. *Storico-critiche* etc. *Roma* 1797.

XXIII.

Orientalis Schismatis Exordia.

—

Pergravis erat jamdudum Catholicorum animis fastus ille Antistitum Constantinopolitanae Sedis quo amplissimum *Oecumenici* Episcopi titulum sibi indiderant: graves simultates, quas vel a temporibus Leonis Isauri enutriebant; perdolendum denique quod Imperatorum gratia, auctoritateque freti Illyricum, Siciliam, et Calabriam e Romana ditione submoverint: non inde tamen adempta fides, qua Graecorum gens supremo Relligionum Antistiti obstringebatur; id turpissime, quam nulla aetas depellet, Photiani schismatis ignominiae nemo non tribuit. Haec autem tantae calamitatis exordia. Pessimo erat Graecis exemplo Michaelis Aug. (58) imperium, qui abjecta materna tutela, in libidines omnes effusus, neque sacro neque profano abstinens, Neronis imaginem reddere videbatur. Praerupta in dies, et urgens dominatio flagitia sua in Constantinopolitanam Ecclesiam transtulit, et in Ignatium (59) Antistitem spectatissimum furere cepit (60).

(58) Hujus nominis III et Theodorae Imperatricis filii.

(59) Michaelis I. Curopalati, et Procopiae filium, qui Nicetas primum vocabatur, dein eunuchus factus cum fratre suo Theophylacto ab praepotenti Leone Armeno imperii invasore, in monasterium ductus Ignatii nomen sumpsit. Mortuo Methodio Patriarcha CP. in ejus locum suffectus est Ignatius an. 846. Theodorae suffragio. Verum Bar-

XXIV.

Photii mores, simultates, facinora.

—

Generis splendore, ac nobilitate excellens, obitis Legationibus praeclarus, Imperatoris gratia ac familiaritate florens, ingenii, ac doctrinae princeps, Photius, hisce praesidiis, atque armis Ecclesiae hostes reprimere potuisset, pressit Ecclesiam. Angebat nempe animum miserrima rerum omnium ambitio, nec pessimis quibusque artibus imparem, immo vaferrimis consiliis instructum ad facinus omne paraverat: *consummatus* vere *inter filios hominum* (*Sap.* 9. 6.) caelesti autem sapientia inops. Male partam honoris sedem detestabili tuetur exemplo, et Ignatius sepulcro inclusus, faetore ac fame pene confectus, verberibus caesus, a carcere ad carcerem projectus, intentam in semetipsum Bardae, ac Photii rabiem, nefariamque societatem ostendit, expostulat. Qui

das, ob incestum jussu Ignatii Patriarchae ab Ecclesia expulsus die Epiphaniae Domini an. 857., par pari reddere Ignatio iratus statuit. Suasit Michaeli III. ut solus regnaret juberetque Ignatio ut capillos tum Theodorae tum filiabus tonderet, sicque Monasterium ingrederentur. Ignatius restitit, et a Patriarchatu pulsus, in insulam Terebinthum mittitur. Photius ab Gregorio Syracusano, Asbeste dicto, et deposito ob varia crimina ab Ignatio, consecratur et in Patriarchatum CP. intruditur.

(60) Lege vitam Ignatii Patriarchae CP. ab Niceta cognomento Davide Paphlagone exaratam et latine versam ab Matthaeo Radero Ingolstadii editam an. 1604. Eamdem videsis apud Labbeum T. X. Concil. pag. 681. Venetiis 1730.

cum in *tentatione inventus fidelis* (*Eccl.* 44. 21.) pontificatu se spoliari numquam pateretur, id a Photio ab Episcopis nonnullis in conciliabulum coactis decretum edictumque doluit. Non minus autem erat calliditatis Photio tegendi quam immanitatis perpetrandi sceleris, ideoque Nicolao I. Pontifici maximo obrepere, simulatione fidei, ac religionis involvi, supplices Epistolas et Legatos (61) dare ut Ignatium affectum jam aetate, Pontificatu se se excusantem Photium, communibus expetitum suffragiis, ratum haberet et mitteret qui collapsam in Orientalibus plagis Ecclesiae disciplinam erigerent, et Iconomachorum reliquias persequerentur: dona item regio sumptu, ac munera probabilem Nicolao pietatis speciem, Apostolorum principibus conferri jubebat.

§. XXV.

Exardescit sacrilegus in Romanum Antistitem furor.

—

Missos a Nicolao Pontifice Legatos (62) qui de Iconomachorum motibus, et de Ignatii causa cognoscerent, Photius multiplici artificio aggreditur, per insidias circumvenit, molestiis multis implicitos ab officio transvertit. Hinc, re veluti confecta, gloriabundus concilium gregalium Episcoporum Con-

(61) Theophilum nempe Amorii Episcopum, et Samuelem Chonarum Antistitem. Vid. ut supra pag. 707. T. X. Conc. Labbei.

(62) Zachariam et Rhodoaldum Episcopos. Vid. ut supra.

stantinopolim cogit, an. 861. parataque ad terrorem, magisquam ad decus Michaelis Aug. praesentia, Ignatium ab exilio revocatum, sacris exutum infulis (63), tam inhoneste tam dire ad honoris abdicationem irrite licet contentiones impellit, ut non consilium, non judicium aliquod, immane tantummodo latrocinium agitaretur. Neque aliam de eo sententiam tulit Nicolaus qui Legatos causae praevaricatores, compositissimas, et caritatem spirantes ipsius Photii Epistolas, capessitam injuria honoris sedem, dejectum violenter pastorem tum in Romana Synodo tum datis litteris vehementer improbavit (64). Vix credibile appareat, quam caeca rabies (illius enim natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior), Photium in Catholicorum gregem armaverit, et quae jamdiu intumuerat sese in Romanam Sedem ac Nicolaum Pontificem effuderit (65). Hisce succensus furiis conciliabulum, auspice Imperatore, adhibet, corrumpit qui Legatos Patriarcharum Occidentalium ementirentur, qui calumnias in Nicolaum fingerent, qui testes adessent, et innumeris structis criminibus, atrocem in Romanum Antistitem excommunicationis sententiam conjicit. Quin et incautos auctoritatis specie decepturus contumelioso in Nicolaum codici mille Episcoporum nomina fraudolenter supponit. Haeresim vocat defectio tam im-

(63) Ut sup. pag. 710.
(64) Ut sup. pag. 774. et seqq.
(65) Ut sup. pag. 727.

pia, et Dioscoro non absimilis, Photius enim tum suis ad Orientales Patriarchas et Episcopos omnes litteris, tum Michaelis Aug. edicto, jejunium sabati, caelibem Sacricolarum vitam, Divini Spiritus processionem a Filio (66) caeteraque nonnulla, in Religionem veluti adscita impeccabili Ecclesiae exprobrat; exprobratus et ipse deinde et perstrictus firmissimis Hincmari Remensis, aliorumque Gallorum Praesulum argumentis, quae Nicolaus ipse suaserat.

XXVI.

Ignatius restituitur; Romanae Sedis auctoritas vindicatur.

—

At cum, vindice scelerum Numine, Michael anno 867. morti improborum pessimae, Basilius regundo imperio daretur, Catholicorum e contra res aliquantulum quiescere caeperunt. Hic enim reparandae Ecclesiae animum adjiciens, Photium ab usurpata Sede in monasterium ablegat, Ignatium infelici exilio consenescentem posliminio averti jubet, laesam ulciscens hoc pacto Ecclesiam, non seipsum, (ut Zonaras Graeculus, atque schismaticus commentatur) quasi ob perpetratam Michaelis caedem sacris communibus a Photio prohibitus fuisset. Revocatam cum Ignatio Apostolicam auctoritatem mire gratulatus Hadrianus II. Pontifex, qui Nicolaum vivis ere-

(66) Vid. epist. encyclica Photii num. 2. juxta editionem Rich. Montacutii gr. et lat. Londini 1651.

ptum exceperat, decessoris judicio per coactam an. 868. Synodum subscribit, Photii libellos, quotquot per Orientem vagarentur, flammis devoret, synodum Constantinopolitanam (67) quae aecumenica octava recensetur, suffragante Imperatore, indicit, et per Legatos an. 869. illuc missos, et honorificentissime susceptos moderatur. Nobilibus decoratam testimoniis Romanae Ecclesiae praestantiam, contritam rationum momentis Photii defensionem, propositum tum lapsis tum Iconomachis paenitentiam, conclamatum sacrarum imaginum cultum, aliaque Ecclesiasticae disciplinae perquam idonea, aecumenicum illud concilium Catholicis exoptantibus praebuit. Licet non vacuum malis artibus atque insidiis Photii exilium fuerit, ea tamen quiete Ignatio uti licuit, quae aliquod diuturni laboris levamen afferret, atque praeberet usque ad an. ejus emortualem 878.

§. XXVII.

Photius regreditur, grassatur, repellitur.

—

Spiritus, qui nunquam exciderant, ab Ignatii morte extulit Photius, et perductis in suas partes optimatibus, ad facilem primo Imperatoris animum, et ad Constantinopolitanam Sedem deinde an. 878. adrepsit. Cujusce reditus Ignatianos omnes ingenti horrore et Ecclesiam recrudescenti calamitate per-

(67) Vidd. act. Conc. VIII. Aecum. T. X. Conc. Labbei pag. 782. et seqq.

strinxit. Quod ad dolorem acerbius, ea fuit Joannis VIII. Pontificis inscitia, quae expetenti Basilio, invadenti Photio annueret, et gregem illum diripiendum relinqueret, muliebris nempe mobilitas, ex qua Papissae cujusdam nomen, ac personam in Apostolicam Sedem fluxisse nonnulli autumant: sed temere assentientis levitas, magisquam Apostolicae auctoritatis proditio culpanda est, cum Joannes Basilii literis responderit, nihil Decessorum et Synodi Oecumenicae decretis efficientem se hanc unitati et tranquillitati Ecclesiae veniam concedere, quam Photius postea in Synodo coram Sedis Romanae Legatis suppliciter esset impetraturus (68). Indulgentia tamen ejusmodi scelera non abolevit quae sceleribus in dies cumulabantur. Potitus enim Photius Legatorum imprudentia Pontificii Commonitorii, eoque ex libidine circumciso, ac vitiato, Synodum in augustis S. Sophiae aedibus cogit, tantumque abest ut humilem, quam Pontifex indixerat, veniam imploret, quin superbo procacique fastu se se effert et quae Nicolaus I. et Hadrianus II. in Photium, ac Photianam impietatem fixerant, per conciliabulum refigenda curat. Redarguit contumaciam omnino intollerandam Joannes VIII., damnarunt qui supremam omnium Sedem postea adepti sunt, Marinus, et Stephanus VI. cujus victricibus sane litteris id debetur, quod Leo Augustus Basilii successor cognomine sapiens, Photium

(68) Vidd. Epp. Joannis VIII. T.X. Conc. Labbei p.955. et seqq.

Constantinopolitanae Ecclesiae tyrannum an. 886. ejecerit, Stephanum germanum suum in ejus locum Antistitem subrogarit, Sacricolasque omnes aerumnis pene exhaustos restituerit. *Collaudabunt multi sapientiam ejus* (*Eccl.* 39. 12.) quae dies tandem pacales Ecclesiae constituit (69).

§. XXVIII.

Photianum Schisma instauratur.

Prostratas jamdiu 200. annorum spatio impietatis vires restituit Michael Caerularius, qui vir tumidis spiritibus, ac seditiosis (perduellionis enim crimen in monasterium inclusus purgaverat) Photianae indolis specimen praeseferebat. Abditus ac fingendis virtutibus subdolus in Constantinopolitanam Sedem irrepsit an. 1043., virum in Romanam Sedem jamdiu conceptum decem annorum spatio occultans, non ita tamen ut susceptus Oecumenici titulus, quem Eustasius an. 1024 dimiserat, hominis mentem omnino tegere posset. Hanc dissimulationis integumento

(69) Post haec quid de Photio factum sit, silet historia. Vid. Leo Allatius in opere - de Ecclesiae occidentalis atque Orientalis perpetua Consensione - Lib. II. cap. VI. p. 567. Coloniae Agrippinae 1648. Cff. etiam Le Quien - Oriens christianus - T. I. pag 245. et seqq. Parisiis 1740. Natalis ab Alex. T. VI. *H. E.* in diss. de Schismate Photiano pag. 371. Lucae 1751. Aloisius Maimbourg in - *Histoire du Schisme des Grecs* - à Paris 1677. pag. 12., seqq. et Dupinius in - *Histoire des Controverses et des matières ecclesiastiques traitées dans le neuvième siècle* - T. XVII. opp. edit. Paris. 1697. pag. 272. et seqq.

evolutam, nudatamque prodiderunt contumeliosissime in Romanam Ecclesiam, et Apostolicam Sedem litterae tum suo, tum Leonis Acridani Archiepiscopi nomine ad Joannem Tranensium in Apulia Antistitem missae an. 1053., quibus veteres Graecorum calumnias non modo restruebat, sed et nova progignens monstra exaggerabat. Acerbis aculeatisque literis diserte, vehementerque persolvit Leo IX. (70) et rogatus a Constantino Monomacho Imp. jussit, Legatos Constantinopolim proficisci , qui pacem conciliarent, Humbertum Cardinalem Silvae-Candidae Episcopum, Petrum Antistitem Amalphitarum, et Fridericum Cancellarium S. Romane Ecclesiae maximum. Benigne ac peramanter audita ab Imperatore legatio hunc tulit fructum quod Nicetas praefervidus Latinorum vexator Humberti sermonibus devictus, libellum in Romanam Sedem a se antea exaratum igni mandaret (71). Catholicae Fidei veritatem non fateretur modo, sed et profiteretur, eique studium suum omne dicaret. Cum nihil e contra

(70) Epistola Michaelis Caerularii ad Joannem Episcopum Tranensem ext. ap. Baronium ad an. 1053. pag. 81. T. XVII. Lucae 1745. ex qua accusationes in Latinos eruuntur, nempe; Latinos Judaeorum morem gerere azymos panes consecrantes, et cum iisdem communicare; sabbata in quadragesima judaice observare; suffocata comedere; *alleluja* in quadragesima non psallere.

(71) Libellus Nicetae *Pectorati* adversus Latinos, extat apud Baronium T. XVII. Ann. pag. 669. edit. cit. et apud Henricum Combefisium in Thesauro monumentorum ecclesiasticorum et historicorum T. III. pag 308. Amstelaedami 1725. utrobique vero Nicetae libellum sequitur responsio Humberti Episcopi Sylvae Candidae.

Legati apud Caerularium proficerent, qui eorum colloquia, ac vim disputationis omnem subterfugiebat, ad officii religionem pertinere arbitrati sunt hominem insanabilem, et Leonem Acridanum et caeteros nefaria societate conjunctos sacrorum interdictione punire. Legati, Imperatoris ope, insidiatrices Caerularii manus declinant, et Italiam repetunt: hic vero damnatoriam, qua obstringebatur sententiam in eos retorquet, Romani Pontificis nomen e Dypticbis furenter expungit, mendacibus in Latinos et ardentibus iis literis obstrepit, quas ex nimis magno stomacho et indignatione scriptas, neque Religionis, neque veritatis testes nonnulli etiam inter protestantes redarguunt (72).

§. XXIX.

Schisma insequuntur RR. Pontifices post Caerularii mortem.

—

Haec tamen pravitas saeculo XI. post Caerularii mortem Orientalem omnem Ecclesiam non infecit, eamque comprimere conatus est Alexander II. Romanus Pontifex, misso an. 1071. ad Michaelem Imperatorem (73) Petrum Episcopum Anagninum et Apocrisarium, qui Constantinopoli aliquantum se habuit (74). Spem restituendae omnino inter

(72) Inter quos Moshemius. Cf Dupinius in *Histoire des Controverses* etc. j. s. c. p. 367.

(73) Hujus nominis septimum.

(74) Ap. Baronium ad an 1071. pag. 333. cit. edit.

utramque Ecclesiam concordiae secutus Gregorius VII. Dominicum Gradensem non modo ad Graecos legabat, sed et Nicephorum Botoniatem invasorem imperii sacris communibus excludendo ann. 1078. (75), Michaeli Latinae videlicet Ecclesiae subsidio favebat. Misit et Urbanus, misit Paschalis II. qui Graecae illius haeresis semina, quocumque proferrentur, eruerent: haec tamen e radicibus suis cum identidem repullularent, legationibus in eam rem scriptisque contendit Romanus Antistes, nec quae eum angebat de Orientali Ecclesia solers cura unquam consedit. Nimirum solertia, vigilique sagacitate opus erat, quae inquieta, ac tortuosa Graecorum ingenia pertractaret, insidias multiplices solveret, vicissitudines illius Ecclesiae omnes pensitaret. Subacta denique per conspirantes Latinorum copias Constantinopoli, datoque Patriarcha Thoma Morosinio Veneto, id Innocentius III. (76) perpetuae voluntatis, eximiique honoris testimonium Graecis tribuit, ut qui deinceps pervetustam eam Sedem adipiscerentur, alteram a Romana se se tenere gloriari possent.

§. XXX.

Illyriorum Ecclesia.

—

Regiones illas, quae Illyrici nomine innotuit

(75) In Concilio Romano. Vid. Baronius ad an.1078. p.476. ed.cit.

(76) Vid. Maimbourg in - Histoire du Schisme des Grecs - p. 342. et seqq.

Patriarchicas Romanae Sedis Principatus amplectebatur, anteaquam vis Leonis Isauri et violentia invasissent. Eas postmodum habuere Bulgari, quorum Rex Bogoris caelesti lavacro expiatus, an. 865. divinae Legis praeconibus sacrorumque Administris a Ludovico Germanico impetratis, subditas sibi gentes in Romanae Ecclesiae fidem et clientelam suscipiendas curavit. Quin et missis Romam ad Nicolaum Pontificem consulendum filio, aliisque proceribus, gravissima Nicolai responsa, duoque virtutis lumina retulit Paulum Populoniensem, et Formosum Portuensem Pontificiae auctoritatis vicarios, et propagatores. Quae tam fausta ac felix Ecclesiae possessio cum Graecis invidiae esset, Photio prae caeteris in eam livescenti, illico Presbyteri, non pacis sed discordiae agitatores missi, qui improbis erga Romanam Ecclesiam criminibus in omnium animos influerent, et patriarchalem totius Bulgariae ditionem ad Constantinopolitanae Sedis jura transvertere conarentur: quae et quot fraudes a Photio excogitatae, instructae, et tum Illyricis tum Apostolicis Legatis objectae fuerint, id ex tam prorupto humani divinique juris eversore, tam perito dolorum artifice, doctoreque facile intelliges. In eas insidias misere delapsus Bulgarorum Rex, cum expetitum ab Hadriano II. Archiepiscopum nondum impetrasset, per Legatos ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum an. 869. praecipiti celeritate Antistitem urgebat, quem Agathonem (alii haud satis ex-

plorate Theophilactum putant) voti compos obtinuit.

§. XXXI.

Bulgaricae Ecclesiae Vices.

—

Neque Hadrianus II. ab Ignatio Constantinopolitano, neque Joannes VIII. a Photio impetrare potuerunt, ut Graeci Sacricolae Bulgarorum fines relinquerent. In illis autem conversionibus, quibus sub Leone, ut vocant, Sapiente, civilem et Ecclesiasticam Graecorum dominationem Bulgari abjicerunt, et in Pontificalem relati sunt a vero alienum videtur, eorum Archiepiscopum subinde *autocephalum* suique juris, ac mancipii evasisse, quod quidem obtinuit Damianus Bulgarorum Archiepiscopus a Constantinopolitana Sede, cum Graeci maxima funderent largitate quidquid gentis illius animos posset demereri. Turbata autem pace sub Nicephoro Phoca an. 967. (ea enim tam mobilibus Graecorum animis semper instabilis) in parentis Ecclesiae sinum una cum Sacrorum Antistite effugiunt, donec inde a Basilio abstracti, et concussi iterum, a Graecis premuntur.

§. XXXII.

Servia.

—

Servia Bulgarorum imperio hucusque obtemperaverat; Byzantinum deinde pertulit, detrectavitque anno 1040. connitente Boistlabio, qui partem

illius gentis in potestatem, ditionemque suam perduxit. Servios Romanae Ecclesiae, qua nil faecundius, nil omni aetate uberius, prolem auxisse ex literis Gregorii VII. ad Michaelem, qui principatum inter eos obtinebat, inferre licet. Instauratum autem an. 1187. Bulgarorum regnum Innocentius III. Apostolica Fide firmandum curavit, Regem ad Ecclesiae gremium revocare non destitit, suscepitque una cum Basilio Bulgariae Antistite: inde impertitis gregi pastoribus, ac ducibus, Bulgaricae, Servianaeque Ecclesiae tranquillitati, et custodiae prospexit (77).

(77) Confer Josephum Simonium Assemanum in Kalendariis Ecclesiae universae T. III. IV. V. al. cit.

CAPUT II.

De Romanis Pontificibus.

§. I.

Pontifices Saeculi IX.

Supremos Religionis Antistites habuit Apostolica Sedes a Leonis III. obitu Stephanum IV., Paschalem, Eugenium II., Valentinum, Gregorium IV., Sergium II., Leonem IV., Benedictum III., Nicolaum, cognomine Magnum, Hadrianum II., Joannem VIII., Marinum, qui et apud alios Martinus, Hadrianum III., Stephanum V., Formosum, Bonifacium VI., Stephanum VI., Romanum, Theodorum II., Joannem IX.

Decem a Leonis III. obitu dies vix excesserant cum an. 816. mense Junio Pontifex Ecclesiae successit Stephanus IV. aliis V., Diaconus, genere Romanus, loco, ordine, nomine, virtuteque ornatissimus; qui ut primum id muneris est auspicatus, iter in Gallias arripuit rei Christianae causa ad Ludovicum Pium Augustum, cui, regiaeque conjugi Irmingardae, diadema Remis imposuit (78): quo qui-

(78) Quid eo itinere actum sit enarrant Theganus Chorep. Trevirensis in libro de gestis Lud. Pii; et auctor anon. vitae Lud. Pii, uterque apud Du Chesne T. II. Hist. Francor. Script. Lutetiae Pa-

dem consilio ab eximia illa regii animi pietate, et singulares Pontificiae dignitati honores, et non mediocres Ecclesiae utilitates auxit (79). Hunc sanctimoniae opinione et laude in dies efflorentem, atque immaturo exitu an. 817. praereptum (80), excipiebat postridie Paschalis hujusce nominis primus et ipse Romana stirpe ortus, literis excultus, singulari virtute praeditus, monastico vitae instituto jamdiu

ris. 1636. Cf. Flodoardus in hist. Remensis Ecclesiae Lib. II. c. XIX. pag. 543. T. XVII. Bibl. Patrum Lugd. 1677.

(79) Stephani nomen praefert apud Gratianum decretum quo civili potestati in electionem R. Pontificis multum defertur. At ambigit de authenticitate Baronius ad an. 816. pag. 585. et seq. T. XIII. cit. edit., quandoquidem Ludovicus Pius in celeberrima Constitutione *Ego Ludovicus* libertatem pontificalis electionis luculenter asseruerit, dum novus Pontifex Legatos apud se haberet. Videatur Florus Diaconus Lugdunensis, *Magister* adpellatus ineuntis saec. IX. scriptor, qui in libro de electionib. Episcoporum sic habet: « *Absque interrogatione principis solo dispositionis judicio, et fidelium suffragio legitime Pontifices consecrari, qui etiam omnium regionum et civitatum quae illi subjectae sunt, juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant, atque constituunt Sacerdotes.* » §. 6. pag. 258. Tom. 2. opp sancti Agobardi. Parisiis 1666. extat etiam T. XV. Biblioth. PP. Lugd. p. 86. Lugd. 1677. et T. XIII. Bibl. PP. Galland. pag. 592. Venetiis 1779. Vid. sup. n. nota (46).

(80) Anastasius Bibliothecarius T. I. de vitis Romanor. Pontificum pag. 314. edit. Romae 1718. tribuit Stephano annos VII. menses 7. pontificatus, sed evidenter ex librariorum errore; cum in codicibus Freheri Reg. Mag. et Thuano habeatur *sedit menses* 7. Id constat ex Orderico lib. 2. Eccl. Hist. pag. 454. Hist. Normannor. Script. per Duchesne. Lutet. Paris. 1619. aliisque quos pro sua sententia citat Pagius in Breviario historico-chronolog. critic. PP. RR. T. II. pag. 25. Antuerpiae 1717. Nos eidem Pagio assentimur.

devictus (81). Qui non modo amicitiam, et societatem cum Ludovico Pio, sed et jura (82) Romanae

(81) « Paschalis natione Romanus ex patre Bonoso sedit annos septem, menses quinque, dies sexdecim. » Anast. T. I. p. 317. ed. cit. Cod. Reg. Maz. et Thuan. an. VII. m. III. d. XVII. Martinus Polonus an. VII. d. XVII. cujus sententia consonat cum catalogis I. III. VII. quos videsis in Apparatu Ann. Baron. cum crit. Pagii. Lucae 1740. pag. 311. 313. 319. et cum cat. S. Pauli ap. Marangonium in chron. RR. Pontificum p. 53. edit. Romae 1751. Nos cum iisdem Catalogis Paschalem sedisse arbitramur an. VII. d. XVII.

(82) Confictum vel corruptum existimant nonnulli diploma a Ludovico Pio an. 817. Aquisgrani editum, quo Paschali I. ceterisque Romanis Pontificibus imperium confirmavit et donationes ac privilegia a Parente avoque suo iisdem concessa amplificavit. Hoc diploma legitur apud Baronium T. XIII. Annal. p. 591. edit. cit. ad an. 817. et apud Baluzium T. I. Capitularium Regum Francorum pag. 591. Parisiis 1677. prout retulerunt Yvo par. 5. c. 51. Gratianus par. 1. dist. 63. c. 30. et Volaterranus lib. 3. Praeter fere omnes haereticos, inter quos eminent Molinaeus et Walchius, apocryphum putarunt hoc diploma Antonius Pagi in crit. ad Bar. ad an. eumd. T. XIII. sup. cit. ead. pag., Franciscus Pagius in vita Paschalis I. Tom. II. Brev. hist. chr. crit. pag. 27. edit. Antuerpiae 1717. Auctor tabulae chorographicae T. X. scriptor. rer. italicar. pag. xxxi. Mediolani 1727. Baluzius in notis ad Capitularia Reg. Francor. T. II. pag. 1104. Paris. 1677. Vel confictum Ludovici diploma aut saltem corruptum judicat Muratorius praesertim in Ann. Le Blanc in diss. inscripta « *Dissertation historique sur quelques Monnoyes de Charlemagne de Louis Le Debonnaire de Lothaire et de leurs successeurs frappée dans Rome* » A Amsterdam 1692. pag. 30. ext. ad calcem operis ejusd. auct. « *Traité historique des Monnoyes de France.* » Inter eos qui illud certum ponunt sunt Grotius lib. I. c. III. §. XIII. pag. 120. op. *de jure belli et pacis* edit. Trajecti ad Rhenum 1773. Petrus de Marca lib. III. cap. XIII. §. XII. de concordia Sacerdotii et imperii pag. 287. Paris. 1704. Fleury T. X. pag. 169. operis « *Histoire Ecclesiastique* » à Bruxelles 1714. Justus Fontaninius lib. I. c. IV. §. VII. pag. 36. *de Antiquitatibus Hortae Coloniae Etruscorum*

Ecclesiae in subditas antea provincias, Imperatorio Diplomate inde relato, tuebatur. Statutum autem

Lugd. Batav. 1723. ext. T. VIII. P. III. Historiar. Italiae Burmanni. Cajetanus Cenni, atque, ut omittam Carolum Le Coint in annal. Nat. ab Alex. in H. E., Baronium, Gretserum, Sandinium, Nicol. Antonellium, et Stephanum Borgiam, certum demonstrat diploma; Cajetanus Cenni in diss. de diplomate Ludovici Pii, ext. pag. 83. et seqq. T. II. operis *Monumenta Dominationis Pontificiae*. Romae 1761. Nos neque conflictum, neque corruptum illud existimamus. Si enim ea quae in diplomate leguntur cum iis quae ab Eginhardo, ab auctore annal. Bertinianorum, ab Astronomo aliisque referuntur jam de genuinitate diplomatis concludendum erit. Eginhardus sive auctor quilibet alius sit annalium Laureshamensium, certe Ludovici aevo par, ad an. 817. T. II. Script. Hist. Franc. editionis Du-Chesne jam cit. pag. 261. scribit: « Missa tamen alia legatione (*Paschalis*) *PACTUM* quod cum praecessoribus suis factum fuerat, etiam secum fieri ac firmari rogavit. Hanc legationem Theodorus Nomenclator et detulit, et ea quae petierat impetravit.» Animadverte diploma Ludovici appellari *pactum* prout in exordio ejusdem diplomatis legitur: « *Ego Ludovicus. . . concedo per hoc pactum.*» Auctor Annal. Bertin. qui coevus Ludovico dicitur ad an. 817. pag. 174. T. III. Script. Hist. Francor. per Du-Chesne eadem ferme verba refert: « Missa tamen legatione alia *PACTUM* etc. . . . Theodorus Nomenculator ei detulit . . . impetravit.» Astronomus sive Auctor vitae Ludovici Pii qui se in Palatio ipsius Imperatoris versatum esse testatur sic habet ad an. 817. pag. 297. T. II. cit. Du-Chesne: « Qui (*Paschalis*) post expletam consecrationem solemnem Legatos cum epistola apologetica et maximis muneribus Imperatori (*Ludovico*) misit: insinuans non se ambitione, nec voluntate, sed electione et populi acclamatione, huic succubuisse, potius quam insiluisse dignitati. Hujus legationis bajulus fuit Theodorus Nomenculator, qui negotio peracto, et petitis impetratis, super confirmatione scilicet pacti, et amicitiae more praedecessorum suorum, reversus est.» Idem Astronomus aperte habet in prologo pag. 287. « Porro quae scripsi usque ad tempora imperii, *ADHEMARI* nobilissimi, et devotissimi monachi relatione didici, qui ei coaevus et connutritus est. Posteriora autem quia ego interfui rebus Palatinis quae vidi, et comperire potui stilo contradidi. » Mitto auctorem chronici vulturnensis aliosque

ejusmodi, sunt qui ut subdititium rejiciant veteri odio in civilem Romanorum Pontificum ditionem

recentioris aevi scriptores. Quae hucusque retulimus satis sunt pro genuinitate diplomatis cnm alia nequeant fingi pacta, quorum confirmationem a Ludovico Paschalis I. postulaverit, praeter ea quae Ecclesiae Romanae concesserunt Pipinus et Carolus M. Neque corruptum habendum est diploma Ludovici, excipe levissimos errores quos veterum librariorum incuria, vel humani ingenii imbecillitas intulit. Id probant et omnium exemplarium consensio, et narratorum convenientia cum Ludovici aevo. Quod si in diplomate nonnullae insulae nominentur quae sub Ludovici imperio non erant, Ludovicus tamen Caroli et Pipini exemplo motus, poterat quidem eas insulas donare, quatenus compensationis nomine easdem Romanae Ecclesiae vindicaret, et non facto *possessionis*, sed jure *praetensionis* concederet, ut in confirmatione Othoniana et Henriciana idem apparet. Nec valet inusitatae invocationis Trinitatis formula, vel ejusdem Imperatoris subscriptio, vel Episcoporum, et Abbatum, Procerumque subscriptiones quae inusitata Ludovici aevo dicuntur. Etenim, ut ait Mabillonius de re diplomatica lib. 2. c. III. §. XIII. pag. 79. edit. Neap. 1789. « *Hae litterae receptum Cancelleriae stilum non sequuntur fortasse quod extraordinario modo scriptae sunt, ut in re tanti momenti.* » Sed propius ad rem. Invocatio Trinitatis non in omnibus exemplaribus legitur; dum in diplomatibus Caroli M. Ludovici Pii Parentis post an. 800. invocatio hujusmodi adhibetur: « *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Karolus serenissimus etc.* » legitur in diplomate Karoli apud Mabillonium edit. cit. lib. V. pag. 407. Tab. XXV. Subscriptio Episcoporum Abbatum etc. in testamento Karoli M. habetur ut ap. Eginhardum in vita Karoli M. p. 106. T. II. script. Hist. Francor. legitur ubi testamenti hujus verba referuntur, et subscriptiones. Exemplum subscriptionis Imperatoriae habetur in donatione Karoli, ut apud Anastasium in vita Hadriani I. R. P. idemque testatum videmus in persona ejusdem Ludovici ab Thegano Trevirensi Chorepiscopo, Ludovico Imperatori coaevo, in gestis Ludovici Pii pag. 278. ap. DuChesne T. II. op. cit. hisce verbis: « Omnia supradictus Princeps (*Ludovicus*) destruere jussit acta, quae impie in diebus patris sui per iniquorum ministrorum ingenia facta fuerant. Patrimonia oppressis reddidit, injuste ad servitium inclinatos absolvit, et omnibus praecepta

fortasse transversum acti, cum nobiles profecto eruditi magnam doctrinae copiam in illius defensionem adjecerint. Danos a possessoribus iniquis in Christianam libertatem asserendos curavit, misso, qui evangelium praedicaret, Ebbone Remensium Antistite (83), Catholicos pro sacrarum imaginum cultu (84) pugnantes, varieque conflictatos, a Leonis Armeni furore protexit, Lotharium Ludovici Pii filium Romae Imperii consortem renunciavit, coronaque redimivit.

Post ejus mortem, quae anno 824, assignatur, turbatum est inter electionem Eugenii II. (85) Ro-

jussit facere et manu propria cum subscriptione confirmavit. » Quoad jus mittendi Legatos post electionem Pontificis, quod in diplomate legitur, conferatur Carolus Le Cointe in Ann. Eccl. T. VII. ad an. 817. pag. 393-395. edit. Paris. 1678.

(83) Vid. nostra sup. nota (22) pag. 9.

(84) Ex literis Theodori Studitae quas suo, et confessorum nomine ad Paschalem misit satis patet quantopere adversus Iconomachos Pontifex supremus adlaborarit. Qui Ichonomacorum legationem veluti latrocinalem hominum manipulum rejecit, et Graecis monachis e contra Romam confugientibus monasterium ad S. Praxedis, aliaque praebuit adjumenta. Cff. Theod. Studita epp. LXII. pag. 485, LXIII. pag. 486. LXVI. pag. 492. CXXI. pag. 567. T. V. opp. Jac. Sirmondi. Paris. 1696. Anastasius in vita Paschalis pag. 320. T. I. edit. cit. et Baronius ad an. 818. pag. 608. T. XIII. Annal.

(85) « Eugenius natione Romanus, ex patre Boemundo, sedit annos quatuor, menses duos, dies viginti tres. » Anastasius in vitis Romanor. Pontificum T. I. ed. cit. pag. 331. num. 452. Catalogus S. Pauli an. III. m. VI. d.... ap. Marangonium sup. cit. p. 53. Catalogus I. et III. habet an. III. m. VIII. d. XXIII. Catalog. IV. et VI. an. IV. Cat. II. an. III. Cat. V. an. III. m. VIII. d. XXVIII. Cat. VII. an. IV. m. VII. d. XXVIII. In serie tandem veter. RR PP. per Ho-

mani, Archipresbyteri S. Sabinae, cujus autem innocentiae, gravitatis, justitiae, fidei, ceteraeque virtutes omnes omnium voluntates, ac suffragia eidem conciliarunt. Sed et intelligens praeterea in eo judicium, et non vulgaris legum sacrarum prudentia. Utrumque palam ostensum est in controversia de SS. Imaginibus (86) in Clerum Gallicanum illata, quam juste sapienterque disceptavit, et in concilio pro Ecclesiae disciplina tuenda Romae habito, ubi nimia Episcoporum libertas, et evagatio coercita, Clericorum educatio, regularis vitae in-

norium Augustodunensem habemus an. IV. m. VII. d. XXII. Ex auctoritate Eghinardi auctoris Bertin., et auctoris vitae Ludovici Pii, constat obiisse Eugenium an. DCCCXXVII. et Paschalem fatis cessisse an. DCCCXXIV. unde Anastasii lectio rejicienda, et satis probatum videmus sedisse annos III. Cum vero ex expositis Catalogis varia est mensium dierumque computatio, hinc est quod nos cum Pagio in Brev. RR. PP. T. II. p. 41. dicimus, quot praecise menses et dies supra tres annos sederit, ignorari, illudque tantum constare mense Augusto nempe an. DCCCXXVII. obiisse.

(86) Ludovicus Pius Aug. cui timorem ingesserant Mich. Balbus, et Theophilus Imperatores orientales de superstitionibus quas proclamabant erga SS. imagines, enatisque inde tumultibus per Freculphum Episcopum, et Adegavium quos Romam Legatos miserat ab Eugenio II. impetravit, ut orientalis Ecclesiae statum, et quaestiones de SS. imaginibus gallici Episcopi praestantiores animadversioni subjicerent. Hosce Lutetiam Parisiorum vocavit, qui anno 824 Kal. Nov. convenerunt, dederuntque literas ad Ludovicum et Lotharium Impp., in quibus dum Iconoclasticorum furorem redarguunt, nimium honorem SS. iconibus aliquando impertitum aversantur. Ea in re ita se habuit Eugenius, ut utrumque devitaretur, neque indebitae accenseretur venerationi, quod Romani Pontifices, et Catholica Ecclesia sacris imaginibus contulerunt.

stitutio perpolita, sacrorum ritus exculti (87). Parens Christiani orbis optimus, parens autem egenorum, ut Romae vocabatur, amantissimus desideratus est an. 827. (88). Ostensas a Valentino (89) Archidiacono spes, qui die a suscepto honore quadragesima interiit, redintegravit Gregorius IV. (90) Ro-

(87) Hanc synodum Romae habuit Eugenius an. 826. die XV. Novembris: octo et triginta confecti sunt Canones, in quibus clericorum institutio certis in locis hodie Seminariis, Literae dimissoriales Praesbyteris a propria Diaecesi proficiscentibus, jura patronatus asseruntur. Videantur canones hujus Concilii ap. Labbeum T. IX. Concil. col. 1120 et seqq.

(88) Juxta Francorum annalistas. Sunt qui contendunt Eugenium annuisse experimentis *aquae frigidae* (de quo vid. c. V. de ritibus et discipl. Eccl. har. Institut.) eo ducti, quia Eugenius id substituere voluerit juramentis quae super altare et super reliquias et corpora Sanctorum fieri consueverant. Atqui nobis suadere possimus, pontificem, ut praedicatur ab omnibus, pientissimum, malum hoc graviori sane auferre voluisse, cum eo experimento tentaretur Deus qui ad mira prorsus edenda provocabatur? Et quandoquidem eo ritu Eucharistia conferri solebat a Sacerdote ad *probationem* vel criminis vel innocentiae, quis in animum inducat vetuisse Eugenium jusjurandum ad sepulcra Sanctorum, et admisisse probationem corporis Dominici, scilicet pro periculo perjurii periculum sacrilegii? Ulterius hac in re urgere possemus, urgetque Natalis ab Alex. Hist. Eccl. saec. IX. et X. c. I. art. 4. p. 161. T. VI. edit. al. cit. Quoad ritum, vide Mabillonium p. 161. veter. analect. edit. Paris 1723. Vid. Pag. in Brev. p. 40. T. II.

(89) «Valentinus, natione Romanus, ex patre Petro de regione via Lata sedit dies quadraginta.» Anast. in vitis RR. PP. p. 332 n. 453. Catalogus S. Pauli apud Marangonium pag. 54. habet die XXXX. cum quo conveniunt Catalogi I. II. III. IV. V. VI. apud Baronium in apparatu cum crit. Pagii alias cit. Vid. Pagi in Brev. p. 46. T. II.

(90) « Gregorius quartus, natione Romanus, ex patre Joanne sedit annos sexdecim.» Anast. T.I. p.334. n. 457. Idem habent Cat. S. Pauli s. c. Cat. I. II. IV. V. VI. VII. ap. Bar. l. c. Cat. III. signat an. XXVI.

manus civis ac Presbyter, cui doctrina, et virtus eminens, animus humilis, atque demissus pontificale fastigium formidolosum (91), consilium autem sapiens immo et salutare neque eventu ponderandum, quo in Gallias perrexit, ut armatos in Ludovicum Augustum filios *Princeps pacis* (*Is.* 9.6.) componeret (92). Verum in magna licet mansuetudine et lenitate fortitudinem induit et, Saracenis Italiae oras piratica classe impetentibus, opes ac praesidia quam plurima potest, comparat, Ostia Tiberi-

et series veter. RR. PP. Honorii Augustod. ap. eumd. Baron. scribit an. XVII. Nos sedisse dicimus annos XVI. circiter.

(91) Delituit enim in Basilica SS. Cosmae et Damiani; at inventus a Clero, et Populo in Apostolicae Sedis fastigio collocatus est.

(92) Iter pacificum in Gallias ut Lotharium, Pipinum, et Ludovicum Ludovico Pio patri reconciliaret, referente Astronomo (in vita Lud. Pii T. II. du Chesne p. 309. al. cit.) calumniis atque injuriis obnoxium fuit. Prolatum est enim in vulgus iniquo ferri animo in Imperatorem, et Episcopos eidem deditos, ad quos excommunicandos praeceps accederet. At auctore ipso, tum etiam Thegano (*ut supra*) aliisque testantibus, neque Gregorius defectioni filiorum unquam favit, nec invidum adversus Episcopos animum gessit. Scimus e contra a Paschasio aliisque, gallicos Episcopos eo audaciae proruptos ut pacificatori Gregorio excommunicationem comminarentur. Id confirmat Epistola ipsius Gregorii (inter epistolas Agobardicas T. II. opp. S. Agobardi p. 63. Parisiis 1666.) in qua ita sibi inimicos Gallicanos Episcopos asserit, ut nihil agere vel disponere ipsi liceret, nec quempiam excommunicare, ipsis obsistentibus. In cit. epistola, superbientes Episcopos redarguit et apostolicam auctoritatem, quae animas regit imperiali jure potionem defendit, eosque hortatur ut Imperatores ad omnigenas Christianae mansuetudinis et pietatis leges exigere studeant, minime autem ut partium furori novas faces subjiciant. Addit multa alia, quae insitam penitus Romanis Pontificibus propriae potestatis opinionem declarant.

na, munitionibus, refectisque denique maenibus saepit, furentes ac violentos barbarorum impetus retardaturus (93).

Paucis ab hujus obitu interjectis diebus, Pontifex declaratus est IV. Id. Februar. Ann. 844. Sergius (94) hujusce nominis alter, qui et Romanus, et sacris vel a puero addictus, fama optima, meritissimaque fruebatur (93), et a virtutum copia, quas Anastasius Bibliothecarius describit, magis quam a rerum gestarum multitudine inclaruit. Dies illi supremus prid. Id. April. 847 (96) Leoni IV. (97)

(93) Legatur Anastasius sup. cit. T. I. pag. 345. n. 476.

(94) Refert Platina nonnullorum esse sententiam dicentium, primum hunc fuisse Pontificem, qui alium a proprio nomen in Pontificatu capessendo sibi indiderit: id coaevi scriptores silent, et de Joanne XII. potius dicendum est, qui ante Pontificatum Octavianus vocabatur.

(95) Memoranda videntur quae protulit Sergius, dum ad fores Templi vaticani Ludovicum Loth. Aug. filium aliosque simul proceres excepit, et clausis januis, ita est allocutus: « Si pura mente, et sincera voluntate et pro salute Reipublicae, ac totius Urbis, hujusque Ecclesiae huc advenisti, has mea ingredere januas jussione: sin aliter nec per me, nec per meam concessionem istae tibi portae aperientur. » Ita ex Anast. j. c. T. I. p.350. n. 484. ex Adone Viennensi, et Baronio.

(96) « Sergius natione Romanus, ex patre Sergio, regionis quartae sedit annos tres. » Anast. T. I. pag. 347. Cat. S. Pauli habet an. II. m. XI. d. XXVI. Cat. I. III. IV. V. VI. an. III. Cat. II. an. III. d. IX. Cat. VII. an. III. m. III. d. XV. Nos cum Pagio et Cat. S. Pauli tres annos sedisse credimus nonnullis demptis diebus.

(97) «Leo quartus, natione Romanus, ex patre Radoaldo (*Radulpho*) sedit annos octo, menses tres, dies quinque. » Cum Anastasio concordant Catalog. I. III. V. Cat. ad S. Pauli habet an. VIII. m. III. d. VI. cui consonat Cat. II. et series Honorii Augustod. Catal. IV. VI. scribunt an. IX. m. III. d. VI. Nos cum Pagio dicimus an. VIII. m. III. d. VI.

Romano, jam primum Can. Reg. una omnium consensione expetito auspicalis fuit: eum Saraceni ad urbis maenia minaciter infrementes, et ad Vaticanam usque Basilicam audacissime prorupti, pugnatorem depulsoremque strenuum persensere (98). Ecclesiasticae disciplinae custodem (99) fidelissimum populus Christianus virtutibus, signisque praefulgentem habuit. Sacras aedes profusis sumptibus instruxit, magnifice ornavit, Ludovicum II. in patrii imperii societatem adscitum, corona insignivit; ad caelestem ipse evocatus an. 855.

Hic interseri solet monstruosa illa, atque incredibilis fabula de Joanna Pseudo-Papissa (100)

(98) Ut Saracenorum impetus a. SS. Apostolorum Sede arcerentur Vaticanas aedes muris cingi, atque urbem suo ex nomine Leoninam, quae et propugnaculum adversus Barbaros condi jussit, et in eam rem subsidia a Lothario Aug. ejusque fratribus comparavit.

(99) Concilium Romae habuit in Basilica S. Petri an. 853 et Canones XLII. in Ecclesiasticam disciplinam promovit. Episcopis Britannis respondit, simoniacum Episcopum in synodo judicandum esse, et a duodecim Episcopis dejiciendum. De Ecclesiasticis officiis homiliam conscripsit, ut legitur apud Labbeum T. IX. Conc. pag. 1026. et 1031.

(100) Vix indiget confutatione haec fabula, qua abstinent in praesenti et ipsi Ecclesiae hostes quin ad eam evertendam labores contulere David Blondellus, Guill. God. Leibnitius, Brownus, aliique non pauci. Attamen juventutis institutioni nonnulla in re notissima dare juvat.

Silent itaque coaevi Scriptores, ac suppares, qui Benedictum III. Leoni IV. immediate succedentem testantur, ut Lupus Ferrariensis ep. III. ad Bened. III. (apud Natalem Alex. in diss. de Papissae fabula pag. 363. T. VI. *H. E.* edit. cit.) qua electionem suam ad supremum Pontificatum gratulatur; Ado Viennensis (ad an. 855. in

commentum plane ridiculum, ac ridiculo eludendum, vel ipsis heterodoxis inane, ac putidum, ac procul historica gravitate positum, quandoquidem coae-

RR. PP. Lugd., et ap. Nat. Alex. cit.) Anastasius Biblioth. in vita Benedicti III. qui ait, Leone defuncto, Clerum et proceres summa consensione Benedictum elegisse (p. 395. T. I. edit. cit.) Annales Bertin. ap. Du Chesne Hist. Francor. Script. T. III. qui eodem anno Leonis obitum et Benedicti electionem complectuntur, nullumque relinquunt Papissae locum ad sedendum, ut adversarii volunt per biennium, menses deinde quinque, diesque quatuor; Hincmarus Remensis qui asserit (ep. 26. apud Nat. Alex. cit.) missos a se nuncios ad Leonem de hujus obitu in ipso itinere audivisse, ac Romae nactos esse Pontificem constitutum Benedictum, a quo privilegium cujus gratia in viam se dederant impetrarunt. Omittimus Reginonem Prumiensem Ab. in chron. ad an. 855. (apud Nat. Alex. cit. p. 364.) Hodoardum (ap. cit. Nat. Alex.) et alios qui omnes nullum a Leone ad Benedictum intervallum meminerunt. Sed et hic Pontifex diploma edidit ad Episcopos Gallos pro Corbejensi monasterii privilegiis, cum nondum de Lotharii Imp. morte Romae renunciatum esset; atqui tamen Lotharii fatum duos tantum menses et dies duodecim Leonis morti posterius fuit. Benedictus itaque non biennio et amplius, quod falso contendunt, sed tertio a Leonis IV. obitu mense ad Romanam Sedem provehi debuit. Schisma praeterea ortum adversus Benedictum quo Anastasium S. Marcelli Presbyterum adversarium habuit, licet brevi rejectum continentem Pontificum seriem evincit. Liquet enim ex narratione Anastasii Biblioth. pacem et tranquillitatem novo Pontifici incepisse a die 29. Sept. an. 855. At vero obierat Leo IV. die 17. Quint. illius anni, reliquum igitur temporis usque ad diem illam 29. Benedicti electionem perbrevis schismatis furorem, et profligationem comprehendit, tantam abest ut Papissa inter Leonem et Benedictum intercedere possit. Idem eruimus ex Nicolao I. qui proximus Benedicto successit et epist. XLVI. ad concil. Suess. an. 866. (apud cit. Nat. Alex. pag. 365.) hunc Leoni immediate posteriorem pronunciat; eruimus e catalogo Metrophanis Smirnaei, Romanae licet Ecclesiae hostis (apud eumd. Nat. Alex.) ac demum a Breviario synodi VIII. Oecumenicae (ut supra) magnae Ecclesiae CP. affixo, cum triginta

vorum, et suppariu Scriptorum silentium, silentium adversariorum, infensi prae omnibus Photii, irrevocabilis e contra Leonis IX. exprobratio ad Grecos

et amplius anni excessissent ubi altum pariter de *Papissa* silentium habetur. Quid plura? Photius occasiuncularum captator, ut Romanae Sedis vel praestantiam, vel integritatem, vel successionem infirmaret, Pontifices enumerans lib. 1. de Process. Spir. S. adversus Latinos. Leoni IV. Benedictum et ipse subnectit. Quod cl. auctor noster innuit exprobrationem Leonis IX. (apud eumd. Nat. Alex.) ad Graecos de inverecundo id generis Pontificatu Constantinopolitano, intelligendum est de epistola Leonis ipsius ad Michaelem Patriarcham CP. in qua ait in animum minime inducere posse *quod publica fama non dubitat asserere* muliebrem episcopatum illic contigisse. Atqui si de Papissae fabella constaret nec tam fidenter locutus esset Leo, vel id criminis in Romanam Sedem Graeci retorsissent.

Haec atque alia quamplurima congerunt praeclari illi scriptores qui putidum hodie commentum expunxere Panvinius *in Notis ad Platinam*, Baronius, Leo Allatius *Confut. Fabulae de Joanna Pap.*, Petrus Lambecius *Bibl. Vind. lib. lit. II. cap.* 8., Labbeus *Cenotaph. Johan. Papiss. T. VIII. Concil.* Nat. Alexander *Hist. Eccl. Diss. III. saec.* 9. Jo. Georg. Eckart *Rer. Franc. Orient. L. XXX. C.* 119. Vir autem praeclara eruditione ornatus Jo. Garampius Card. in Diss. *de nummo argenteo Benedicti III. Romae* 1749. *apud Palearinios* quamplurima ad hanc fabellam refellendam protulit; et ante enucleavit. Ibi luculenter ostendit saeculo dumtaxat XIII. id commenti evulgari coepisse, et fabulam hanc, cujus auctor censebatur Martinus Polonus Ord. Praedicator.; ab hujus Chronico omnino excludendam existimat cum Allatio, Lambecio, et Eckartio, qui nihil tale narratum fuisse a Martino Polono patefecerunt, immo cum Benedicto XIV. qui iisdem subscribit, *De Servor. Dei Beatific. L. III. c.* 10. Confert coaevos ac suppares Scriptores, ut nullum post mortem Leonis IV. intercedentem Pontificem evincat, idque tam copiose, et enucleate, ut peculiari dissertationi, potiusquam notae, huic esset consignandum. Atque eos refutat qui Benedicti electionem an. 856. tribuendam putarunt Spanhemius, Lenfantius et alii, cum ostendat Benedicti consecrationem III. Cal. Oct. contigisse, pridie nempe illius diei quo Lo-

de inverecundo id generis Pontificatu Constantinopolitano, innumera, et validissima Scriptorum testimonia, quae non intermissam Antistitum Roma-

tharius fatis concesserat, quod quidem Romae ignotum erat, ubi Clerus et populus Decretum electionis Benedicti ad eundem transmiserunt. Nondum autem Romae de Lotharii obitu nunciatum erat, et Benedictus Pontificatu praeditus, maximae illius potestatis indicio, nummos procudendos jusserat, ex quorum numero is est, quem Card. Garampius animadversioni subjicit, et cujus imaginem praebet. In anterioris partis gyro S. Petri nomen, in medio autem monogramma implicite compositum ex literis B. E. N. P. A. quo BENEdicti PAPAe nomen exprimitur. Pars aversa habet HLOTHARIUM IMP. cum alio monogrammate P. I. V. S. cum id indulgere solerent Pontifices honori Imperatorum cujus sub *advocatia* et tutela censebatur Ecclesia. Id moris secutus Benedictus in nummis quos Romae cudit Lotharii Imp. nomen praefigi voluit, cujus mortem adhuc ignorabat, quod et Ludovico ejus filio postea impertivit. De nummi sinceritate nihil est ambigendum si metallum, litterarum forma, nummi ipsius facies et crassitudo comparate ad alios ea aetate cusos, et qui Garampio ipsi subjecti fuere respiciantur. Sane implicatio elementorum B. E. N. non alii pontifici competit quam alicui ex Benedictis qui Pontificatu praediti sunt. Atqui horum nullus tempore alicujus Hlotharii Imp. vixit praeter Benedictum III. cum Hlotharius vixerit sub pontificatu Gregorii IV., Sergii II., Leonis IV., et Benedicti III. electi sed nondum consecrati, et Hlotarius II., Innocentio dumtaxat II. Pontifice, imperiali corona donatus sit; soli igitur remanent Hlotharius I. et Benedictus III. quibus nummus ille tribuatur. Alia quoque multa persequitur Garampius in animadversione illius nummi ostendens qua de causa id honoris impertirent Pontifices Imperatoribus dum eorum nomen propriis nummis praefigerent, nummum ipsum post consecrationem Benedicti excusum esse quia electis dumtaxat nomen Papae et Pontificis assignari haud consueverat, item de Cruce quae nummis apponebatur, de orthographia nominis Hlotarii, et de nomine Pii quo decoratus est, non modo a Benedicto, sed a Gregorio etiam IV. in duobus nummis, ut observat Vignolius, *Ant. Rom. Pont. Denarii pag.* 29. *et* 39. et de multis deinceps quae huc

norum seriem unanimiter et palam ostendunt, nullum inanibus deliramentis, nullum dubitationi locum relinquunt.

adducere infinitum prope esset. Quo die nuncius Romam de Lotharii morte allatus sit inexploratum habere fatetur Cl. Card. asserit vero nonis octobris nondum illuc pervenisse. Etenim hoc die editum fuit a Benedicto Privilegium *super electione Abbatis* Mon. Corbejensis, etc. in quo haec demum leguntur: « *Scriptum per manus Theodori Notarii et Scriniarii S. Romanae Ecclesiae*, *in mense octobrio Indictione IIII. Bene valete. Datum V. Nonas Octobrias per manum Theophilacti Secundicerii S. Sedis Apostolicae. Imperantibus dominis nostris piissimis Augustis Hlotario a Deo coronato magno Imperatore anno tricesimo nono* et P(ost). C. (onsulatum); *sed et Hludovico novo Imperatore ejus filio anno septimo*, *Indictione quarta.* » *Ita Tom. VI. p.* 397. *Spicileg. Dacheriani et Tom. VIII. Concilior.* Privilegium ejusmodi confirmatum novimus a Nicolao I. *Ep. XXIV*, *T. IX. Concilior. Edit. Ven.* (Cff. autem Pagius *Diss. Hypatica*, *et in Crit. Baron. A.* 826., et Mabillonius *De re diplom. Lib. II.* C. 25. N. 3. *p.* 190. *edit. cit. Neap.* quoad illum *Post Consulatum* Imperatorum qui cum imperii initiis conjunctus erat, ut etiam ostendunt Donius *Inscript. Antiq. Cl. XIX. N.* 1. et Bullae Stephani IV, Paschalis I, Joannis VIII. Stephani V. et Formosi - *Bullar. Rom.* Hlotarii autem annus 39. in Bulla Benedicti III. deducitur ab A. 817. in quo ad imperii societatem assumptus est ab ejus patre Hludovico Pio, et annus VII. Hludovici deducitur ab an. 849. quo a patre item imperio consociabatur. Theodori *Notarii* et Theophilacti *Secundicerii* nomina ex aliis illius temporis, et ipsius Benedicti actis eruuntur. *Concil. T. IX.* Donius *Inscript. Antiq. Cl. XIX. pag.* 468. Quod autem solerent Rom. Pontifices literis suis uti *Notariis* seu *Scriniariis*, quorum primus dicebatur *Primicerius*, et huic proximus *Secundicerius*, qui illius partes interdum agebat, innumera historiae monumenta testantur. Cff. Jo. Diacon. apud Mabill. *Mus. Ital. T. II.* Donius Inscript. Antiq. Cl. XIX. Epp. Leonis IV., Nicolai I., Hadriani II, Joannis VIII. etc. et multo antea Gregorius M. « *Hanc autem Epistolam Paterio Secundicerio Notario Ecclesiae nostrae scribendam dictavimus.* » Ep. XXXIII. L. 9. Spanhemio denique obji-

Porro hanc seriem continuo produxit communi suffragio elatus eodem anno 855., immo et eodem mense Benedictus III. Romanus, hanc interturbare irrito demum molimine conata est factiosorum hominum manus, Benedicto Anastasium (101) opponens S. Marcelli Presbyterum. Hic vero a tituli sede quinquennio alienus, et ad Romanam Synodum frustra accitus, cum jam a Leone IV. gradu dejectus haud levi ignominiae nota adspergeretur erumpenti undecumque veritatis justitiaeque vi ac voci, brevi cedere, et fasces submittere coactus est. Benedictum III. Cal. Sept. illius anni consecratum, laetaque virtutum sobole in dies efflorentem haud pauca et magni profecto habenda testimonia prosequuta sunt, Saxones nempe occidui, iterum vectigales facti, datae a Michaele Orientis Imperatore honoris significationes cum ditissimis muneribus, prolatae a Photio (quo nil Romanis Pontificibus iniquius)

cienti haud veri simile esse Benedictum vix electum cogitationes suas ad monasterium illud convertisse, respondimus maximae fuisse curae Pontificum quietem, et tranquillitatem monachorum, et privilegium illud ab Impp. Lothario, et Ludovico enixe fuisse expetitum. Qui plura eam in rem percuperet, adeat laudatam Garampii Dissertationem ubi pontificia Chronotaxis a Spanhemio ipso perturbata praeclare restituitur, et quamplurima ad monogrammatis sinceritatem vindicandam et *interpontificium*, quod adversarii praetendunt, excludendum perpenduntur. Ex his facile evincitur etiam Anastasiani textus interpretatio in nonnullis codicibus peracta, in quibus, praeter alia, Anastasius coaevus et Romanus Bibliothecarius utitur verbis *fertur dicitur* de re gravissima et quidem domestica. Vid. Pagius T. II. Brev. p. 70.

(101) Vid. Pag. sup. cit. p. 79.

egregiae Benedicti laudes, qui: *mitis et mansuetus et asceticis certaminibus illustris* appellatur. Ad immortalis aevi beatitatem admissus (102) VI. Id. Apr. An. 858 successorem habuit eodem anno Nicolaum, hujusce nominis primum (103) rebus gestis Magnum cujus Epistolae apud Labbeum, et Sirmondum nobiles admodum ingenii, et consilii facultates, impertita Ecclesiae studia, admirabilem constantiam, et firmitatem eloquuntur. Hac profecto animi vi pertinacissimis Photii contentionibus, atque calumniis, obliquae Imperatoris voluntati, turpi Legatorum praevaricationi obfirmate resistit, spiritus Ignatio Constantinopolitano addit, qui virili patientia, ac labore, Gallosque Episcopos excitat qui data opera, et scripto orientales illas injurias conterant. Sed nec Lotharii Lotharingiae Regis flagitium, qui dilectam sibi Wal-

(102) « Benedictus III. natione Romanus, ex patre Petro sedit annos duos, menses sex, dies decem. » Anastasius T. I. p. 394. n. 556. Nullus Catalogus praeter Ostiens. concordat cum Anastasio. Cat. I. III. V. habet an. II. m. VI. d. VI. Cat. II. an. II. m. VI. Cat. IV. VI. an. II. m. VI. d. IX. Cat. VII. an. II. m. VII. d. X. Series Honorii Augustod. an. II. m. VI. d. VI. Quare annos II. menses VI. dies circiter decem regnasse dicimus.

(103) « Nicolaus natione Romanus, ex patre Theodoro Regionariio sedit annos novem, menses duos, dies viginti. » Anast. T. I. p. 404. n. 577. Cat. S. Pauli an. IX. m. VI. d. XX. Cat. II. scribit. an. IX. m. VII. d. XXIX. Cat. III. an. IX. m. VII. d. XXVIII. Cat. IV. an. VII. m. IX. d. XIII. Cat. V. an. XI. m. VI. d. XX. Cat. VI. an. VII. m. IX. d. XIII. Cat. VII. an. IX. m. II. d. XX. Series Hon. Aug. an. IX. m. VI. d. XXX. Nos Catal. S. Pauli sequimur. Historia pontificalis Anastasii desinit in Nicolao primo. Vid. Pag. T. II. Brev. p. 106.

dradam Theutbergae justae uxoris loco habebat, neque synodi Metensis conniventia, nec Legatorum infidelitas, Nicolaum facinorum speculatorem, et vindicem effugiunt, qui desertores officii Episcopos, projectum ad insanam libidinem Lotharium sacrarum legum auctoritate coercet. Eandem induit contra Sardos incestis nuptiis sese polluentes, eandem contra synodum Suessionensem quae Sardicenses canones violasset, omneque consilii, officiique genus conversis ad fidem Catholicam Bulgaris praestat, enascentique Ecclesiae sapientissima responsa, decretaque reddit (104). Extinctum Idibus Novembris an 867., laudes inclytae celebrarunt, prosequutusque est imprimis tum veneratione, tum virtutum imitatione Hadrianus II. (105), omnium votis, ac manibus in supremam Petri Sedem, eodem anno inlatus. Nicolai, quem novum Moysen, novum Phineem appellabat, vestigiis insistens ad inimicas Photii vires obtundendas se totum contulit (106), queis et Romanam Synodum, et Concilium Constantinopolitanum aecumaenicum, caeterosque Ecclesiasticae

(104) Vid. Labbeus T. IX. Concil.

(105) « Hadrianus natione Romanus, ex patre Talaro postepiscopo regionis tertiae, sedit annos quinque. » Sic habet Continuator Anastasii Guillelmus T. I. Anast. p. 424. n. 613. Cat. S. Pauli scribit an. IV. m. X. d. XVII. Cat. II. III. an. IV. m. XI. d. XII. Cat. IV. an. III. m. XI. d. X. Cat. V. VII. cum serie Honorii Augustod. an. V. Cat. VI. an. IV. m. II. d. XV. Nos quinque annos incompletos sedisse arbitramur.

(106) Cf. nostra nota sup. (69).

severitatis aculeos, objecit. Quod superior pontificatus haud fuerat consequutus, Lotharii, ac Theutbergae simultates diremit, et concordiae praeterea inter Principes retinendae summopere studuit, II. Cal. Novembris an. 872 vitam cum morte commutavit (107).

Qui ei paullo post est suffectus, Joannes VIII. (108) Romanae Ecclesiae Archidiaconus, Photium restituens (109) haud levem imprudentiae notam non evasit, quam autem exemit, versutissimum illum sycophantam ab honoris sede, et a communibus sacris excludens. Magna ab eo severitate habitus Formosus Antistes Portuensis, qui in Bulgariam Evangelii causa Legatus, Regem sacramenti religione obstrinxerit, ne alium Episcopum, ipso superstite, a Romana Sede susciperet, a Portuensi in Romanum thronum prosilire conatus, sacras Canonum disciplinas contempserit, denique Ecclesiae suae, Pontifices inconsulto, desertor ad Rempublicam perturbandam factiose cospirarit. Neque mitiori judicio usus est Ioannes in alios, viros sane primarios, et variis criminibus pressos, quas omnes sententias Trecis in Gallia (quo Saracenorum insidias, et infestationes declinans se se receperat) Synodo convocata firmavit.

(107) Vid. Vita Hadriani II. ap. Pagium in Brev. T. II. p.107-138.

(108) Ut tradit Annalista Bertinianus ap. Pagium sup. cit. p. 139. Cat. S. Pauli tribuit Joanni VIII. Pontificatus an. X. d. I. Cat. II. III. an. X. Cat. IV. V. VI. et Series Hon. an. X. d. II. Cat. VII. an. V. d. V. Nos Catalogis IV. V. VI. plane assentimur.

(109) Vid. nostra not. sup. 68.

Ab eo Carolus uterque, Calvus et Crassus diademate ornati, decennalis denique Pontificatus exactus an. 882. (110).

Marinus (111), aliis Martinus II., qui in Joannis locum Ecclesiae Rector datus est, et triplici Constantinopolitana Legatione jam innotuerat, juramentum, quod de laica conditione per omnem vitam retinenda Joanni VIII. Formosus Episcopus juraverat, positasque infulas eidem haud incaute remisit, et condonavit (112). Et ipse Photii acta rescidit, quod imitatus est Hadrianus III. (113) in Pontificatu successor an. 884., communionem hominis inquinatissimi, contumeliosas, ardentesque Basilii Imperatoris literas aspernatus. Eosdem in Photium gessit animos Stephanus V. (114) patricius Romanus,

(110) Vid. Pagius T. II. Brev. pag. 139-157.

(111) Ex patre Palumbo Presbytero Archidiaconus S. R. E. ut ex Ann. Freheriano ap. Pag. cit. T. II. p. 157. Cat. S. Pauli scribit. an. I. m. V. cum Cat. IV. V. VI. VII. et serie Hon. Aug. Cat. II. III. an. I. m. III. Nos, cum dies illius obitus incertus sit, sedisse dicimus an. I. m. IV. et nonnullos dies.

(112) Vid. Pagius T. II. Brev. p. 159.

(113) Cat. S. Pauli signat Pontificatus annos I. m. IV. Cat. II. III. VII. an. I. m. III. Cat. IV. V. VI. et serie Hon. Aug. an. I. m. IV. Nos sequimur Cat. S. Pauli.

(114) « Stephanus natione Romanus, ex patre Hadriano de regione vialata sedit annos quatuor, menses septem, dies quatuordecim » Sic Continuator Anastasii Guillelmus T. I. An. p. 438. n. 641. Cat. S. Pauli habet an. V. d.... Cat. II. an. VI. d. XIV. Cat. III. an. VI. d. XVI. Cat. IV. an. IV. m. VII. d. XIV. Cat. V. an. VI. d. IX. Cat. VI. an. IV. m. VII. d. XIV. Series Hon. Aug. an. V. Nos cum nimis varias scriptorum sententias videamus eum vixisse dicimus in Pontificatu circiter annos VI.

qui post Hadrianum an. 885. vita functum, supremum Ecclesiae munus obierat, atrocesque insectans injurias, queis Basilius Marinum, et Hadrianum laceraverat, Photium tamquam profanum, ac profanatorem sacris communibus procul esse jubet, jubet et certos fines extra quos imperialis auctoritas egredi nequeat.

Cum hic sex annis Pontificali dignitate usus ad superos emigrasset, en Formosi (115) electio in turbidos motus implicita, quos invisa invidiosaque illa a Portuensi ad Romanam Sedem transitio, et objecta Sergii Diaconi factio conciverat. At vir religionis integritate, (ut a Luitprando synchrone traditur) et scripturarum scientia clarissimus superior discessit, adsiduamque Ecclesiae operam navavit. Photius novo stigmate inhustus, data in Orientem legatio quae Constantinopolitanae Ecclesiae consuleret Synodi tum Romae, tum alibi, convocatae, protecta Caroli simplicis jura, aliaque nonnulla haud mediocriter illius laudi inserviunt.

Injectus est in Apostolicum thronum, neque eo nomine, neque memoria dignus Bonifacius VI. (116)

(115) Sedit juxta Catal. S. Pauli an. IV. m. VI. d. . . juxta Cat. II. III. an. IV. m. VII. d. XVII. Cat. IV. et VI. an. IV. m. VII. d. XIII. Cat. V. cum serie Hon. Aug. an. V. m. VI. Nos cum Cat. S. Pauli dicimus circiter V. annos regnasse.

(116) Bonifacius Romanus qui, ut ait annalista Freherianus, in locum Stephani consecratur *podagrico morbo correptus vix XV. dies supervixisse reperitur* ap. Pagium T. II. Brev. p. 178. Etiam Frodoardus inter Stephanum, et Formosum ponit Bonifacium VI. Cum

quem excepit Stephanus VII. Hujus memoriae ingens dedecus haeret, haerebit, qui, instinctore Sergio, violator sepulcri cui nullus invidet hostis, exstinctum Formosum in medium profanae cujusdam Synodi tamquam in judicium pertrahi ac vario ludibrio laesum in Tiberim deferri jusserit, affectati, uti calumniabantur, honoris detestandas omni aevo, atque exsecrabiles paenas exquirens. Hic acerbo odio inflammati Sedis Apostolicae hostes electionem Formosi, et Stephani flagitium eidem vehementer exprobrant, nil tamen promovent, cum translationem illam et utilitas Ecclesiae, et vetera exempla satis tueantur, immanitas autem Stephani neque infallibile magisterum, neque supremum regimen ullo pacto imminuat. Hanc profecto auctoritatem in indigno haerede palam reveriti sunt Gallicanae Ecclesiae Praesules, teste Fulcone Remensi Antistite ad Stephanum scribente, tam sublimi loco in carcerem deductus, et jugulatus supremum ultoremque diem oppetiit an. 900 (117).

Recreata est Ecclesia a Romano, et a Theodo-

vero sint qui eum intrusum dicant, idcirco in nonnullis catalogis desideratur, ex. gr. in Catalogo S Pauli ap. Marangonium.

(117) Stephanus VI. aliis VII. natione Romanus fuit, ex patre Joanne Presbytero. Sedisse an. I. m. II. testatur Catalogus S. Pauli ap. Marang. pag. 60. Cat. II. III. IV. VI. IX. habent an I. m. I. d. XVIII. Cat. V. VII. VIII. an. I. m. III. Series Hon. Aug. an. V. m. III. Nos credimus sedisse an. I. et circiter duos menses. Quoad latrocinalem synodum contra Formosum videatur Pagius T. II. Brev. p. 179. et nostra nota sup. (49).

ro PP., quamvis alter (118) quatuor tantum mensibus, alter paucis admodum diebus Pontificatum absolverint (119): ab hisce in nihilum redacta quae Stephanus in Formosum per summam injuriam perpetraverat, Formosus in honorem sepulcri, in pristinam nominis, famaeque integritatem restitutus, qui et alium reparatorem habuit Joannem IX. Tiburtinum, Benedictinae familiae alumnum, et ad Petri Cathedram sublatum an. 898 (120). Hic consecratos a Formoso, et violenter deturbatos proprio ordini reddit, Sergium, Benedictum, Leonem, Paschalem, aliosque discordiae, et seditionis concitatores juste, pieque damnatos, et sacris prohibitos, Formosi translationem necessitati, utilitatique Ecclesiae dandam esse pronunciat, et in Concilio Ravennae habito an. 904. omnibus sententiis confirmat.

(118) Romanus, nec Gallus nec Hispanus, sed patria Gallesianus vel Phaliscus, Constantini filius sedit m. III. d. XXI. ut legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. p. 60. Cat. II. III. habet m. IV. d. XVII. Cat. IV. m. IV. d. XX. Cat. V. VII. m. III. d. XXIII. Cat. VI. an. IV. (*d. IV.*) d. XIX. Cat. VIII. m. III. d. XXII. Cat. IX. cum serie Hon. Augustodunensis, m. IV. Nos circiter quatuor menses in Pontificatu vixisse dicimus.

(119) Theodorus II. Photii filius, patria Romanus sedit in Pontificatu dies XX. ut plerumque legitur. Vid. Pagius p. 185. T. II. Brev.

(120) Joannes IX. patria Tiburtinus, Rampoaldi seu Rampaldi filius, post expulsum Sergium pseudopontificem, cathedram Petri ascendit an. 898. Cat. S. Pauli cum Cat. V. VIII. scribit sedisse an. II. d. XV. Cat. II. III. IX. et series Hon. Aug. an. II. Cat. IV. VI. an. I. Cat. VII. an. II. d. XXI. Nos cum Cat. S. Pauli dicimus An. II. et XV. dies circiter vixisse in Pontificatu.

§. II.

Pontifices Saeculi X.

—

Post fata Joannis IX., Pontificatus Benedicti IV. (121) et Leonis V. (122) brevi definitos, praecipitemque Christophori (123) cujusdam audaciam, qui sub exitum anni 903. se se in Petri Cathedram ingesserat, Moderatores habuit Ecclesia Sergium III, Anastasium III, Landonem, Joannem X, Leonem VI, Stephanum VII, Joannem XI, Leonem VII, Stephanum VIII, Marinum II, Agapetum II, Joannem XII, Benedictum V, Leonem XIII, Joannem XIII, Benedictum VI., Donum II., Benedictum VII, Joannes XIV. et XV. Gregorium V, et Silvestrum II.

(121) Benedictus IV. Romanus filius Mammoli, Canonicus Reg. vixit in pontificatu juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. p. 62. an. III. m. II. Cat. II. IV. VI. an. IV. m. VI. d. XIV. Cat. III. an. IV. m. VI. d. XIII. Cat. V. an. III. m. VI. d. XV. Cat. VII. VIII. an. III. m. II. Cat. IX. an. I. m. V. Nos duos annos circiter in Pontificatu vixisse credimus.

(122) Leo V. e villa Priapi in agro Ardeatino, sedit mensem I. et dies XXVI. ut ap. Marangonium p. 62. Cat. II. III. m. I. d. XXVII. Cat. IV. concordat cum Cat. S. Pauli Cat. V. VIII. d. XL. Cat. VI. m. I. d. XXVI. Cat. VII. m. VII. d. XL. Cat. IX. d. LXVII. cum Serie Hon. Augustod. Nos nil certi definimus, sed sedisse putamus mensem unum et aliquot dies.

(123) « Christophorus, patria Romanus ex patre Leone pontificatum invasit circa finem mensis novembris an. 903. » Sic Pagius ex Sigeberto T. II. Brev. p. 195. Sedit m. VI. juxta Cat. S. Pauli Cat. II. III. IV. m. VI. Cat. V. VI. VII. VIII. menses VII. Cat. IX. m. IV. cum serie Hon. Aug. Nos menses VI. superasse dicimus.

Tumultuaria electio quae Christophorum invasorem trudit, eum imposuit Christiano populo Rectorem, ac Ducem, quem Pontificali antea judicio, fama, existimationeque damnatum, non secus ac plagam Ecclesiae inflictam bonus quilibet pertimescebat. Sane instigator, sacrilegae illius impietatis, quae Formosum violaverat, et Maroziae faeminae Romanae turpiter adhaerens, in calamitatis, terrorisque omen acceptus esse fertur. At Sergium opinionem hanc exstenuasse, ac repressisse arbitrantur nonnulli, qui nihil immane, nihil atrox in ejus Pontificatu exhibent, immo electionem ipsam populo Romano cui Christophorus intollerandus esset, peroptabilem verisimiliter suadere conantur. Porro perpetuam Christianae plebis, Pastorumque fidem, erga Sergium et studia, probabilibus testimoniis edocemur, an. 910. naturae satisfecit (124).

Obscura Anastasii III. (125) Rom. et Landonis

(124) Sergium III. natione Romanum ex patre Benedicto vixisse in Pontificatu an. VII. m. III. testatur Cat. S. Pauli. an. VII. m. III. d. XVI. testatur Series Honorii Aug. Cat. II. III. IV. VI. an. VII. m. III. d. XXIII. Cat. V. a VII. m. III. d. XVI. Cat. VII. an. III. m. III. d. XVI. Cat. VIII. an. VII. m. IV. d. XVI. Cat. IX. an. VII. m. III. d. VI.; ideoque plus quam septem annos regnasse constat. Ejus vita videatur ap. Pagium T. II. Brev. p. 196.

(125) Anastasius III. natione Romanus, ex patre Luciano vixit in pontificatu juxta Cat. S. Pauli an. II. m. II. Cat. II. IV. an. II. m. I. d. XXII. Cat. III. an. II. m. I. d. XXI. Cat. V. an. II. m. II. Cat. VII. an. III. Cat. VIII. an. II. cum Serie Hon. Aug. Nos catalogo S. Pauli assentimur.

Sabini (126) fama, qui post Sergium, Pontifices dicti sunt. Amarulentus, vulgarique rumore usus Luitprandus videtur, qui in Joannem X. Ravennatensis Ecclesiae Antistitem stilum acuens, meretriciis Theodorae cujusdam artibus, turbidisque consiliis hanc electionem tribuit. Meliorem attigit hominis cognitionem auctor anonymus Panegyrici Berengarii Regis, meliorem Frodoardus, qui debitas, ut censemus, Joanni laudes impertiunt. Has retulit egregias Pontifex tum a concordia inter Romanam, et Constantinopolitanam Ecclesiam scienter, prudenterque constituta, a profligata callide non minus, quam strenue Saracenorum audacia, a sublatis Episcoporum nonnullorum controversiis, a pietate, ac Religione propugnata, et propagata. Misero, exitialique exitu indignus, quem in vincula conjectus, et necatus habuit anno 929. Pontificatus XV. Tota autem sceleris infamia penes Widonem Marchionem Tusciae, et Maroziam uxsorem, faeminam impudicam, cum hostile odium in Joannem, et Petrum ejus fratrem jamdiu conflatum, utraque caede saturarunt (127).

(126) Lando seu Landus, patria Sabinus Luciani filius ut ap. Marangonium p. 64. Trani filius ut ap. Pagium T. II. Brev. p. 201. suffectus est Anastasio. Vixit in Pontificatu m. VI. d. X. ut in Cat. S Pauli Cat. II. III. habent m. IV. d. XII. Cat. IV. VI. m. IV. d. XXVI. Cat. V. m. VI. d. XXVI. Cat. VII. an. VI. Cat. VIII. m. VI. d. XXI. Series Hon. Aug. m. VI. d. XXXV. Nos Cat. S. Pauli sequimur. Videatur al. cit. Frodoardus in fragm. de PP. RR.

(127) Joannes natione Romanus Joannis filius opera Theodorae nobilis Romanae in pontificatum Romanum intruditur, et ex con-

Quae gesserint Leo VI. (128) et Stephanus VII. (129). Rectores Catholici orbis post Joannem tenebris obducta sunt, quanta autem virtute praestarent, non est obscurum. Hisce Joannem XI. subrogarunt an. 931. studia et artes Vidonis Marchionis Tusciae, et Maroziae, cujus late patebant in urbe opes, atque potestas. Tabuit hic quoque perpetua calamitate ob scelus Alberici fratris germani, qui ut urbis imperio potiretur, idque impune haberet, Joannem fratrem custodiae mancipavit, ubi consumptus est an. 936. (130).

Huic sufficiebatur vir pietate insignis Leo VII.

sensu Cleri Romani legitimus Pontifex extitit. Sedit an. XIV. m. II. d. III. ut ex Cat. S. Pauli aliisque non paucis catalogis eruitur. Ejus vita videatur ap. Pagium T. II. Brev. p. 201.

(128) Leo VI. ex patre Christophoro Primicerio, ut putant, absque coaeva auctoritate Baronius et Papebrochius, vixit in Pontificatu menses VII. d. V. ut habetur apud Frodoardum a Pagio cit. p. 208. T. II. Brev. Cat. S. Pauli signat m. VIII. d. V. Cat. II. m. VI. d. XV. Cat. III. m. VI. d. XIII. Cat. IV. V. VIII. m. VII. d. XV. Cat. VI. an. VII. (*menses VII*) d. XV. Cat. VII. an. III. m. III. d. XII. Series Hon. Aug. m. VII. Nos Frodoardum sequimur.

(129) Stephanus VII. aliis VIII. Theodemundi filius, natione Romanus sedit annos II. m. I. d. XII. ut legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. p. 66. et in Cat. IV. V. VIII. IX. et serie Hon. Aug. Cat. II. III. VI. signant. an. II. m. I. d. XV. Cat. VII. an. IV. m. II. d. XII. Nos cum Cat. S. Pauli sedisse dicimus an. II. m. I. d. XII.

(130) Joannes XI. Romanus Sergii III. filius ex Marozia, si vera refert Luitprandus lib. 2 c. 13. ut ap. Pagium p. 209. Brev. T. II. Sedit an. IV. m. X. ut ex Cat. S. Pauli ex Cat. II. III. IV. V. VI. VII. Cat. IX. signat an. IV. m. X. d XV. et Series Honor. Aug. an. IV. Nos Catalogo S. Pauli assentimur.

Romanus, qui cum videret Romanae ditionis jura Alberici vi obruta, haud facile obtineri posse totus fuit in Religione instauranda, erigendisque Monachorum institutis, *charitatem*, uti loquebatur, *magistram* apud suum, aliorumque animum in omnibus proponens. Triennio Apostolicae Cathedrae insedit (131), habuitque successorem Stephanum VIII, aliis IX (132) Germanum, quem Otho Rex patrocinio opibusque provexerat, Albericus in Urbe tyrannus atroci injuria, inhonestisque vulneribus adflixit. Hoc ejus laudibus datur quod inter Ludovicum IV. Regem christianissimum et perduelles Galliarum Proceres per Legatos, comminantesque literas gravissimus extiterit pacis auctor, et conciliator, (133) ad

(131) Leo VII. patria Romanus, si Antonino fides habenda sit, genere incerto cum Frodoardus coevus dicat *Leo quidam Servus Dei Romae Papae constituitur* ap. Pag. T. II. Brev. p. 211. Cat. S. Pauli et Cat. IV. V. una cum Serie Hon. Aug. regnasse referunt an. III. m. VI. d. X. Cat. II. III. VI. an. III. m. VI. Cat. VII. VIII. an. III. m. IV. d. XII. Nos cum Cat. S. Pauli vixisse in Pontificatu dicimus an. III. menses VI. d. X.

(132) Stephanus VIII. al. IX. patria Germanus, ut apud Marangonium pag. 67., Romanus natione, ut Ciacconio placet T. I. Hyst. Pont. pag. 707. Romae 1677., sedit annos III. m. IV. d. V. ut in Cat. S. Pauli apud Marang. sup. cit. et Cat. VIII. Cat. II. III. VI. habet. an. III. m. IV. Cat. IV. an. III. m. IX. Cat. V. an. III. m. IV. d. XV. Cat. VII. an. III. m. III. d. XV. Series Hon. Aug. an. IV. m. III. d. XV. Nos cum Catalogo V. dicimus regnasse an. III. m. IV. d. XV.

(133) Videatur Frodoardus in Chronico T. II. Scriptor. Hist. Francor. per Du-Chesne ed. cit. pag. 606. ubi ad annum 942. Odonis Abbatis Cluniacensis legatio refertur.

caelestia autem translatus cum tres et amplius annos in Pontificatu fuisset. Prophetico spiritu instinctus quo Augustanas S. Uldarico infulas portendit, et quo nil ad sanctitatis gloriam illustrius, Marinus II., vel, ut aliis placet, Martinus III. (134) Romanus, post Stephanum, summum sacerdotium triennio gessit, honestavitque (135).

Neque ab ejus laudibus abfuit qui successor Ecclesiae datus est Agapetus II. (136) protector

(134) Marinus II. aliis Martinus III., natione Romanus, vixit in Pontificatu juxta Cat. S. Pauli apud Marang. pag. 68. an. III. m. VI. d. XIII. in Cat. II. III. IV. VI. leguntur an. III. m. VI. Cat. V. convenit cum Cat. S. Pauli in Cat. VII. an. III. m. VIII. d. XIV. in Cat. VIII. an. III. m. VI. d. X. in Serie Hon. Augustod. an. III. m. VI. d. XII. in Cat. IX. an. III. m. VI. d. XIII. Nos annos III. menses VI. circiter in Pontificatu vixisse credimus.

(135) Memoria dignum est quod refert Leo Ostiensis in chronico lib. I. C. 57. pag. 329. T. IV. Rerum Ital. Muratorii de Marini II. fortitudine in monachorum persecutores « His temporibus (sic ait cit. auctor) Sico Episcopus Capuanus contra divina, humanaque statuta agere non formidans Ecclesiam S. Angeli quod tunc ad Arcum Dianae appellabatur .... nunc vero ad Formam dicitur, cum praedecessor suus ex longo jam tempore monacho nostro (*Benedictino*) ad monasterium ibi construendum concesserat violenter auferens, cuidam Diacono suo in beneficium dedit. Quod cum auribus praedicti venerabilis Papae Marini per eumdem monachum intimatum fuisset, mox Apostolicae auctoritatis literas Episcopo praefato transmisit, quibus acriter in illum invectus, et de canonum ignorantia et de inscitia litterarum, et de familiaritate saecularium, et de praesumptiva transgressione pradecessoris sui constitutorum eum districte redarguit. Mandat etiam ut sine aliqua mora praefatam Ecclesiam Monacho illi restituat. »

(136) Agapetus II. patria Romanus, ut fert Cat. S. Pauli ap.

Monachorum studiosissimus. Ab eo dijudicata per Virdunense Concilium controversia, quae inter Hugonem, et Artaldum (137) de Remensi Archiepiscopatu agitabatur, damnati in Trevirensi Concilio Pseudo-Episcopi quos Hugo Remensis Sedis pervasor sibi adsciverat, Danorum Ecclesia feliciter propagata. Vir, ut a Scriptoribus praedicari solet, *mirae sanctitatis*, *sanctaeque memoriae* novem annis Pontificatum explevit.

Quo tempore desideratus est Agapetus id an. 956. Octavianus Alberici filius paternae tyrannidis haeres Romam tenebat, qui sacrum quoque principatum ad praedam sibi proponens, anno aetatulae duodevigesimo voti compos est factus, et Joannis XII. appellatione designatus (138); legitima tamen illius Pontificatus potestas, quam Ecclesia trepido

Marang. pag. 68. vixit an. X. m. III. in Cat. II. III. leguntur an. IX. m. VII. d. XXVI. in Cat. IV. an. IX. m. VII. d. XXVII. in Cat. V. an. X. m. VII. d. X. in Cat. VI. an. IX. m. VII. d. XXVIII. in Cat. VII. an. X. m. VI. d. XV. in Cat. VIII. an. VIII. m. VII. d. X. in Cat. IX. an. X. m. VII. d. X. cui convenit Series Hon. Augustod. Pagius in Brev. T. II. p. 223. putat sedisse annos X. menses circiter tres. Nos cum nihil definitum ab veteribus habeamus, sedisse putamus annos IX., et aliquot menses.

(137) Seu Artoldum. Vid. Pagius T. II. Brev. pag. 219.

(138) Joannes XII. antea Octavianus appellatus, natione Romanus, ut habet Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 69. vixit an. VII. m. IX. et Cat. II. III. an. VIII. m. III. et Cat. IV. VI. an. VIII. m. IV. Cat. V. an. IX. m. IV. Cat. VII. an. VI. Cat. VIII. an. XI. m. III. Cat. IX. an. IX. m. III. Idem refert Series Hon. Augustod. Nos annos circiter VIII. sedisse arbitramur.

schismatis terrore compulsa probavit: genus autem vitae ab hisce exordiis minime diversum flagitiosum in voluptates effusum. Accessit spreta sacramenti religio, et conjunctio cum Adalberto adversus Ottonem Imperatorem (139). Qui eandem sibi perniciosissimam existimans, et occasionem nactus quam turpis et pervulgata in dies crebrescens, Joannis fama sibi praebere videbatur, Romam advenit anno 963., unde Joannes et Adalbertus effugerant; et jusjurandum exegit acivibus, nullum praeter Caesaris, regiique filii auctoritatem se se Pontificem deinceps suscepturos. Fretus inde Episcopis Romanae praesertim Diaecesis judicium in Joannis crimina intendit, cui adempta dignitas, et substitutus confestim, neque matura disceptatione, neque legitimo jure Leo, qui VIII, (140) audit, Praefectus Tabularii Lateranen-

(139) Videatur infra.

(140) Leo VIII. Antipapa secundum Cat. II. III. IV. V. VI. in usurpatione vixit an. I. m III. Cat. VII. an. I. m. I. Cat. VIII. an. I. m. IV. d. V. et juxta Cat. IX. ac seriem Hon. Augustod. an. I. Nos Leonem VIII. Pseudo-Pontificem vixisse, intrusum dicimus an. I. m. III. Qui licet illegitimus, in progressiva tamen Leonum serie numeratur. Obiit an. 965. Romana Ecclesia maluit semper legitimo obtemperare Pontifici, licet pro acerbitate temporum, flagitioso. Id praesertim accidit post mortem Agapeti II. Octavianus enim per vim Pontificatu potitus, tamen ab universa Ecclesia pro bono pacis legitimus habitus est Pontifex, ita ut in synodo Romana, ope Othonis celebrata, exauctorato Joanne, decretum synodi irritum, et Leonis VIII. electionem illegitimam existimavit Ecclesia. Quod cum juri Ecclesiae consonum sanioris critices scriptoribus visum sit, tamen Georgio Christophoro Nellerio haud placuit, qui in Urbe Trevirensi juris pontificii Professor anno 1764., nonnullis editis opusculis, demonstrare co-

sis, at Clericatu omnino exsors. Verum quia male quaesita male dilabuntur, et inquinatus quantumvis Pontifex tollerabilior videbatur quam usurpator, brevi dejectus Leo revertenti Joanni concedere coactus fuit, qui Episcopis in synodum vocatis, Caesarianam illam Synodum ceu: *prostibulum favens adultero* (Leoni) *invasori scilicet alienae sponsae*, enatas inde consecrationes exsecratur.

Extincto Joanne an. 964. (141) Romanus Klerus Leonem perhorrescens suffragiis suis Benedictum cumulavit, quod iniquo animo ferens Otto Romam veluti datae fidei, clientisque sui contemptricem infestis armis obsedit, occupat, et Pontificiae resti-

natus est concilium ab Othone convocatum, jure ac merito Joannem XII. exauctorasse. Nihili nos Launoii sententiam facientes, qui synodum hanc Romanam inter supposititia facta recenset, dicimus Nellerii opinionem inter deliramenta esse amandandam, cum synodus illa an. 963. celebrata, illegitime congregata fuerit, nullamque habuerit auctoritatem, juxta canones Ecclesiae, nec Joannes XII. talem sententiam, juxta eosdem Ecclesiae canones, fuerit promeritus. Et sane neminem latet vi et armis congregatam fuisse synodum non a Romano Pontifice, qui et aderat, nec dubius erat Pontifex. Tandem legitimum dicendum est Concilium celebratum, secundum Scripturas, secundum traditiones Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas pro fide Catholica et Communione, quod denique cuncta recepit Ecclesia, quod maxime Sedes apostolica confirmavit, ut Gelasius I. in epistola ad Episcopos Dardaniae apertissime docet. Quae cum minime in Synodo Romana ab Othone celebrata verificari possint, quisque videt, eam synodum nullam legitimitatis notam habuisse, et proinde injuria exauctorasse Joannem XII.

(141) Infelix Joannis obitus describitur a Luitprando in hist. sui temporis lib. VI. Cap. XI. pag. 633. T. III. Script. Hist. Franc. per Du Chesne ed. cit. Vid. Pagius T. II. Brev. p. 228.

tuti Leonis potestati reddit. Benedictus per Pseudo Synodum loco depressus, in exilium imo in Hamburgensem custodiam projectus, virtutum, qua florebat, gloriam talibus fatis in omnem posteritatem auget, e mortalibus aerumnis Caelo receptus anno, ut volunt, 965. (142).

Eodem anno, et non eadem fama diem suum obiit Leo, (143) cui Magister Ecclesiae summus successit Joannes XIII, Romanus (144), Narniensium Antistes. Hujus initia turbida tempestas exagitavit, coorta nempe Romae seditio, qua a Rotfredo Praefecto in Campaniam in custodiam actus est (145). Duplex de hac Joannis aerumna pervasit opinio, cum pars studium sacri Principatus tuendi, pars elationem quandam animi, atque arrogantiam (ita fortasse studium illud interpretantur) suadere conetur. At minaci armorum sonitu quem dabat Otto

(142) Benedictus V., Grammaticus dictus, natione Romanus Pontificatum tenuit, ut habet Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 69. an. I. m. I. d. XII. et Cat. II. III. IV. V. VII. an. II. d. V. Cat. VI. an. II. d. X. Cat. VIII. an. I. m. VI. d. V. Cat. IX. d. LX. cui consentit Series Hon. Augustod. Nos, ob defectum monumentorum, unum annum et aliquot menses regnasse suspicamur.

(143) Vid. sup. nota (140).

(144) Joannes XIII, patria Romanus, in Pontificatu sedit, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang pag. 70. an. VI. m. XI. d. V. convenientibus Cat. II. IV. V. VI. VIII. Cat. III. an. . . . m. XI. d. V. Cat. VII. an. VII. m. XI. Cat. IX. an. VI. m. X. cui convenit etiam Series Hon. Augustod. Nos Catalogo S. Pauli assentimur.

(145) Videatur Leo Ostiensis in chron. T. IV. Rer. It. Muratorii Lib. 2. c. 9. pag. 346.

Joannis opitulator, excitati Cives Pontificem, veniam orantes anno 966. revocant, qui reddendae gratiae causa, Ottonem juniorem Augusti filium in Vaticana Basilica diademate insignitum, Imperatorem dixit (146). Caeterum hoc illi reliquum fuit quod Polonis cum duce Miezislao ad Christianam pietatem evocatis Legatos fidei confirmatores, Evangelii præcones, Antistites spectatissimi exempli, aliaque praesidia suppeditarit. Extinctum an. 972. Joannem consequuntur Benedictus VI. (147) et Donus II, Romanus uterque, quorum alter insidiis implicitus et in carcerem conjectus, lacrymabili nece sublatus est (148), alter tam obscurus Pontifex, atque immemorabilis, ut vix Pontifex aliquibus videatur (149). Dein-

(146) Vid. Chronicon Hildensheimense ad. an. 967. T. III. Du Chesne pag. 514. ed. cit.

(147) Benedictus VI. patria Romanus, sicuti legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. p. 70. vixit an. I. m. III. Cat. II. V. VII. VIII. IX. an. I. m. VI. Cat. III. an. . . . m. VI. Cat. IV. m. II. d. II. quod pariter refert Cat. VI. Series Hon. Augustod. an. X. m. VIII. d. XXIX. Nos sequimur Cat. S. Pauli.

(148) Haec leguntur in Chronico Hermanni Contracti ext. T. I. Script. Rer. German. Pistorii pag. 266. Ratisbonae 1726. « An. 974. – Romae Benedictus Papa a Romanis criminatus, et *Crescentio Theodorae filio in Castello Sancti Angeli custodia mancipatus*, *ibique* strangulatur et, eo vivente, BONIFACIUS *Ferrutii filius* Papa ordinatur. »

(149) Donus II. aliis Domnio, patria Romanus, in pontificatu vixit, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. p. 71. m. III. Cat. II. IV. V. VII. an. I. m. VI. Cat. III. VI. an. I. m. V. Cat. VIII. an. I. Nos nihil certi definimus, et quoad Pontificatus durationem, et quoad cetera hujus Pontificis, scimus tantum extitisse, et brevissime regnasse. Vid. Pagius T. II. Brev. pag. 245.

de irruit in Apostolicam Sedem Bonifacius VII. (150) qui cum spe atque ausu excidisset, supremus ille honor Benedictum (151) hujus nominis VII. justius decoravit, qui coactis Synodis, Bonifacium sacris communibus interdixit, et Simoniacos coercuisse, traditur; mortuus vero an. 983. successorem habuit Joannem XIV. (152) Papiensem Episcopum, cujus Pontificatum insignis quidem aerumna totum occupavit, brevique confecit. Constantinopoli enim, quo se receperat, tamquam e latibulis Romam prodiens fera et immanis bellua, Bonifacius, Joannem vi comprehensum, et in Arce Urbana S. Angeli inclusum saeva consumit fame, anno a Partu Virg. 985; ipse autem mense quarto ab utroque scelere, enecati

(150) Bonifacius VII. Antipapa, natione Romanus, vixit juxta Cat. II. III. IV. V. an. I. d. XII. Cat. VI. an. I. d. VII. Cat. VII. m. I. Cat. VIII. m. V. d. XII. Cat. IX. cum Serie Hon. Augustod. an. I. in Cat. vero V. VII. inscribitur Bonifacius VI. Incertum tempus est quod ab invasione ad mortem ejus fluxit; sed circiter undecim menses irrito regnasse credimus. Bis Pontificatum invasisse Franconem (sic appellabatur Bonifacius VII.) tradit historia.

(151) Benedictus VII., antea Deusdedit dictus, ut refert Cat. S.Pauli ap. Marang. pag. 71. sedit in Pontificatu an. IX. m. V. Cat. II. III. IV. VI. an. IX. Cat. V. an. VIII. Cat. VII. an. IX. m. V. Cat. VIII. an. XII. m. VI. Cat. IX. an. XX. m. VIII. Nos circiter annos IX. regnasse arbitramur.

(152) Joannes XIV., antea Petrus nuncupatus, sicuti habet Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 72. Pontificatum tenuit m. VIII. d. X. Cat. II. III. IV. V. VI. VIII. m. VIII. Cat. VII. m. IX. Cat. IX. m. VI. Series Hon. Augustod. an. I. Nos IX. menses circiter eum sedisse credimus cum mense Julio 984. creatum Pontificem, et mense Martio 985. e Pontificio solio dejectum, tradat Historia. Vid. Pagius T. II. Brev. p. 251.

nempe Pontificis, captaeque Sedis, repentina ultrici morte oppressus; et injuriis innumeris, corpus licet exsangue et inane, oneratus.

Pontificali honore deinde potitus est Joannes (153) quidam Roberti filius, cujus nulla videtur habenda ratio, cum praesertim haud contemnenda Scriptorum monumenta, defuncto Joanni, Joannem XV. minime vero, uti videbatur, XVI. (154) successorem adsignent. Hic studio Romanae plebis ac voluntate, vel ab ipso Pontificatus exordio ornatus est, cum enim effugiens vim Crescentii Numentani in Tusciam se cessisset, brevi data a Romanis Legatio honestissima eum revocavit, effusaque obviam civitas, suis veluti humeris in sedem restituit. Pax disceptantibus Ethebredo Angliae Regi, et Richardo Normanorum Duci allata, persoluta Episcoporum negotia quamplurima, et literarum fama non ignobilis, Joannem posteritati commendabilem reddunt, qui vitae cursum explevit an. 996.

(153) Joannes XV. Roberti filius a sua electione vixit, secundum Cat. II. III. IV. V. VII. m. IV. Cat. VI. m. X. Cat. VIII. an. X. m. VII. Sunt qui nec inter legitimos Pontifices eum enumerent, verum id non constat, constat tantum, non dicam menses, sed dies potius in Pontificatu vixisse. Videatur Pagius T. II. Brev. p. 253.

(154) Joannes XVI., juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 72. hujus nominis XV., natione Romanus, Pontifex fuit an. X. m. IV. d. XII. Cat. II. VII. an. X. m. VII. d. X. Cat. III. IV. V. an. X. m. VI. d. X. Cat. VI. an. X. Cat. VIII. an. X. m. IX. d. VII. Cat. IX., cum Serie Hon. Augustod. an. I. Nos annos X. Pontificatus superasse credimus. Videatur Pagius T. II. Brev. p. 257 et seq. ubi referuntur quaedam Canonizationes insigniores ante Alexandrum III.

Otto Imperator Moderatorem Ecclesiae dandum curavit, virum doctrina, ac pietate excultum, animi praesertim candore, ac demissione insignem Brunonem, regio genere ortum, qui a prima aetate Clericus sacris disciplinis vacabat. Qui tam alacriter Gregorii V. (155) (ita a Pontificatu Bruno audit) patrocinium susceperat, id opitulantibus armis tuebatur, cum Crescentius Tyrannus, urbanae Arcis atque urbis potens, virum sanctissimum omni ornamento, spoliatum, Romaque ejectum an. 997. factioso cuidam (156) Placentinorum Antistiti supremum Ecclesiae munus aggredienti posthabuit. Verum expugnatus et caesus ab exercitu Ottonis Crescentius an. 998. Joannes autem effossis oculis, naso, auribus mutilatis, et asello circumactus, saevissimi supplicii causam magna ipse voce ploclamaret, justas ac meritas paenas expenderunt. Gregorius, ubi primum anno eodem tranquillitas adfuit, Synodum comparavit, in qua Robertus, Francorum Rex, Bertam consanguineam suam inceste

(155) Gregorius V., antea Bruno Ottonis Imp. III. affinis, natione Saxo-Germanus, Pontificatum tenuit, ut legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 73. an. II. m. VIII. Cat. II. III. V. an. I. m. V. Cat. IV. an. II. m. VII. Cat. VI. an. II. m. VI. Cat. VIII. an. XII. m. X. Cat. IX. ac Series Hon. Augustod. an. III. Nos regnasse arbitramur annos II. et menses IX. circiter.

(156) Cui nomen Joannes Filagato Calebar, qui et Joannes XVII. Antipapa, quique turpe finivit vitam suam; vixit, juxta Cat. II. III. IV. VI. VIII. m. X. Cat. V. m. X. d. V. Cat. VII. m. V. Nos menses X. circiter vixisse in intrusione affirmamus.

sibi desponsam dimittere jussus est, sacris communibus interdictum Episcopis, nuptiarum praestitibus, Antistites quoque alii ipsis, quas neglexerant, Ecclesiae legibus damnati. Tam praeclarus sacrarum disciplinarum custos, decedente saeculo X, e vivis decessit.

Gerbertus Aquitanus, monachus, Ottonis III. et Roberti Francorum regis praeceptor, quorum eximiam gratiam tenebat, a Ravennatensi in Romanam Sedem, nomen Silvestri II. (157) sibi induens, evectus est. Qui cum videret Pannoniam ob Stephani Hungarici studia Christianis virtutibus in dies efflorescere, nihil non praestitit quod uberes fructus alere ac fovere, Regemque pientissimum ornare posset. Vir singulari integritate, atque innocentia, doctrinae quoque monumenta reliquit, libros de Geometria et de Numeris: quae rerum Mathematicarum peritia obtrectatores nonnullos invenit multa in magicas Silvestri nescio quas incantationes, atque praestigias effingentes: at cordatiores invenit, qui calumniam Schismaticae malignitatis ministram depellerent (158).

(157) Sylvester II., natione Gallus, in Pontificatu sedit, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 73. an. IV. m. I. d. IX. cui conveniunt Cat. II. III. V. sed in Cat. IV. leguntur an. X. m. V. d. XII. Cat. VI. an. IV. m. V. d. XII. Cat. VII. an. IV. m. I. d. III. Cat VIII. an. IV. m.... d. VIII. Nos cum Catalogo S. Pauli sentimus.

(158) Sunt qui volunt primitus Pontificem hunc agnovisse motricem illam vim vaporis ex ebullienti aqua expirantis, qua in praesenti. omnes ferme nationes utuntur.

§. III.

Pontifices Saeculi XI.

Supremam in Ecclesia potestatem adepti sunt ab obitu Silvestri Joannes uterque XVII., al. XVIII.; et XVIII., al. XIX., Sergius IV., Benedictus VIII., Joannes XIX., al. XX., Benedictus IX., Gregorius VI., Clemens II., Damasus II., Leo IX., Victor II., Stephanus IX., Nicolaus II., Alexander II., Gregorius VII., Victor III., Urbanus II., Paschalis II.

De Joanne XVII, (159) qui creatus anno 1003 per menses quinque Silvestri successor extitit, memoria omnis intercidisset, nisi Vaticana Diptyca nomen custodirent: de Joanne autem XVIII. (160), qui in ejus locum subrogatus est, non omnia incomperta habemus, quandoquidem et proferendae apud Russos Christianae Religionis, conciliandae-

(159) Joannes XVIII., juxta vero Catalog. S. Pauli ap. Marang. pag. 74. XVI. vel XVII. Romanus, cognomento Siccus, Pontificatum rexit m. V. d. XXV cui consentit Cat. II. in quo vocatur Fatto, in Cat. autem III. in quo Faso appellatur, leguntur m. V. d. XX. in Cat. IV. m. VI. Cat. V. et VIII. idem referunt ac suprad. Cat. S. Pauli Cat VI. m. V. Cat. VII. an. V. m. V. d. XXV. Nos circiter menses V. regnasse arbitramur.

(160) Joannes XIX. in Cat S. Pauli ap. Marang. p 74. XVII. vel XVIII. Fasanus vel Fanassus vocatus, patria Romanus, Pontifex fuit an. V. m. V.; in Cat. II. ubi Faton dicitur, legitur an. I. idem in Cat. III. in quo appellatur Faio et in Cat. IV. VII. an. V. et Cat. V. an. I. Cat. VI. m. VI. Cat. VIII. an. XV. Nos circiter V. annos regnasse arbitramur.

que Constantinopolitanae Ecclesiae studia honorificam mentionem promeruerint.

Et merito fuit honori Sergio IV. (161) singularis erga pauperes liberalitas, quam cum illustri aliarum virtutum ornamento conjunxit. Nono electus, anno duodecimo autem supra millesimum praeclaro exitu obivit, successorem sortitus Benedictum VIII., (162) cujus initia vehementer turbavit seditionis et schismatis incentor Gregorius quidam, indebita Sede potitus. Confugit ad Henricum Germanicum Benedictus, ejusque ope restitutus multis scite, prudenterque actis, Ecclesiae satisfecit, de sacra Canonum disciplina contra degeneres Clericos per Synodos Romanam et Ticinensem egregie promeritus.

Benedictum ad caelestia evocatum anno 1024, excepit germanus frater, qui et Joannes (163) vige-

(161) Sergius IV. Romanus Pontificatum habuit, juxta Catalog. S. Pauli ap. Marang. pag. 75. per an. II. m. VIII. d. XIII. et Cat. II. III. V. an. III. Cat. IV. VI. an. II. m. IX. d. XII. Cat. VII. an. V. Cat. VIII. an. XII. m. VII. Nos circiter annos III. ei tribuimus.

(162) Benedictus VIII. Gregorii Comitis Tusculani filius, referente Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 75. in Pontificatu sedit an. XI. m. XI. d. XXI., consentientibus Cat. II. IV. VIII., sed in Cat. III. leguntur an. XI. m. X. d. XXI. in Cat. V. an. XI. m. I. d XXI. in Cat. VI. an. XI. m. XI. d. XX. in Cat. VII. an. XII. Nos annos XI. et IX. menses circiter ei assignamus.

(163) Joannes XX, qui etiam in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag 76. XVIII, ac XIX. inscribitur, praecedentis Pontificis, Benedicti nempe VIII. germanus frater, fuit ex laico repente Papa acclamatus, et Romano Clero approbante, legitime sedit an. IX. d. IX., sed juxta

simus. Hoc in eo praecipuum, quod Constantinopolitanam Ecclesiam, ut Graeci, Legatione adhibita, efflagitabant, incredibili deinde studio contendebant, aecumenicam appellari minime passus fuerit. Constantiam, aliasque dotes muneri pares decennio, quo Pontifex vixit, numquam exuit.

Hisce virtutum exemplis non modo longe dissimilis, sed insigni notatus turpitudine atque opertus dedecore Benedicti IX. (164) Pontificatus successit. A proterva adolescentia, inquinataque juventute ambitiosae, pravaeque artes emersere, queis sibi viam ad honorem munivit, ex honore tam improbe parto, caetera omnia vitiis obvolvit, et, si nonnullos sequimur, cumulavit. Erupta, quam in se converterat, Romanorum indignatione, e Pontificali fastigio dejicitur; Conrado autem Imperatori innixus postliminio revertitur, at aerumnis nullo pacto edoctus unde nova schismatis occasio, quam Joannes Episcopus Sabinensis arripuit, se se eidem Silvestri III. nomine sumpto, objiciens. Verum quia

Cat. II. III. an IX. m. IX. et Cat. IV. an. VII. m. VII.; in Cat. V. vero idem tempus legitur, ac in citato S. Pauli et in Cat. VI. referuntur an. VII. m. VI. in Cat. VII. an. X. m. VIII. in Cat. VIII. an. XI. Nos circiter annos IX. regnasse putamus.

(164) Benedictus IX. Alberici Tusculani Comitis filius duorum antecessorum Pontificum Joannis, et Benedicti nepos, Papatum habuit, ut in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 76. an. XI. in Cat. II. an. XIV. in Cat. III. V. VIII. an. XIII. Cat. IV. an. XII. Cat. VI. an. XII. m. IV. d. XX. Cat. VII. an. III. Nos annos X. et VII. menses circiter regnasse affirmamus. Vid. Pagius T. II. Brev. p. 314. et seq. ubi de Antipapa Silvestro III.

ausus ejusmodi omni lege condemnabatur, facile fuit Benedicto Silvestri injurias tres post menses dissolvere, et Comitum Tusculanorum auxilio fretus, pontificias aedes repetere. Summa quoque ambitione Joannes Archipresbyter Romanus Pontificatum contendit, qui cum tripartito conflictaretur, Gratianus Presbyter, tribus augustae Sedis vexatoribus (165) abdicationem impense suasit. Qua peracta, Gratianus quasi Ecclesiae liberator, Antistes Catholici orbis maximus, Gregorius autem VI (166). a Romano Klero dictus est. Severam in eo vitae disciplinam, nec mediocre Ecclesiae protegendae studium commendant, at conspersam simoniaca labe electionem non modo Henricus III. Germaniae Rex, Sutrinaque Synodus anno 1046. convocata, sed et ipse, post rei disceptationem muneri ultro concedens, firmare visi sunt.

Caeterum ipsius Henrici ope atque opera factum est, ut Suidgerus Bambergensis Antistes, Clemens nempe II. (167). Ecclesiae clavum teneret, a

(165) Idest Benedicto IX. Silvestro III. et Gregorio VI. Vid. Pagius sup. cit. p. 316.

(166) Gregorius VI., antea Joannes Gratianus dictus, patria Romanus, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 77. in Pontificatu vixit an. II m. VIII. Cat. II. III. V. VI. VII. an. II. m. VI. Cat. IV. an. II. m. V. Cat. VIII. an. XII. m. VII. Nos annos duos, et VIII. menses regnasse credimus, et tandem a Pontificatu sese abdicavit. Vid. sup. cit. Pag. p. 116., ubi refertur Victoris III. testimonium ad rem.

(167) Clemens II., prius Svidgerus, natione Saxo, Papa extitit, ut ex Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 77. m. IX. d. XV. et ex Cat. II.

quo et ipse diademate evinctus, et Simoniaci per Romanam Synodum severe admodum habiti. Hujus obitum qui anno 1047. dari solet, consequuta est invasio Benedicti IX. in Apostolicam Sedem; eam vero excepit hominis conversio ad meliorem mentem, ac voluntatem, qua, auctore sanctissimo Cryptae Ferratae Praesule Bartholomaeo, secretam (168) et expiatricem admissorum vitam ad exitum usque perduxit: inde eorum calumnia se satis aperit, qui Benedictum postero tempore et veneficum, et mortuo Leone IX., turbarum concitatorem criminantur. Quod extra controversiam manet, recedente Benedicto, ad ipsius Henrici Caesaris nutum accommodata est, anno 1048., electio Popponis Brixiensium Antistitis, Damasi autem II. (169) cujus honor trium et viginti dierum spatio finiebatur Praeneste, ubi aestivabat.

Post Damasum, obtulit Henricus Aug. Romano Klero Brunonem, Tullensem Episcopum, qui et summo loco in Alsatia prognatus, et virtutum splendore elucens, cuncta sibi facile devinxit suffragia, divinoque munere donatus videbatur, qui oppressam

III. m. IX. d. VII. ex Cat. IV. VI. m. IV. d. XVII. ex Cat. VII. ac VIII. m. IX. Nos circiter X. menses regnasse arbitramur.

(168) Vid. Baronius ad an. 1044.

(169) Damasus II., antea Poppo, Brixinensis in Germania Episcopus, ut legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 78. Pontificatum rexit d. XXIII. quod pariter constat ex Cat. II. III. IV. VIII.; ex Cat. autem VI. d. XXIV. ex Cat. VII. d. XXVI. Nos Cat. S. Pauli sequimur.

ac fere obrutam Ecclesiam levaret. Romam nudis pedibus ingressus, adductoque secum sibique inter Cardinales adscito Hildebrando Monacho, Leo IX. (ita a Pontificatu audiebat) prid. Id. Febr. an. 1049 rite consecratus, optima ponebat auspicia (170). Ut reipublicae Christianae vulneribus mederetur, quae Simoniaci inflixerant, iisdem occurrere ratus est per Romanam Synodum, profanae Laicorum arrogantiae, incestis, adulterisque nuptiis, Monachorum deformitati, Sodomitarum sceleri, atque iterum Simoniacae pravitati Concilia Remense, et Mogontinum opposuit, in Berengarium Synodum Vercellensem adhibuit, distractos Henrici Aug. et Andreae Hungarici animos, in Germaniam profectus pristina concordia sociavit. Nortmannorum qui Apuliam miscebant, arma quidem minime subegit, animos tamen religione perdomuit. Quid enim non caperet, quid non flecteret incredibilis atque Divina Religionis vis ab ore, eloquio, rebusque gestis adeo eminens? Qui cum exitu vitae consentaneo ad aevum immortale raperetur an. 1054. successorem hisce exemplis haud alienum, et Hildebrando cooptatum habuit Gebehardum Eystetensem Episcopum,

(170) S. Leo IX. Hugonis Comitis Daspurgensis filius, antea Bruno appellatus, in Pontificatu sedit, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. an. V. m. II. d. VII. quod confirmatur ex Cat. II. III.; ast in Cat. IV. VII. VIII. legimus an. V. m. II. d. VI. in Cat. VI. an. V. m. II. d. V. Nos cum Catalogo S. Pauli sentimus. Videatur ejus vita apud Pagium T. II. Brev. p. 327-357.

qui Victor II. (171), eundem se se praebuit ac Leo IX. adversus Berengarium, et Simoniacos, Synodosque nonnullas variis nominibus excitavit.

Cum hisce facile comparandus est Stephanus IX., (172) e Lotharingiae Ducibus, et Cassinensis Monachus, qui absolutum triennio Victoris Pontificatum excepit. Animus huic ardebat ad licentiam, licitationemque Clericorum praecidendam, ideoque zelum Phinees, ut Petrus Damianus vocat, aemulatus, eam labem, ac faecem ex moribus, disciplinaque Christianae Reipublicae delendam, Synodis crebro coactis, summopere curavit. Nec segnis fuit ad ea omnia, quae Graecorum conjunctionem cum Latinis revocare potuissent. Cum autem Hildebrandum Ecclesiae negotia gesturum ad Agnetem Augustam mittere debuisset, mortem, ut putant, animo praesentiens, statuit ut, si eo absente, Apostolica sedes vacaret, nullum antequam vir ille maximus reverteretur, Pontificem acciperet. At contigit exitus contra consilium; postridie enim diei emortualis (qui

(171) Victor II. antea Gebehardus Henrici III. Consiliarius, natione Bavarus, testante Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 79. Papatum retinuit an. II. m. III. d. XV. et Cat. II. III. an. II. m. III. d. XIII. Cat. IV. an. II. m. III. d. XVII. Cat. V. an. II. m. III. d. VIII. Cat. VI. an. II. m. III. d. XXVI. Cat. VII. an. II. m. II. d. XIII. Nos Cat. S. Pauli sequimur.

(172) Stephanus X. al. IX. Gozelonis Lotharingiae Ducis filius, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 79. Pontificatum tenuit m. VII. d. XXVII. et juxta Cat. II. III. IV. VI. VIII. m. VII. d. XXIX. Cat. V. m. VI. d. XXIX. Cat. VII. m. III. d. XIII. Nos Cat. S. Pauli sequimur.

fuit IV. Id. Ap. an. 1058) conspirante, conflataque Alberici Comitis Tusculani, aliorumque factione, invitis Cardinalibus, invitissimo Petro Damiano, (173) Cathedrae omnium Magistrae insedit Joannes Mincius Veliternorum Episcopus, qui Benedictum X., (174) se se nuncupavit. Hinc ingens Christianae Reip. turbatio, quam ut compesceret praesenti animo Hildebrandus in Italiam reversus, collectis Cardinali-

(173) « Quia nobis omnibus (*sunt verba Petri Damiani*) ejusdem urbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus obsistentibus, et terribiliter anathematizantibus, nocturno tempore cum armatorum turbis undique tumultuantibus et furentibus intrhonizatus est. Dehinc ad marsupiorum patrocinia funesta cucurrit .... Ut autem et de ipsa ejus promotione lacrymosa, ut ajunt, verba non protraham, nobis Episcopis per diversa latibula fugientibus, Presbyter Ostiensis Ecclesiae qui utinam syllabatim nosset vel unam paginam rite percurrere, ut eum ad Apostolatus culmen proveheret ratus a satellitibus Satanae et violenter attractus est. Et ecce, ut vos canonicae sanctionis decreta non latent, si cuncta etiam quae sibi opponi possunt objectionum capitula supprimantur, hoc solum tale est, ut ex eo se nullatenus valeat expedire. Nam si Praesbyter procul dubio deponendus est, quia sui sibimet privilegium Pontificis usurpavit, quo pacto poterit is qui ordinatus est, stare propter quem solum ordinator ejus judicatus est a sua dignitate corruere ? » S. Petrus Damiani in ep. ad Henric. Arch. Raven. pag. 44. et seq. T. I. edit. Venet. 1743. et pag. 41. edit. Paris 1663. ubi adnotandum, editorem Constantinum Cajetanum epistolam citatam perperam retulisse ad Alexandrum II. et Cadaloum, ut optime notat Pagius T. II. Brev. pag. 369.

(174) Benedictus X., natione Romanus, Antipapa, vixit ex Cat. II. III. VIII. m. IX. d. XX. Cat. IV. m. IX. d. XXII. Cat. VI. m. II. d. XXII. Cat. VII. m. IX. Nos X. menses circiter in Pontificatu vixisse credimus. Anno 1059. mense januario a dignitate suscepta se se abdicavit. Vid. Leo Ostiensis in Chron. lib. 2. cap. CI. pag. 411. T. IV. Rer. Ital. Muratorii. A nonnullis inter Pontifices legitimos habetur, et ideo hujus nominis seriem non abrumpit.

bus, aliisque electoribus Gerardum (175) Episcopum Florentinum, qui et Nicolaus II. (176) a Senensi Concilio supremo Sacerdotio ornandum, et Romam an. 1059. adductum, in Sedem suam omnibus aeque probantibus, collocandum curat: hinc schismaticorum manus disjecta, Benedictus ab Episcopali, et Sacerdotali gradu retro devolutus; parum adeo firmamenti erat injuriis! Nicolaus ita constitutus potissimum elaboravit, ut Simoniacam perversitatem extirparet funditus, ac tolleret, Nicolaitas, mulierosos nempe Clericos, turpisque commercii defensores, atque patronos, reprimeret, Synodorum perutilium excitator, Catholicae, ac monasticae, quam in deliciis habebat, disciplinae restitutor.

Cum diem suum Nicolaus obiisset an. 1061., quatuor post menses summo Ecclesiae Sacerdotio initiatus est, dictusque Alexander II., (177) Anselmus,

(175) Vid. Leo Ostiensis in chronico l. 3. c. 13. pag. 421. T. IV. Rer. Ital. Muratorii ubi Nicolai II. electio describitur.

(176) Nicolaus II., patria Burgundus, ut in Cat. S. Pauli apud Marang. pag. 80. et in Cat. III. in Papatu sedit an. II. m. V. d. XXV. in Cat. autem II. an. II. m. V. d. XXIX. in Cat. IV. VI. an. II. m. VI. d. I. in Cat. VII. an. II. m. VI. d. XXIX. in Cat. VIII. an. II. m. VI. d. XXV. Nos arbitramur cum Cat. VIII. sedisse an. II. m. VI. d. XXV. Decretum ab eo editum super electione Romani Pontificis extat ap. Labbeum T. XII. Concil. col. 49. Noluit Nicolaus Petri Damiani petitioni acquiescere qua a munere Episcopi Cardinalis Ostiensis se abdicabat. Vid. Pagius T. II. Brev. p. 377.

(177) Alexander II., antea Anselmus de Bedagio Mediolanensis. Ut refert Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 80. Pontificatum tenuit an. XI. m. VI. d. XXI., in Cat. vero II. leguntur an. X., in Cat. III. an. XI., in Cat. IV. an. XI. m. VI. d. XV. in Cat. V. an. II. m. VI.

de Bedagio, Mediolanensis, et Lucensium Episcopus, (178) qui virtutum omnium meritis, doctrinae, prudentiaeque adjumentis dignus, tanto munere inveniebatur. Verum apud Agnetem Aug. Germanicam Henrici IV. matrem, vel potius apud Aulicorum animos offendit, probatissima caeteroquin Alexandri electio, cui non satis Imperatoriae auctoritatis interfuisset. Quae proinde auctoritas se se invide, inimiceque gessit, imponens Ecclesiae Dei Pseudo-Pontificem Honorium II. (179) Cadaulum, Parmensium Episcopum maleficis artibus hominem, et nihilominus in conventu quodam Basileensi sublatum, corruptissimis Insubriae Praesulibus, quos morum similitudo, ut fere fit, celeriter contraxerat, *filios, Caiphae* (ita S. P. Damiani) *adjutores Antichristi, adversarios veritatis.* Restitit contumaciter Cadaulus conciliis plurimis, quae contra id facinoris se se exercuerant et, quandiu vixit, nullis erga Alexandrum contu-

d. XXII. in Cat. VI. an. II m. VI. d. XV., in Cat. VIII. an. XI. m. VI. d. XXII. Nos Cat. S. Pauli sequimur.

(178) Vid. Leo Ostiensis in Chron. lib. 3. c. 21. pag. 431. T. IV. Rer. Ital. Muratorii, ubi post narratam electionem Alexandri II. ait: « Quod cum ad aures Imperatoris ejusque filii pervenisset, indignatione nimia ducti quod haec sine eorum consensu et auctoritate gesta fuissent, et ipsi nihilominus Cadaloum Parmensem Episcopum ultra montes a Placentino dumtaxat et Vercellino Episcopis ipsa die festivitatis Apostolorum Symonis et Judae in Papam eligi faciunt. » Qui tamen Romam veniens, et deinde aufugiens deponitur. Sub Alexandro II. variis legationibus fungitur S. Petrus Damiani.

(179) Vel Cadaloum. Certo non constat, Cadaloum Pseudo-Pontificem Honorii II. nomen habuisse.

meliis, atque injuriis pepercit. Haec autem egregium Pontificem numquam abducere potuerunt a rei christianae sollicitudine qua urgebatur, ut simoniacos, ac libidinosos Clericos ipsis praedecessorum suorum armis perstringeret, monachorum leges plurimas restitueret, contentiones inter Anglos nonnullos Episcopos excitatas dijudicaret, aliaque multa utiliter, sancteque praestaret, donec Kalendis Maiis an. 1073. mortalitatem expleverit (180).

Interfuerat jam inde a Leonis IX., tempore pontificiis negotiis, rerumque ab Alexandro praeclare gestarum non modo particeps, sed et princeps Hildebrandus monachus Cluniacensis singularis exempli, Archidiaconus deinde Romanae Ecclesiae. In hoc viro tanta vis animi et ingenii fuit, ut quocumque loco natus esset (obscuro scilicet Etruriae municipio) aut humili quantumvis vitae instituto abderetur, in lucem tamen, atque oculos hominum omnino esset evocandus: multae praeterea in eo literae, rigida morum innocentia, disciplinae severitas, qua nil inordinatum nil incompositum, aut sibi, aut cuilibet contra inviolabiles Ecclesiae rationes facile ignosceret. Optimum autem supremi honoris auspicium, quod eundem invitus susceperit, suscepitque, conjunctis Cleri, ac populi studiis in pervetusta nostra Basilica S. Petri ad Vincula Urbis X. Cal. Majas an-

(180) Videatur ejus vita ap. Pagium T. II. Brev. pag. 384-413.

no 1073. Gregorii VII. nomine insignis (181). Cum ad liberandam injuriis, invidiaque Ecclesiam omni ferretur cogitatione, vetitas jamdiu sacri honoris petitio-

(181) Gregorius VII. ante Hildebrandus vocatus, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 81. Pontificatum tenuit an. XII. m. I. d. III., et secundum Cat. III. an. XII. m. I. Cat. IV. VI. an. XII. m. I. d. XII. Cat. V. an. XII. m. I. d. V. Cat. VII. an. XI. m. V. d. XXV. in Cat. autem VIII. idem legitur ac in citato Cat. S. Pauli. Nos Catalogum S. Pauli sequimur. Hujus Pontificis cujus nomen laudis nomen est, et gloriae, historiam exaravit Paulus Bernriedensis Canonicus Regularis, apud Gretserum T. VI. opp. pag. 127. edit. Ratisbon. 1735. apud Bollandianos T. V. Maii pag. 579. apud Mabillonium T. IX. Sanctor. Bened. pag. 406.; et inter recentiores J. Voigt cujus historiam nos editam habemus Parisiis ex germanica in gallicam linguam versam, et inscriptam: « *Histoire du Pape Grégoire VII. et de son siècle d'après les monuments originaux.* » Paris 1838. Tanti Pontificis decretum electionis prout extat T. XII. Labbei pag. 234, referendum esse existimamus, cum in eo omnium virtutum splendore Pontifex electus eluceat. « Regnante Domino nostro Jesu Christo anno clementissimae Incarnationis ejus millesimo septuagesimo tertio, Indictione et Luna undecima X. Kalendas Maii, feria secunda, die sepulturae Domini Alexandri bonae memoriae secundi Papae, ne sedes apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in basilica beati Petri ad Vincula, nos sanctae Romanae Catholicae, et Apostolicae Ecclesiae Cardinales, Clerici, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi Presbyteri, praesentibus venerabilibus Episcopis, et Abbatibus, Clericis, et Monachis consentientibus plurimis turbis utriusque sexus diversique ordinis acclamantibus, eligimus nobis in pastorem et summum pontificem virum religiosum geminae scientiae prudentia pollentem, aequitatis et justitiae praestantissimum amatorem, in adversis fortem, in prosperis temperatum, et juxta Apostoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem in gremio hujus matris Ecclesiae a pueritia satis nobiliter educatum, et doctum, atque pro vitae merito in Archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, Hildebrandum videlicet Archidiaconum, quem amodo usque in sempiternum et esse et dici Gregorium

nes, nundinationesque intercidere, atque rescindere caepit: diuturnum, inde ac perpetuum cum Henrico IV. Germaniae Rege certamen (182), qui Sacerdo-

Papam et Apostolicum volumus et approbamus. Placet vobis? Placet: Vultis eum? Volumus: Laudatis eum? Laudamus. Acta Romae decimo Kalendas Maii indictione undecima.»

Primus est inter Pontifices qui antequam Pontifex consecraretur Presbyteratus ordinem susciperet. De Patria Gregorii VII. disputant eruditi. Sunt qui in Tuscia natum dicunt, ut Paulus Bernriedensis, et Saonensem appellant. Nos nimis auctoritate commoti Hugonis Abbatis Flaviniacensis, qui unum supra vigesimum annum aetatis suae agebat tum cum fatis cessit Gregorius VII. ut ex ipso Hugone in chr. ad an. 1097. evincitur, Romae natum fuisse dicimus. Haec sunt Hugonis verba: « *Natus est igitur in Urbe Roma, parentibus civibus romanis, et quod maximum est religiosis.* » Vid. chronicon virdunense Hugonis Ab. Flaviniac. apud Labbeum T. I. *Novae Bibliothecae manuscriptorum librorum* pag. 206. et 242. edit. Paris. 1657.

(182) Injuria ex Gregorii VII. agendi ratione praesertim cum Henrico IV. Bossuetius, seu quilibet alius sit auctor operis inscripti: « Defensio Declarationis celeberrimae, quam de potestate Ecclesiastica sanxit Clerus Gallicanus XIX. Martii 1682. Luxemburgi 1730. » asserebat, Pontificem illum consilium iniisse de universis regnis politicae Pontificum potestati subjiciendis (vid. cit. auctor T. I. Part. II. Lib. IV. cap. XII. pag. 113.) Et sane si coaevorum historiam pervolvamus, Gregorii VII. virtutes praeclarissimae, potius quam vitia ab Romanae sedis hostibus in eum objecta elucebant. Vidd. Bruno Monachus in hist. belli Saxonici ext. T. I. Script. Rer. Germ. Freheri a pag. 173. - 232. Auctor vitae S. Anselmi Episcopi Lucensis, qui videtur esse Paulus Bernriedensis Can. Reg. ap. Gretserum T. VI. pag. 468-486. Ratisbonae 1735. Domnizo Presbyter in vita Comitissae Mathildis apud cit. Gretserum T. VI. pag. 487. et seqq., Lambertus Schafnaburgensis in libro de rebus gestis Germanorum T. I. Script. Pistorii pag. 306. et tandem Paulus Bernriedensis Canonicus Regularis in vita S. Gregorii VII. in sup. nota cit. Vid. Bossuetius cit. Part. II. Lib. VII. c. II. p. 250. ubi ait: « *Merito anathemate percussum confitemur eum (Henricum IV.) qui nulla causa, nullaque potestate Petri successorem deponere ausus fuerat.* »

tia omnia illiberali, ac sordido quaestui, ambitioni, et aucupiis proponens divina jura miscebat. Porro id Gregorio praecipuum, honestissimis legationibus, literisque flexanimis regem ad benevolentiam allicere, varias, quae callide ab eo offerebantur, paenitentiae species, amplecti, donec innumeris afflictus injuriis, quas tum a se, tum multo magis ab Ecclesia propulsare deberet, exhausta benignitate, multa ac metuenda minatur. Indurescit Henricus, tamquam Pharao, et nedum ab hac animadversionis severitate vincatur, severitatem ipsam immani facinore revincere nititur. Conciet itaque pseudo-synodos Ultrajectinam et Moguntinam, armat auctoritate, armat acerbissimis in Gregorium calumniis, sedent Judices, quos plurium criminum reos deferri oportebat, sacrilegi damnatores Pontificis, quos verenda Romanae Sedis majestas, ac prope caelestis Gregorii virtus demissos, supplicesque facere debuisset. Ac ne res sine capite manet, praeficitur Ecclesiae, vel potius factioni improbae cui addictus fuerat, Guilbertus Ravennae Episcopus Clemens III., ideo appellatus, qui Henricum corona donavit, tetram autem, detestabilemque oppressionem cum vita tantummodo reliquit, an. 1000. Hinc Gregorius cum obtrita videret Pontificiae dignitatis jura, Henricum devovet, stipendiarios deinde ab obligatione fidei persolvit, et Rodulpho Sveviae Duci, quem Saxones regem vocaverant, in tutelam tradit. Ex eo tempore praeruptus furor ad inimicissima quae-

que decurrit, et quamvis eniteat erga Gregorium pietas, auxiliaque adsint Mathildis Hetruriae Comitissae ad omnem pietatem ab eo institutae, et Roberti Viscardi Apuliae Ducis, magis tamen spectanda est voluntas quam fortuna. Hanc infestam habuit Pontifex circumsessus undique Germanorum copiis, quae se se in Italiam effuderant, miserrimam denique subiit cum insidiarum profugus, Salerni ad finem mortalitatis accessit. Jam calamitatibus innumeris supremis angustiis, se ipso denique major spiritum firmat, ut insequentem electionem, coram Cardinalibus, et Episcopis ad certas normas exigat, et proculcatas Ecclesiae rationes intime diligentissimeque commendet. Ultimam denique excitat vocem, testimonium nempe Ecclesiae omni confirmatum, se infelici exsilio perire, quod justitiam dilexerit, oderit iniquitatem (*Ps.* 44. 8.): id. VIII. Cal. Jun. anno 1085. Gregorii haec quoque praeclara: undecim Romae adhibuit Concilia, quae leges plurimas adversus simoniacos, eorumque species varias, ac multiformes vel statuerent vel restituerent, Clericorum necessitudines, et conjugia (183) sacri ho-

(183) Incredibile dictu est quot et quanta effinxerint Haeretici et Protestantes nec non Regalistae contra sanctissimum Pontificem Gregorium VII. ut ejus gloria aliquo modo calumniis saltem imminueretur. Inter eos non ultimum tenet locum Villersius in sua historiae quadam adumbratione, quam anno 1808. Parisiis edidit et suae subjecit Dissertationi inscriptae: « *Essai sur l'esprit et l'influence de la Réformation de Luther*, » qui dicere non erubuit legem de caelibatu servando a clero saeculari occidentali primum fuisse latam a Grego-

noris petitiones, captationes, deductaque inde ac detorta sacerdotia, prohiberent, et abrogarent fallacem paenitentiae imitationem, simulationemque re-

rio VII. Id jam affirmaverat David Humius: «Affectoit (Gregorius VII.) un soin particulier de la pureté des moeurs jusqu'à regarder les chastes douceurs de l'amour conjugal, comme incompatibles avec la sainteté du sacerdoce. En conséquence de son opinion sur ce sujet, il prohiba le mariage des prêtres, excommunia tous les ecclésiastiques qui ne répudieroient pas leurs femmes, mit au rang du péché de fornication ce commerce illégitime et déclara coupable tout laïque qui entendroit l'Office célébré par de tels profanes ministres des autels.» – *Histoire d'Angleterre depuis l'invasion de Jules César jusqu'à l'évasion de Jacques II. traduit de l'Anglois.* T. II. pag. 152. ad an. 1077. Yverdon 1781. Ad hosce partium studio abreptos scriptores refutandos satis esset unum tantum antecessorum Gregorii testimonium referre, quo constat jam ante Gregorium VII. legem hujusmodi latam fuisse; cum vero res per se gravissima sit et nostra etiam tempestate non dicam in Germania, sed in ipsa America de caelibatus Clericorum lege disceptetur, eamque onus appellent non amplius tolerandum, et veteribus inauditum, hinc est quod nos peculiaria antiquitatis testimonia referre curabimus, ut et Gregorii VII. agendi ratio cum veteri Ecclesiae praxi uniformis appareat, et Ecclesiae Romanae constans de hac re doctrina per saeculorum continentem seriem magis ac magis eluceat.

Alexander II. in decreto quod an. 1063 edidit in Concilio Romano, ut apud Labbeum Tom. XII. Concil. col. 138.: «*Nullus Missam audiet Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroductam mulierem. Unde S. Synodus haec a capite sub excommunicatione statuit: dicens: Quicumque Sacerdos, vel Diaconus, post constitutum beatae memoriae praedecessoris nostri sanctissimi Papae Leonis, aut Nicolai de castitate clericorum, concubinam duxerit palam, vel ductam non reliquerit... non cantet Missam, neque Evangelium... neque in Presbyterio ad divina officia cum his qui praefatae constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat.*»

Nicolaus II. in Concilio Romano habito an. 1059. jam decre-

vincerent, fidei vero, ac fortitudinis documentum eximium praeberent tum in condemnatione Henrici Regis, tum eorum omnium qui praesules Episco-

tum promulgavit, quod idem Alexander II. citaverat, statuit, nempe (ut apud Labbeum T. XII. col. 44.): *Ut nullus Missam audiat Presbyteri quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem, unde etiam ipsa S. Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit dicens: Quicumque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum post constitutum beatae memoriae praedecessoris nostri Sanctissimi Papae Leonis de castitate Clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei auctoritate BB. App. Petri, et Pauli praecipimus, et omnino contradicimus, ut Missam non cantet* etc. » Cum autem ex Alexandri, et Nicolai decretis constet jam ante eos extitisse aliquod constitutum a Leone IX. Pontifice contra incontinentes Clericos, hinc duplex concilium afferre putamus, in quibus hoc idem fuerat statutum; Rhemense scilicet an. 1049. celebratum, de quo haec habentur: « Leo Papa (*IX.*) in Gallia et Germania synodis habitis, statum Ecclesiae corrigit. (Haec Sigibertus [ad a. 1049]) Eo tempore Rhenos translatum est corpus sancti Remigii, et Leo Papa benedixit Ecclesiam sancti Remigii, et post triduum Concilium LXVI. Episcoporum ibi celebravit, in quo interrogatus sanctus Hugo, Abbas Cluniacensis de sua promotione fertur respondisse: Caro voluit, spiritus repugnavit; ibi vero simoniaci, tam populares quam Clerici, Presbyterique uxorati persuasione sancti Hugonis a Catholicorum congregatione et Ecclesiis eliminati sunt. » Sic legitur in magno Chronico belgico, auctore Canonico Regulari prope Nussiam, ext. T. III. Scriptor. Rer. German. Pistorii §. 13. pag. 122. edit. Ratisbonae 1726. Ticinense alterum sub Benedicto VIII. an. 1020. habito, in quo ab hoc Pontifice provisum est, ne Clerici amplius incontinentiae, et avaritiae dediti essent. In primo enim illius Concilii canone haec habentur (apud Labbeum T. XI. Conc. col. 1107.): « *Nullus Presbyter, nullus Diaconus, nullus Subdiaconus, nullus in Clero uxorem, aut concubinam admittat . . . Quod si fecerit secundum Ecclesiasticam regulam deponatur. Sed neque secundum humanas leges ex longo factas, et receptas, ullius administrationis locum in plebe habeat.* »

pi, et proceres impiam cum eo societatem inierant. Sed et plurimum impendit operae Gregorius apud Vratislaum Bohemorum Ducem, apud Hungaricos

Notatu autem digna allato in canone sunt verba : « *Secundum Ecclesiasticam regulam. . . neque secundum humanas leges ex longo factas:* » quae evidentissime demonstrant veterem jam de caelibatu servando legem extitisse.

Eugenius II. in Concilio quodam Romano an. 826. habito statuit: « *Si quispiam Sacerdotum, idest Episcopus, Presbyter, aut Diaconus vel etiam Subdiaconus, de quacumque faemina crimine fornicationis suspicatus post primam, secundamque, et tertiam admonitionem Metropolitani, vel alterius Episcopi, aut ei cui subjacere videtur, inveniatur fabulari cum eo, aliove modo conversari, canonice judicetur. Quapropter unusquisque Episcopus in tali re studiose, ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi a propriis possit sordidari ministris. Quia cum propriam uxorem habere non permittitur, maxime ab omni faemina est abstinendus*; » apud Labbeum T. IX. Conc. col. 1123. quod Eugenii decretum confirmatum videmus a Leone IV. in Concilio Romano habito an. 853. ap. Labbeum T. IX. Conc. col. sup. cit. vid. col. 1129. In concilio Rhemensi idem Eugenius II. legem peculiarem edidit de caelibatu servando, apud Labbeum T. IX. Conc. col. 64.

Zaccharias R. P. in epist. ad Bonifacium Episcopum Moguntinum an. 742. missa, qua Bonifacii petitioni respondit circa Clericos fornicarios ait (ap. Labbeum Tom. VIII. Conc. col. 232.): « *Isti enim, e contrario non solum post susceptum sacerdotium se abstinere ab una uxore nolunt, imo luxuria obvoluti pejora saecularium scelera committunt, ut plures uxores habere praesumant, quibus neque unam concessum est post susceptum ministerium attrectare.* »

Ad saeculum V. regredientes extat Leo Magnus hujus nominis I. qui in epist. ad Anastasium Thessalonicensem, et in iis literis, quas ad Rusticum Narbonensem misit, eamdem caelibatus legem indigitat; ita enim in epist. ad Anastasium Thess. ait: « *Jam cum extra Clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectae continentiae puritatem nec Subdiaconis quidem carnale connubium conce-*

reges, aliosque principes ne religio in borealibus plagis de possessione ulla deturbaretur, Gothicorum rituum abrogrationem Aragoniae Regibus suasit, sa-

ditur . . . quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis in 1. in 2. in 3. servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria necdum fraenasse detegitur; » quae epistola est 14. in edit. Balleriniana. Innocentius I. in decretali ad Vitricium Rothomagensem mense Februarii an. 404. data cap. 9. ait, apud Labbeum T. III. Con. col. 9. « *Praeterea quod dignum, quod pudicum, et honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut Sacerdotes, et Levitae cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur.* »

Jure autem Innocentius sic loquebatur, cum tunc temporis in Gallia continentiae inimici pullurarent sub Vigilantio de quo Hyeronimus; Quare interrogatus idem Pontifex ab Exuperio Tolosano Episcopo de Clericorum conjugiis alteram edidit decretalem quam sic legimus (apud Labbeum T. III. Conc. col. 13.): « *Proposuisti quid de his observari debeat, quos in Diaconii ministerio, aut in officio Praesbyterii positos incontinentes esse, aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his, et divinarum legum manifesta est disciplina, et beatae recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi omni honore ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri. Est enim vetus admodum sacrae legis auctoritas jam inde ab initio custodita . . . . ut Sacerdotes servientes sacris oblationibus puros, et ab omni labe purgatos sibi vindicent divina mysteria: neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale consortium: quia scriptum est:* « Sancti estote quoniam et ego sanctus sum Dominus Deus vester. »

Siricius qui Damaso successit an. 384 vix salutatus Pontifex ad Himmerium Episcopum Tarraconensem responsum dedit, quod ipse Himmerius ab Damaso Pontifice expectabat quoad caelibatum, ait igitur Siricius cap. 7. (ap. Labbeum T. 2. Con. col. 1215.) « *Plurimos enim Sacerdotes Christi atque Levitas post longa consecrationis*

crarum electionum libertatem in Galliis recepit. Quae cum numquam curae consedissent, itinere, quod comparaverat, Orientem consequutus, Graecos, et Armenos a schismate, ingentemque Christianorum multitudinem a crudeli Saracenorum tyrannide revocasset. Admirabilis excelsi animi magnitudo, et firmitas prodigialibus signis praeterea, ac cae-

suae tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse . . . . Quarum sanctione omnes Sacerdotes, et Levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati, ac pudicitiae et corda nostra mancipemus, et corpora: » ex quibus Siricii verbis infertur jam ante Siricium, legem aliquam extitisse de caelibatu quod denegat Petrus De Marca lib. I. de concordia Sacerd. et Imp. cap. 8. n. 4. minime attendens ad alia ejusdem Pontificis verba in Epist. 4. ad Africanos Episcopos ubi (apud Labbeum Tom. II. Con. col. 1225.) ait: « *Litteras tales dare placuit, non quae nova praecepta aliqua imperent, sed quibus ea quae per ignaviam, desidiamque aliquorum neglecta sunt observari cupiamus, quae tamen Apostolica, et Patrum constitutione sunt constituta.* » Haec satis sint pro re nostra tum contra Villersium, tum contra caeteros sanctissimae caelibatus legis inimicos, reliqua quae ad rem pertinent satis superque enucleata videsis apud Zacchariam in « *Storia polemica del celibato sagro*; » Roma 1774. Objecta adversariorum licet diversimode ab recentioribus afferantur, cum crambem recoxerint, brevitatis gratia omittimus; videri tamen possunt omnia ferme in putidissimo opere Georgii Calixti inscripto: *De Conjugio Clericorum tractatus quo ostenditur Pontificiam legem qua sacris ministris conjugium universis, et simpliciter interdicitur sacrae Scripturae, rectae rationi, justarumque legum naturae, et Ecclesiasticae primaevae antiquitati prorsus adversari*; Francofurti 1653. Inutile profecto est recentiorum Germanorum opera referre quae veterem cantilenam ad nauseam usque refricarunt, inter quae adnumerandum illud inscriptum « Die Einfuhrung der erzwungenen Ehelosigkeit bei den Christlichen Geistlichen und ihre Folgen, » *seu* Introductio caelibatus coacti apud Christianos Sacerdotes edit. *Altenburgi* 1828.

lestium judicio comprobata, malevolentissimis obtrectationibus obnoxia fuit, ut flagrans, ac pertinax dominandi cupido videri posset: verum calumnias eximunt immortalia Gregorii opera, eximunt verba quae vivunt, imo vigent innumeris sacrata epistolis (184); ipsa denique inimica adhuc haereticorum doctrina commenta detegere, ac delere incipit, veritatique consulere. Sed de hoc satis: reliquos persequamur (185).

Non ante perfectum ab obitu Gregorii annum rector afferebatur Ecclesiae, Desiderius, vir inter Samnites princeps, et ipse inexplebili virtute, veraque laude, qui Cassinensis instituti diligentissimus, quamvis ab Gregorio jam jam morituro, una cum tribus aliis (186) designatus fuisset, summa tamen vi IX. Cal. Jun. an. 1086. ad Pontificatum compellebatur; verum quatriduo post, abjectis insignibus, refugiebat ad Cassinum montem, neque inde avelli poterat, usque ad insequentem annum 1087 sacrorum antistitum, ac procerum efflagitatione et precibus defatigatus Capuana Synodo Victoris III. nomine officium suum firmavit. Quin et hoc egregie praestit et sanctimoniae fama mirum in modum

(184) Apud Labbeum T. XII. Conc. pag. 235. et seqq.

(185) Consulatur sup. cit. vita S. Gregorii VII. ab coaevo Paulo Bernriedensi Can. Reg. exarata apud Bollandianos T. V. Maii p. 579. et Pagius T. II. Brev. pag. 413. et seqq.

(186) Lugdunensi nempe Archiepiscopo Hugone et Ottone Ostiensi Episcopo, aut denique Lucensi.

nobilitavit. Brevi admodum temporis spatio (187) (cum posteriori anno obiisset), Gregorii VII. vestigia tantummodo ingredi potuit (188); adimplere autem illius fuit, quem habuit in Pontificatu successorem. Hic Otto (Urbanus nempe II. (189)) e Gallia oriundus, Canonicus jam antea Regularis Ordinis S. Augustini, Monachus deinde Benedictinus, et Ostiensis Episcopus eximiis virtutibus, Pontificia ad Henricum Germanicum Legatione, et per eam contumeliis, ac vinculis nobilitari caeperat. Maximo praeditus sacerdotio severus se se praebuit reip. Cristianae custos et in Henricum Imperatorem, qui priora scelera incredibili erga uxorem scelere cumulaverat, et in Philippum Francorum Regem, qui, justa uxore dimissa, aliam superduxisset. Sentiens autem quam magno usui forent Synodi, senescentis disciplinae reformatrices, duodecim cum in Italiam

(187) Victor III., patria Beneventanus, in Pontificatu vixit, prout refert Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 81. m. IV. d. XXVI. in Cat. III. IV. V. VI. VIII. scribuntur m. IV. d. VII. in Cat. VII. an. III. m. IV. d. VI. Nos Leonis Ostiensis verba referentes iisdem assentimur: « *In sede vero Apostolica ab ipso suae electionis exordio anno uno; sacrationis, mensibus quatuor, diebus septem.* » T. IV. Rer. Ital. Muratorii lib. III. cap, LXXIII. pag. 485.

(188) Vid. Leo Ostiensis in sup. cit. Chron. Monast. Cassin. T. IV. Rer. It. Mur. cap. LXVI. et seqq. pag. 475. et seqq.

(189) Urbanus II., natione Gallus, testante Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 82. Pontificatum habuit an. XI. m. IV. d. XVIII. juxta Cat. III. an. XI. Cat. IV. VI. an. XI. m. V. d. XVIII. Cat. V. an. XII. Cat. VII. an. XI. m. V. d. XXV. Cat. VIII. an. XII. m. IV. d. XIX. Nos Cat. S. Pauli sequimur.

tum in Gallias advocavit. Eas in Parthenopea regione habuit, quibus Sacricolarum aetas haud matura ad prudentiam, conditio servilis, culpabilis vita, concinnatae vestes, petitiones, efflagitationesque munerum improbantur, reprimitur Guibertus Pseudo-Pontifex cum factiosa suorum manus, exsolvitur a Graecorum cavillationibus processio Spiritus Sancti a Filio; id ultimum in conventu Barensi, cujus mens et vox Anselmus Cantuariensium Antistes eluxere. In Galliis Synodus Toletana, qua decreta est Legatio in Hispaniam pro Christiana Toletanae Diaecesis disciplina restituenda, tum prae caeteris eminuit Claramontana. In eo Concilio Praesulum, ac Procerum frequentissimo Urbanus terram Christi Dei vestigiis impressam inexpiabili barbarorum odio, ac furore conculcatam, deterritos a Turcarum immanitate Graecorum animos, negligentes communis salutis Occidentales Principes, atroces magis et magis in dies Religionis plagas, ubi origo religionis, ubi domicilium sanctitatis gravissime expostulat, animos primo, miserabili sermone commovet, ad bellum deinde inflammat, classicum gentibus omnibus canit, quam late imperii Christiani fines patebant (190). Arma quotquot aderant, arma inclamant, arripiunt, et secundum eos nobilissimi e Gallia, Italia, Hispaniaque Principes,

(190) Vid. sup. nota partis exterioris n. 108. ubi de sacris expeditionibus agitur. pag. 43.

horum autem exemplo infinita, ac permixta hominum multitudo. Hisce robur, ac firmamentum addere in conventibus Lemovicensi, Turonensi, et Romana, urere novis Christiani nominis cladibus, anxius, intentusque agere, ne pristinus ille animorum aestus defervesceret. Neque malitiae Simoniacae, Berengarii haeresi, paenitentiae mendaci impune abire licuit, quas omnes furias, ac pestes praesentissimo consilio extinguendas curavit; idem horarias supplicationes, quas B. Virginis officium vocant, Clericis indixit: hae apud omnes receptae Deiparae honores mirabiliter excitarunt. Perdoctus, pientissimus, decedente saeculo undecimo, decedens talibus rerum gestarum monumentis, nominis sui memoriam consecravit (191). Paucos post dies (Idib. Augusti an. 1099.) desiderium, quo tenebatur, Ecclesia lenivit, Pontificem suum suscipiens Raynerium Etruscum Cluniacensem Paschalem II., (192) ex eorum numero, qui a Gregorii VII. disciplina illustrium virorum procreatrice, et quasi parente profecti sunt, de quo autem in sequenti capite (193).

(191) Vid. Pagius T. II. Brev. pag. 479-522.

(192) Paschalis II., Tuscus natione, Bledanus patria, vixit in Pontificatu juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 82. an. XVIII. m. V. d. VII. cui convenit Cat. IV. juxta vero Cat. V. an. XIX. m. VI. d. XXII. Cat. VI. an. XVIII. m. V. d. IX. Cat. VII. an. XVIII. m. V. d. VIII. Cat. VIII. an. X. m. VI. d. VII. Nos, excluso emortuali die, sedisse dicimus an. XVIII. m. V. d. VII.

(193) Quae ad Paschalem referuntur videri possunt satis exposita apud Pagium T. II. Brev. pag. 522-569.

§. IV.

Pontifices Saeculi XII.



Ab obitu Paschalis II., qui anno 1118. tribuitur, insederunt Petri Cathedrae alteri eorum nominum Gelasius, Callistus, Honorius, Innocentius II., Caelestinus II., et Lucius II.; deinde Eugenius III., Anastasius IV., Hadrianus IV., Alexander III., Lucius III., Urbanus III., Gregorius VIII., Clemens III., Caelestinus III., et Innocentius III. initio consequentis saeculi, anno 1216., mortalitate exutus.

Vacuum molestiis Pontificatum nec Paschali dederunt obitus Guiberti Pseudo-Pontificis, an. 1100, neque Henrici IV. Germanici an. 1106. quibus luctuosissimo schismati finis abesse videbatur. Accedebat an. 1115. interitus Mathildis Comitissae (194) quae Provincias suas Romanae Sedis patrimonio adjunxerat, unde etiam stabilis, et tranquilla possessio ostendebatur. Verum irruit in utriusque inviolabilis regionis fines Henricus V. Germanicus paterna vestigia, et acerbissima erga Ecclesiam persequens odia qui, ut sacri honoris insignia ad suum arbitrium libidinemque versaret, munitus exercitu, munitus calliditate, atque insidiis Italiam aggreditur, Pontifici obrepit, reclamantique vim infert! At Paschalis plures Synodos adhibet, quibus jura Aposto-

(194) Cujus vitam citavimus in sup. nota (182).

licae Sedis firmantur, neque ab officio deterritus querelis tantummodo scelera ejusmodi transigit, sed, quas praedecessores a patre expetierant paenas, et ipse in filium restituit, et in Conciliis Viennensi, et Coloniensi, atque alibi sacrificiis illum interdicit. Pari animi virtute adversus Villelmum II., et Henricum I. Angliae Reges Ecclesiasticae libertatis impugnatores se se praebet, neque Ecclesiasticae auctoritatis aciem hebescere patitur cum Philippus Francicus pellicem tori regii non adhuc dimitteret. Imitatus Urbanum II. dignitates, ac numera apud optimos locavit, et jussit Cardinales quos nobilissima pietatis doctrinaeque fama honestaret, Paschali extincto an. 1118, successor ex eorum numero editus est Joannes Campanus e Cassinensium familia, qui Gelasii II. nomen accepit (195). Hic quoque, ut imminentes Henrici Aug. manus effugeret, Gallias petiit, quo tutum erat conflictatis undique Pontificibus, honestumque confugium; unde expeditionem in Hispaniam contra Saracenos provocavit. Aliud quoque importunissimum dissidium Ecclesiam turbabat; nam Burdinus Bracarensium Episcopus, devicto sibi Caesare, Pseudo-Pontifex insurrexerat (196). Diris eum devovit Gelasius, qui dum

(195) Gelasius II., natione Campanus, ut legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 83. Pontifex fuit an. I. d. IV. et in Cat. IV. VI. VIII. an. I. d. V. In Cat. V. idem habetur ac in Cat. S. Pauli, in Cat. VII. an. V. d. V. Nos catalogum S. Pauli sequimur.

(196) Gregorius VIII. antipapa. Vid. Pag. T. II. Brev. p. 578.

multa pro Ecclesia moliretur post annuum Pontificatum, morte oppressus est (197).

E Galliis quo se tamquam in portum Gelasius contulerat, et Burgundiae Comitibus, Pontifex prodiit Callistus eo nomine II. (198) Regum cognatione, et gratia florescens, potestate gravissimus, perfectis legationibus illustris. Qui cum annum in Galliis implevisset, coactis ibidem Synodis in perditam Clericorum licentiam, aliaque vitia quibus tunc temporis Ecclesia laborabat, ad Urbem (meliori fato festinante) accessit. Romam itaque praecipiti fuga purgavit una cum satellitibus suis Burdinus, qui Gregorii VIII. nomen, et Paschalis, primo, Gelasii deinde honores sibi indiderat, quos cum vindicis scelerum carcere commutare coactus, unde eum mors dumtaxat exsolvit an. 1124. Hoc etiam secundo Dei numine ac mirifico prorsus munere Callisto benevertit, quod diutinae de sacri honoris insignibus, controversiae, vehementissimaeque contentioni exoratum bonis omnibus finem in Conventu Wormatiensi VI. Id. Sept. an. 1122. aliquando tandem afferre et in Concilio Lateranensi, IX. oecumenico inse-

(197) Videatur Gelasii vita a Pandulpho Pisano ejus familiari exarata cum commentariis Constantini Cajetani T. III. part. I. Rer. Ital. Murator. pag. 367.

(198) Callistus II., Guido antea vocatus, Guillelmi Burgundiae Comitis filius; sicuti narrat Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 83. Papatum retinuit an. V. m. X. d. XII. quod confirmatum est in Cat. IV. VI. in Cat. vero V. ponuntur an. V. m. VI. in Cat. VII. an. V. m. III. d. XXVIII. in Cat. VIII. an. V. Nos Catalogum S. Pauli sequimur.

quenti anno constituere potuerit. Positis tunc simultatibus, detractis odiis, abjectis armis, Christianus populus respiravit, Callisto dignitate frui licuit, et fortuna uti! Hanc vero impiger Ecclesiae Rector gentibus impertivit, Pomeranis praesertim, quos a possessoribus iniquis in Christianam libertatem asseruit. anno 1124. desideratus est (199).

Partium libidines, inversasque vices ostendit proxima electio. Haec discordibus licet nonnullorum mentibus, Pontificem dederat Thebaldum Cardinalem, quo nil modestius. At dum grates Deo personarent, alius clamor, et concursus erupit Roberti Comitis de Frangipanis, qui Lambertum Ostiensem Episcopum efferebat, hic Honorius II. (200) ille Caelestinus II. (201). Cessit illico Pontificatu Caelestinus prae humilitate, se se item abdicavit paucis post diebus Honorius, cujus cum aequitatem et abstinentiam in magna adjumentorum copia omnes mirarentur, ea voluntatum inclinatio facta est, quae vitium electionis submovit, supremumque illi Sacerdotium adjudicavit, dignum tanto mu-

(199) Vid. Callisti II. vita a Card. Aragonio scripta, ext. T. III. part. I. Rer. Ital. Murat. pag. 419.

(200) Honorius II., patria Bononiensis, ex nobili familia Fagnana natus, is quemadmodum legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 84. sedit Pontifex an. V. m. I. d. XXV., et in Cat. V. an. V. in Cat. VI. an. VI. in Cat. VII. an. V. m. II. d. XXVIII. in Cat. VIII. an. V. m. II. Nos Catalogo S. Pauli assentimur.

(201) Vid. Pandulphus Pisanus in vita Honorii II. T. III, Part. I. Rer. Ital. Murator. pag. 421.

nere praebuere tum solertia, qua Legatos in Orientem, et in omnes fere Europae regiones proficisci jussit ad Ecclesiae negotia ubivis conficienda: tum prudens, exploratumque consilium, quo Synodis adfuit, ea demum gloria, quae excellit cum virtutes praestiterint (202).

Annus 1130. qui Honorio emortualis fuit, novum protulit schisma; Gregorium enim De Matthaeis Canonicum Reg. Lateranensem Innocentii II. (203) nomine Donatum interturbavit. Petrus Petri Leonis filius ex Judaeo Christianus, at Judaeo deterior, et primores Urbis opibus, ac divitiis adeptus, ut facilius ita Innocentium labefactaret. Viribus hic impar in Gallias venit hospes, et Pontifex honorificentissime habitus a Rege Lodovico Crasso Christianissimo, et ab universa Gallicana Ecclesia, quae in Concilio Stampensi (toto animo incumbente in eam causam Bernardo Claraevallensi) eximias erga Innocentium voluntates sententiis omnibus declaravit. Posteaquam e Galliis vocem suam in Petrum Leonis excitarit, inclamaveritque rursus in eum Italiam repetens, Romam an. 1133. postliminio revertitur, praesidibus Lotharii Germanici copiis, quem in

(202) Vid. ut sup.

(203) Innocentius II., Romanus, ex nobili Paparescorum familia, quae aliis de Matthaeis. Constat ex Cat. S. Pauli ap. Maraug. pag. 84. in pontificatu vixisse an. XIII. m. VII. d. IX., sed ex Cat. V. an. XIV. ex Cat. VI. an. XII. ex Cat. VII. an. XIII. m. VI. d. VIII. ex Cat. VIII. an. XIV. m. VII. d. VIII. Nos catalogum S. Pauli sequimur.

templo Lateranensi Imperatorio nomine, ornatuque decorat. Iteratur profectio, recrudescente Petro Leone (204), iteratur reversio, eo morti occumbente VIII. Cal. Feb. an. 1138., quin et Schisma continuatur a Gregorio Cardinali, Victore IV. (205) gloriose deinde extinguitur praecipuo, et pervigili Bernardi labore, qui Victorem ad Innocentii pedes supplicem dedit (206).

Rebus ita compositis, paci, quae nihil insidiarum habitum esset consuluit Innocentius Synodum jubens Oecumenicam Lateranensem II. (207). Haec Rogerium Siciliae Ducem, Petrum Abaelardum, et Arnaldum Brixiensem, ille hostilibus motibus, hi turbulentis erroribus, in Ecclesiam invectos coercuit, novam Evangelio sobolem, immissis Apostolis, in Hibernia paravit. Haec aliaque perficere potuit Innocentius quatuordecim annorum spatio quo Pontificatum gessit; obiit enim an. 1143. dignus sane cui effusa, perpetuaque Bernardi studia praesidio essent, praeclaroque in posteritatem omnem ornamento.

Eadem tranquillitate utebatur perbrevis, qui suc-

(204) Anacleto nempe Antipapa. Vid. Pagius T. II. Brev. p. 646.

(205) Vid. Pagius sup. cit. p. 650.

(206) Vid. Arnulphus Sagiensis in tractatu de schismate orto post Honorii II. Papae decessum T. III. Part. I. Rer. It. Murator. p. 423. Vid. etiam vita Innocentii II. ibid. pag. 433. et 434.

(207) Vid. Pagius cit. T. II. Brev. pag. 651. et T. XII. Conc. Labbei col. 1498, et seqq. ubi col. nempe 1407. et seqq. extant epistolae Innocentii II.

cessit, Pontificatus Caelestini II., Guidonis (208) jam antea de Castello Cardinalis S. Marci: at non eadem adfuit Geraldo Bononiensi ab antiqua stirpe Caccianemicia (209) Canonico Regulari, qui Cardinalis Cancellarius Romanae Ecclesiae maximus, Germanica Legatione perfunctus, Lucius deinde II. Cae lestino suffectus fuerat; infestos enim, et insolescentes habuit Arnaldistas; habuit et adversarios ab iis concitos Romanos, qui Senatoria dignitate revocata, editoque sibi Patricio Jordano Anacleti Pseudo-Pontificis fratre Romanae Ecclesie facultates, atque fortunas in Senatorium censum dedicare conabantur: praebuit Pontifici solatium, illustre hostibus documentum Alphonsus Lusitanorum Rex, dum Portugallensem regionem omnem Romanae Sedi vectigalem obtulit (210).

Inquieta Romanorum ingenia et, instigatoribus Arnaldistis, in novas res avida perpessus est post Lucium an. 1145. vita functum, Eugenius eo nomine III. (211) Petrus nempe Bernardus Cistercien-

(208) Caelestinus II., natione Tuscus, Pontifex fuit, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 85. m. V. d. XIII. et secundum Cat. VI. m. V. Cat. VII. m. V. d. XIV. et Cat. VIII. convenit cum jam citato Cat. S. Pauli. Nos catalogo S. Pauli plane assentimur. Vid. Pagius T. III. Brev. pag. 1.

(209) Lucius II. Bononiensis, antea Gerardus Caccianimicus, vixit in Pontificatu, referente Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 85. m. XI. d. XIV., et Cat. VI. an. I. Cat. VII. an. II. d. XII. Cat. VIII. m. XI. d. IV. Nos catalogum S. Pauli sequimur.

(210) Vid. Pagius T. III. Brev. pag. 5.

(211) Eugenius III., patria Pisanus, Pontificatum rexit, ut legitur

sium Abbas, quem praecepta Bernardi Claraevallensis sanctissima ad omne aerumnarum genus paratum, obfirmatumque praestiterant (212). Qui seditionem Romae conflatam effugiens, Viterbii Legatos de Armenorum submissione accepit (213). Urbi paullo post redditus, et nova tempestate coorta, ereptus, in Gallias migravit perhonorifice habitus a Lodovico VII. Rege Christianissimo (214), et usus Remensi Concilio an. 1148. (215) plura decrevit, plura firmavit, quae Clericos ad veterem sanctimoniam, Gilbertum (216) ad Catholicam veritatem transferre possent: imo in quosdam etiam haereticos Vasconiam et Provinciam polluentes animadvertit. Quin et plurimum ei debet Crucesignatorum fortuna, quam vehementi ad Catholicos Principes incitatione, propositis admissorum expiationibus dato Principe ac Duce Bernardo, adhibitis in eam rem Conciliis, fortunam, inquam, labentem continuit, postratam erexit. Hujus fidem, continentiam, modestiam, virtutesque alias memorabiles multi testan-

in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 86. an. VIII. m. IV. d. X., et in Cat. VI. an. VIII. in Cat. VII. an. I. m. IV. d. XXIII. in Cat. VIII. an. V. m. IV. d. XX. Nos Catalogum S. Pauli sequimur.

(212) Eugenius III. non de gremio Cardinalium eligitur.

(213) Vid. sup. cit. Pagius T. III. Brev. p. 9.

(214) Vid. ut sup. pag. 13.

(215) Ap. Labbeum T. XII. Conc. col. 1651.

(216) Porretanum Episcopum Pictaviensem.

tur, omnium autem instar Bernardus, qui earum semina ingesserat (217).

Sublato ad Beatorum sedes Eugenio Non. Quint. anno 1153. annuus fuit Pontificatus Anastasii IV. (218) Conradi de Suburra, Canonici Regularis, qui effusa liberalitate, Canonicos Regulares Lateranenses, Equites Hierosolymarios, Urbem denique exitiali fame fatigatam complectebatur.

Ad supremum Ecclesiae magisterium evectus est, post Anastasium Hadrianus IV. (219) Huic genus ab Anglia, conditio, ac fortuna inopes, et dura adolescentiae initia, at mira in eo virtutis indoles, animique vis, quae in Gallia a Canonicis Regularibus S. Rufi diligenter excultae sodalem iisdem atque Antistitem probatissimum, praeclarum deinde Pontificem Christianae plebi pepererunt. Hujus fortitudo Arnaldum expugnavit; cum enim factio caedes Romae misceret, Gerardum Cardinalem vulneribus pene confecisset, ultor Pontifex Romam sacrorum interdictione punivit, neque autem exemit

(217) Vid. sup. cit. Pagius pag. 32. et T. III. Par. I. Rer. It. Murator. p. 437.

(218) Anastasius IV., prius Conradus vocatus, patria Romanus, de regione Suburrae; sicuti legitur in Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 86. papatum tenuit an. I. m. IV. d. XXIV. sed in Cat. VI. dicuntur an. II. et in Cat. VIII. an. II. m. IV. d. XXIII. Nos Catalogo S. Pauli assentimur. Vid. Pagius T. III. Brev. pag. 33. et seqq.

(219) Adrianus IV., natione Anglus, teste Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 87. Pontifex sedit an. IV. m. VIII. d. XXIX., juxta vero Cat. VI. an. V. Cat. VII. an. VI. Nos Catalogum S. Pauli sequimur.

quam paenae ac supplicia in scelerum caput, scelerumque ministros verterentur. Neque eum vis Imperatoriae pondus oppressit, impactas enim a militibus Friderici I., cognomine Barbarossae, Londoniensi Episcopo injurias, minitabundus expostulat, vehementer persequitur; de perturbatis Antistitum Longobardorum juribus cum eo contendit, Ravennatensis Ecclesiae thronum Guidoni Ecclesiae Romanae Clerico, quem Caesar efferebat, constanter abnuit; hinc obstrepentes ultro citroque Legati acerbae litterae, aculeata scripta ingentem animorum aestum commovebant, cui mors intervenit Pontificis an. 1159. Quae comites fortitudinis sunt, magnitudo animi, gravitas, patientia, rerum humanarum contemptus, in eo maxime eluxerunt: accessitque ornamentum doctrinae, et quod Cathecheses ad populos Norvegiae, et Sveviae Homilias disertas, librum de Virgine illibata prodiisse a Scriptoribus nonnullis ediscimus (220).

Non Germanici tantummodo illius dissidii, sed et intestini schismatis asperitatem oppetiit (221) Alexander III., Rolandus Bandinellius, patricia Senensium nobilitate, et inter Canonicos Regulares Latera-

(220) Vid. Pagius sup. cit. T. III. Brev. pag. 36. et seqq. et T. XIII. Conc. Labbei col.. 14. et seqq.

(221) Alexander III., ex familia Bandinelli, Senensis, Pontificatum tenuit, quemadmodum constat ex Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 87. an. XXI. m. XI. d. XXII, at ex Cat. VI. an. XXII. ex Cat. VII. an. XXIV. ex Cat. VIII. an. XXI. d. XIX. Nos Catalogum S. Pauli sequimur.

nenses a doctrina quoque nobilis, et praeclarus. Hujus enim non modo personam, sed et pontificium ornatum induit Octavianus Cardinalis S. Caeciliae, inscripto sibi Victoris IV. (222) nomine, ab Impeperatore cui studebat a Cardinalibus, et Proceribus nonnullis, quos in easdem partes adduxerat mutuatus audaciam. Hinc magna inter utriusque fautores decertatio, parataque hinc inde Synodorum suffragia, quae non minus graves quam frequentes Alexandrum communierunt.

Hic vero inimicorum violentiam pertimescens, receptum habuit, eundemque ornatissimum apud Ludovicum VII. Galliarum Regem, et in Concilio Mentepessulano diras Victori ejusque gregalibus paenas iterum est imprecatus. Qui Romae restitutus egit an. 1168. in malorum fontem, et caput Fridericum, cujus ope, atque opera factum fuerat, ut Octaviano extincto, per Guidonem Cremensem, seu Paschalem III. postea per Joannem Abatem Strumensem, eundemque Callistum III., vixerit schisma, atque viguerit. At animum, Divina prorsus virtute subactum, procacemque fastum ad pedes Pontificis, Imperator veniam exorans abjecit Venetiis an. 1177. Ita innumeros praetervecta scopulos fluctibus pene obruta Christi navicula emersit. Otii fructus Alexandro fuit non relaxatio, sed contentio animi, quem totum adjecit Concilio Lateranensi III. (223) quod

(222) Vid. Pagius T. III. Brev. pag. 49.

(223) Vid. ut sup. pag. 107. et T. XIII. Conc. Labbei col. 412.

undecimum Oecumenicum vocatum est ad praecavenda schismata, revincendas haereses, disciplinam reparandam. Apud Indos, Æthiopes, Scotos, Lusitanos honorem Religionis apud Principes Europeos, Christi sepulcro subsidium, et decus asseruit, defensor assiduus Thomae Cantuariensis, qui de Ecclesiae juribus adversus Henricum II. Angliae Regem certabat: ultor crudelissimae illius necis, perempti Praesulis, quem inter Caelites sanctos adnumeravit, amplificator.

Aetatis, consiliique gravitas cum eximio morum candore conjuncta, pacificae Legationes queis de Ecclesia benemeritus fuerat, Hubaldum Allucingolum, patria Lucensem, Ostiensi Episcopatu decoratum in Pontificale munus commendabant, quod eidem Lucio proinde III. tribuebatur, anno Alexandri III. emortuali 1181 (224). Cum autem in magnam Romanorum invidiam ob tuendae Pontificiae ditionis ardorem adductus esset, et intelligeret non eam brevi sedari posse, quae in dies flagrare videbatur, Veronam concessit, ibique colloquia mixta sunt inter Fridericum I. et Lucium (225) de levandis in Asia Christianorum calamitatibus, et de compe-

(224) Vid. vita Alex. III. T. III. Par. I. Rer. Ital. Muratorii pag. 426. et seqq.

(225) Lucius III. Lucensis Ecclesiam gubernavit, testante Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 88. an. IV. m. II. d. XVIII. juxta vero Cat. VII. an. III. sed Cat. VIII. convenit cum citato S. Pauli cui assentimur.

scendo Saladini Aegyptii furore in Palaestinae direptione debacchantis. Naturae satisfecit VII. Cal. Dec. an. 1185. in eadem civitate, datusque est sepulcro in Templo majori (226).

Brevi Pontificatu utebatur post Lucium Urbanus III. (227) gente Crivellia Mediolanensi, electus, et immoratus aliquandiu Veronae, quae urbs tutum a Romanis illis motibus receptum praebebat. Hoc inclitae laudi Urbano datur quod constanter se se gesserit adversus invidam Friderici Augusti cupiditatem, qua patrimonium Comitissae Mathildis, sacras Monialium Leges, et Episcopalia jura violabat, utque haec impune haberet, omnem ad Apostolicam Sedem aditum Episcopis obstruxerat. Verum non tulit id tacitum a Pontifice, qui eum querelis, ac minis insequutus sacrorum demum communione privasset, nisi vindicem severitatem prohibuisset mors, quae Urbanum mortalibus curis liberavit Ferrariae XIII. Cal. Novem. an. 1187 (228).

Crastina electio Urbano subrogavit Gregorium eo nomine VIII. (229) qui et Albertus de Morra

(226) Vid. ejus vita T. III. Par. I. Rer. Ital. Murator. pag. 475.

(227) Urbanus III., de gente Crivellia, Mediolanensis, Pontifex fuit an. I. m. X. d. XXV. juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 88. et Cat. VIII.; juxta autem Cat. VII. an. I. m. . . . d. . . . Nos catalogum S. Pauli sequimur.

(228) Vid. ejus vita T. III. Part. I. Rer. Ital. Murat. pag. 476

(229) Gregorius VIII., Beneventanus. Vixit in Pontificatu, secundum Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 89. m. I. d. XXVII. Cat. VII. m. VIII. Cat. VIII. m. I. d. XXVIII. quem sequimur.

Beneventanus, Ordinem Benedectinum, deinde Cardinalium Collegium ornaverat. Hunc multa animo et cogitatione versantem de Hierosolymitana expeditione, litteris, atque edictis omnes ad paenitentiam inflammantem, quae laetos impetraret eventus, haec atque alia conantem inimica fata post bimestrem Pontificatum corripuerunt Pisis, quo se contulerat, ut concordiam inter Pisanos et Januenses, et quamplurima ex eadem Palaestinis subsidia pararet (230).

Habita Pisis sacra Comitia Moderatorem Ecclesiae VIII. Id. Jan. 1188. jusserunt Paullinum Romanum Antistitem Praenestinorum, Clementem III., (231) cujus duo longe praeclara exstant facta, pax nempe cum Populo Romano constituta, quae obedientiam Pontificiis imperiis, Patriciatus abrogationem, restitutionem Vaticani census polliceretur: conciliatio inter Philippum Augustum, et Henricum II. Angliae Regem, et exinde conciliatae erga s. Expeditionem eorum vires, quae praeterea aliorum Principum et copiarum accessione roboratae sunt. Romae, quo ordinum omnium gratulatione, et laetitia advenerat, e vivis excessit IV. Id. Apr. an. 1191.

(230) Vidd. Pagius T. III. Brev. pag. 133. et T. III. Part. I. Rer. Ital. Murat. pag. 478.

(231) Clemens III. Romanus, in Pontificatu sedit, sicuti narrat Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 89. an. III. m. III. d. VIII. et Cat. VIII. an. III. d. V. Nos catalogo S. Pauli assentimur.

(232). Cui, auctoribus Cardinalibus, suffectus est Hyacinthus de Ursinis, Celestinus III. (233) summa senectute anno videlicet aetatis suae 85., at praesens animo, atque alacris, ad auctoritatem dominae Sedis protegendam. Qua esset fortitudine experti sunt Leopoldus Austriae Dux Richardi Anglici Regis oppressor, severo proinde judicio habitus; Adelphonsus Galleciae Rex, incesto stupro pollutus, et sacris ideo communibus prohibitus (234).

En itaque aevum illud tenebricosum, ut vocant *medium*, in quo magna profecto habenda est gratia Romanis Pontificibus, cum neque clarissimum Catholicae doctrinae, ac veteris sanctimoniae lumen exstingui, neque justitiae vires, legesque perfringi paterentur, sed immani barbariae resistentes, Synodis prope innumeris, Epistolis haud intermissis, elata quoquoversus Apostolica voce exorientes haereses, degenerem Clericorum consuetudinem coercere, et delere omni ope contenderint. Effraeno inde Principum furori (quem non imperia Pontificum, uti calumniantur, sed aeterna Catholicae veritatis auctoritas inflammabat) turbidis motibus capitalibus adversa-

(232) Vid. Pagius sup. cit. pag. 136. et sup. cit. Murat. p. 478.

(233) Caelestinus III. Romanus, Pontificatum rexit, juxta Cat. S. Pauli ap. Marang. pag. 90. an. VI. m. IX. d. IX., et secundum Cat. VIII. an. VI. m. XI. d. VII. Nos Catalogo S. Pauli plane assentimur.

(234) Vid. sup. cit. Pagius T. III. Brev. p. 142. et T. III. Part. I. Rer. Ital. Murat. pag. 479.

riis obnoxii, aerumnarum vi undique pressi arcem tamen, atque praesidium praebuerant quo omnium jura, faedera, leges denique averterentur, quo exsulantes profligataeque literae confugerent: et a quo nostra demum aetas legum scientiarumque luce refulgens, ac se efferens hujusce ignis custodiam et fomitem repetere vel invitissima debeat. Hasce laudes omni aetate commendandas persequutus est, et complexus vir Catholici nominis princeps Innocentius III. Lotharius, summo Signensium Comitum loco ortus, cujus initia (Pontifex enim declarabatur Idib. Januar. an. 1198.) hanc Periodum concludunt (235).

(235) De Innocentio III. in altera periodo.

CAPUT III.

DE CONCILIIS. (236)

§. I.

Constantinopolitanum IV. Oecumenicum VIII. et illius causae.

—

Exhausta Nicolai I., et Hadriani II. erga Photium benignitate, cum neque magis plures habiti Episcoporum conventus apud perpetuum Romanae Ecclesiae hostem valerent, Pontifex optimum fore ratus si vires omnes in eum conferret. Concilium, quod IV. inter Constantinopolitana; VIII. inter Oecumenica censetur, a Basilio Orientalium Imperatore cujus magna auctoritas, magnum pondus, comparandum curavit (237). Legatos, praeterea an. 869. Constantinopolim proficisci jussit, Donatum Ostiensem, Stephanum Nepesinum Episcopos, et Mari-

(236) Synodi post Nicaenam II. usque ad Constantinopolitanam IV. celebratae videri possunt apud Labbeum T. IX. et X. conciliorum.

(237) Ex mandato dumtaxat Hadriani II. R. P. Basilius Aug. Concilium celebrari jussit. Huic enim scribebat Hadrianus epist. apud actionem I. « *Volumus ergo per vestrae pietatis industriam illic* (Constantinopoli) *numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi praesidentes* etc. » ap. Labbeum T. X. Concil. col. 492.

num Romanae Ecclesiae Diaconum, deditque iisdem Libellum, cui ad unum omnes subscribere deberent quotquot ad eum conventum, et ad Synodale suffragium accederent. Eos peramanter excepit Basilius Aug. (238) Romanam omnium parentem ac principem Ecclesiam reveritus, mirumque viguit honoris, officiique certamen, cum neutri eodem vinci paterentur. At (239) quod nemo in du-

(238) Ita inter alia Basilius Aug. Legatos allocutus est: « Quapropter nos cum omnibus Patriarchis, Metropolitis, atque Episcopis censuram sanctae matris nostrae Romanae Ecclesiae per biennium praestolantes propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur et tandem aliquando auctoritate vestri sacri collegii tam pestifera Photianae tergiversationis scandala propellantur, quatenus unitas et tranquillitas optatae diutius, juxta decretum sanctissimi Papae Nicolai, restaurentur. » Haec habet Bibliothecarius in vita Hadriani II. T. I. pag. 433. §. 629. Unde luculentissime evincitur quo honore orientalis Imperator Romanam Ecclesiam prosequeretur, cui vim omnem auctoritatis suae praestabat: hoc sensu *auxiliaria* videlicet non *absoluta* auctoritate ipse *Praeses* illius concilii identidem in actis synodalibus appellatur.

(239) Hujus Synodi Oecumenicae gesta referre operae pretium ducimus, ut auditores nostri uno quasi oculorum ictu videant quid in re gravissima (quae fuit causa Photii) actum sit a potestate laicali, et ab Ecclesia universa.

Concilium Constantinopolitanum IV. Oecumenicum VIII. habitum an. 869. ac 870., convocatum fuit ab Hadriano II. litteris missis Basilio Orientis Imperatori, qui Michaeli successit, ut apud Labbeum Concil. T. X. col. 489. eidem missi sunt uti Pontificis Legati Donatus Ecclesiae Ostiensis, et Stephanus Ecclesiae Nepesinae Episcopi, et Marinus Apostolicae Sedis Diaconus ut loc. cit. col. 493., Actum fuit occasione schismatis Photii, qui invasit Patriarchalem Ecclesiam Constantinopolitanam, ejecto Ignatio legitimo Antistite, pluraque habuit impia conciliabula adversus Ecclesiae doctrinam, et Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham, ac Nicolaum I. R. Pontifi-

bium vocet, praefuit maximus Fidei Magister per

cem, ut ex praefatione Anastasii bibliothecarii, qui concilio interfuit, idemque de graeco in latinum vertit, et ex actis ejusdem Concilii apud Labbeum loc. cit. col. 475. et seq. In eodem habitae sunt decem actiones in quarum I. habita die 5. Octobris lectum est epanagnosticum ab Imperatore missum, cui successere assertiones Vicariorum, et Principum, interrogationes Bahanis, et responsiones Legatorum Romanorum; hinc lecta est Epistola Hadriani ad Basilium quam summis laudibus, gratiarumque actione prosecuti sunt Ignatius Patriarcha, caeteri Episcopi, et Principes, dein altera Epistola Theodosii Episcopi Hierosolymitani ad Ignatium; postea Damianus imperialis Clericus, et interpres magna voce perlegit latine libellum Romanum quod pariter graece fecit Stephanus Diaconus: sequutae sunt definitiones Thomae Antiocheni, et Eliae Hierosolymitani Vicariorum secundum statuta Nicolai Pontificis, demum habitae sunt interrogationes Senatus pro Photio, et responsiones Vicariorum, gratiarumque actiones, quae omnia referuntur a Labbeo T. cit. col. 485. ad 507.

Actio II. habita est Nonis Octobris, in ipsa recepti sunt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi qui lapsi fuerant, lecti illorum libelli paenitentiae, receptaque eorumdem subscriptio in libello Romano, ut loc. cit. a col. 507. ad 514. In tertia sessione quae peracta fuit quinto Idus Octobris lectae sunt epistolae, scilicet Basilii ad Nicolaum Pontificem, Ignatii ad eumdem Pontificem, et Hadriani Papae ad Ignatium ut loc. cit. a col. 514. ad 523. In quarta actione absosoluta tertio Id Octobris, ingressi sunt in Synodum Theophilus, et Zaccharias dudum Episcopi, habita est inter hos, et Romani Pontificis Vicarios super recognitionem Patriarchatus, Photii altercatio, lectae dein fuere duae epistolae Nicolai Pontificis ad Imperatorem Michaelem, et altera ad Photium, dein, cum Teophilus, ac Zaccharias Romanum libellum, etiam si in mendacio deprehensi, facere renuissent, foras missi fuere, ut loc. cit. a col. 523. ad 545. In quinta sessione, quae XIII. Kalendas Novembris habita est apparuit in Synodo Photius, qui interrogatus non respondit, perlectae eidem fuere tres epistolae (de quibus in antecedenti IV. sessione), Nicolai nempe Pontificis ad Michaelem Imperatorem, ac ipsum Photium, nec non et altera per eumdem Nicolaum Photio pariter missa, subsecutae hinc allocutiones, hortationesque tam Heliae Hierosolymitani quam Vicariorum Romanorum,

Legatos; adfuit honorarius arbiter Imperator; affue-

ac Bahanis patricii, quibus tamen nil respondit Photius, ideo dimissus est; loc. cit. a col. 545. ad 552. Octavo Kalendas *Novembris* actionem sextam habuere Patres, in ea Vicariorum Romae Epanagnosticum lectum est, item et epistolae quae prolatae fuere in Sessione IV. postea secuta est allocutio Basilii Imperatoris ad Photianos Episcopos, et cum ipsis disputatio, tandem per Constantinum a secretis lecta est Imperatoris ad Schismaticos admonitio, cui successit altera Romanorum Vicariorum per Theodorum a secretis peracta loc. cit. a col. 552. ad 567. Quarto autem Kalendas Novembris septima sessio celebratur, in hac rursus Photius introductus, baculo innixus, qui eidem, jussu Marini, sublatus est dicens: *Lupus est, et non Pastor*, interrogatus an vellet facere libellum sanctae ac universalis Synodi, Photius arroganter contrarium respondit, novisque interrogationibus propositis in arrogantia sua pertinaciter perseveravit, sicuti et ejus asseclae, obsistentibus exhortationibus, quas ipsis per Bahanem Imperator etiam faciebat, unde post lectam epistolam Nicolai Pontificiis ad Archiepiscopos, Metropolitas, et Episcopos, et Clerum Constantinopolitanae Ecclesiae missam, qua Photium invasorem anathematizavit, nec non Hadriani ad Basilium Imperatorem qua laudatur Imperator ipse, quia Photio dejecto in patriarchatu Ignatium restituit, ac alteram ejusdem Pontificis ad Ignatium super restitutione sua, aliasque duas ipsius Hadriani ad Basilium scilicet, quam tulerunt Legati et in I. sess. propositam, et ad Ignatium alteram, de qua sermo habitus est in sess. III. et post allocutionem primam Hadriani ad concilium contra Photium, ac primam concilii responsionem, item secundam, ac tertiam ejusdem Pontificis allocutionem, ac suggestionem concilii ad summum Pontificem, et quinque ejusdem Papae damnationis decreta, cum subscriptione tam Pontificis, quam Episcoporum, ascendit Archidiaconus, et Notarius Nicetas, et voce magna ad Photium, commonitorio lecto, postulavit ut iterum anathematizetur, et dein Stephanus, lecta acclamatione Ignatii, anathematismum Photii, et sequacium, et cooperatorum ejus, solemnibus verbis formulisque pronunciavit, loc. cit. a col. 567. ad 605.

Nonis vero Novembris octava sessio completur; in hac, igne traditi omnes libri a Photio exacti, cunctaque chirographa concremata, quae adversus Nicolaum Pontificem idem Photius vel conscripserat,

re Ignatius Constantinopolitanorum Patriarcha, tum

vel in conciliabulorum suorum actis extabant, dein interrogati, ac examinati falsi Vicarii, et postquam ex iis Petrus Monachus Apologeticum libellum legerit, aliique suas excusationes fecerint, jussum est, ut anathematizarent Photianos libros, ipsorumque auctores, et postulatu Vicariorum Pontificis lectus est canon Martini Papae de omni falso Vicario qui est XX. Concilii Lateranensis habiti a Martino an. 649. ut ex Tom. VII. Concil. apud Labbeum col. 367.; sequuta hinc allocutio Metrophanis Metropolitae Smyrnae posteaque, insinuatione Imperatoris Basilii actum Theodoro de Crithino Iconomaco, ad quam missus fuerat Bahanes, lectumque caput VI. Nicolai Papae contra Iconomacos. et recepti ad paenitentiam Iconomaci Nicetas Clericus, Theophilus saecularis, et Theopanes tabellio, qui liquido asseruerunt, se fuisse deceptos, et anathematizaverunt haeresim Iconomachorum, ejusque primores; quibus peractis, universa Synodus per Stephanum Diaconum, et Notarium in singulos Iconomachos anathema dixit; loc. cit. a col. 605. ad 615.

Pridie Idus sequentis Februarii, habita nona actione, accessit ad Synodum Vicarius Alexandrinae sedis, qui ostendit Epistolam comendatitiam, quam publice legit Gregorius Notarius, et petitus an sciret, et approbaret anteacta a Synodo, Vicarius scripto annuit. Deinde introducti testes, qui contra Patriarcham Ignatium falsum testimonium jurejurando praebuerant, palinodiam cecinerunt; hinc Stephanus Diaconus, Synodi jussu, epitimium edidit; quibus expletis, allocutionem ex persona Vicariorum Romae Thomas Subdiaconus, et ex persona Sedium Orientalium Stephanus Diaconus legerunt, iterumque examinatis falsis Vicariis, eorumque causa discussa, receptis retractationibus, et anathematibus in Photium, sessio finita est; loc. cit. a col. 615. ad 629.

Feria demum tertia Pridie Kal. Martias decimo congregatur Sancta Synodus, ubi dantur regulae, et leguntur canones in generali hocce concilio statuti, numero septem super viginti In I. canone agitur de custodiendis canonibus Ecclesiae traditis, in II. de conservandis quae a Pontificibus Nicolao, ac Hadriano pro defensione Constantinopolitanae Ecclesiae, ac restitutione Ignatii data sunt decreta, in III. de adorandis ac honorandis imaginibus D. N. Jesu Christi, sanctissimae Virginis, caeterorumque Sanctorum, in IV. statutum, ne Photius uti

qui Orientalium Episcoporum partes agerent, posi-

Episcopus habeatur, neque illi qui in quolibet sacerdotali gradu ab eo consecrati tales sint, in V. ne patriarcha eligatur de laicis nuper tonsis, etiamsi senatoria fruantur dignitate, in VI. de anathemate Photii, falsorumque Vicariorum, in VII. interdicitur anathematizatis pictura sacrarum imaginum, et admissio in actionem doctrinae, in VIII. declaratur, non oportere Constantinopolitanis Patriarchis ad propriam firmitatem, vel stabilitatem chirographa a sacerdotali catalogo exigere, in IX. derogatur vinculo a Photio imposito volentibus vel discere, vel docere, dummodo idonei sint, in X. jubetur subjectio Clericorum Episcopis, Episcoporum Metropolitis, Metropolitanorum Patriarchis, in XI. anathematizantur sentientes, duas animas hominem habere, in XII. prohibetur electio Episcoporum facta per Principum potentiam, in XIII. decernitur, ut in minoribus ordinibus constituti ad majores ascendant, non tamen qui foris sunt, neque inter Clerum magnae Ecclesiae colligantur, qui principum domorum, seu suburbanarum rerum curam gesserint, in XIV. statuitur reverentia, quae Episcopis debetur etiam a strategis aliisque principibus, in XV. interdicitur venditio cimeliorum, vasorum sacratorum, aliarumque rusticarum possessionum, ac datio in emphyteusim salariorum Ecclesiasticorum, excepta causa olim ab antiquis canonibus ordinata, in XVI. definitur, ne quis utatur quibuscumque adinventionibus ad exhonorantiam, et dedecus sacerdotii, in XVII. agitur de potestate Patriarcharum, et Metropolitanorum; in XVIII. rerum Ecclesiarum immunitas, ac inviolabilitas vindicatur, in XIX. prohibetur Archiepiscopis, vel Metropolitanis sub occasione quasi visitationis, ne relinquant propriam Ecclesiam, et ad alias Coepiscoporum, vel Suffraganeorum accedant, eosque per avaritiam expensis, ac damnis gravantes, in XX. definitur non licere Episcopis absque sententia, vel judicio praepositorum regionis loca in emphyteusim collata retrahere, vel recipere, in XXI. praescribitur nemini prorsus mundi potenti, quovis titulo, fas esse inhonorare Patriarchas, et praesertim R. Pontificem primum, hinc Constantinopoleos Patriarcham, deinde Alexandriae, ac Antiochiae, atque Hierosolymorum, in XXII. praecipitur ne ullus laicorum quavis dignitate praeditus se in Ecclesiasticis electionibus audeat immisceri, in XXIII. sancitur, ne quilibet Episcopus aliarum Ecclesiarum possessiones conferat, vel quae in aliorum Episcoporum potestate sunt, usurpet,

tumque III. Non. Oct. an. 870. in inclyto S. Sophiae templo illius Conventus initium, qui insequenti anno est absolutus.

similiter nullus Clericus in aliena Ecclesia sacra mysteria celebret, in XXIV. interdicitur Metropolitis suffraganeis suis Episcopis, officia Metropoleos suae propria committere, in XXV. Episcoporum Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum magnae Ecclesiae, qui ab Methodio, ac Ignatio consecrationem acceperunt, quique tamen Photio adhaeserunt, et Synodi obedire renuerunt, depositio, ac sacerdotalium operationum privatio ordinatur, in XXVI. conceditur jus recurrendi ad judicium majorum, iis qui injuste se damnatos esse a primis inferioribus judicibus putant, et judicandi modus enunciatur, in XXVII. statuitur, ne Episcopus, praeter definita sibi scripto tempora se pallio induat, aut monasticarum vestium schema deponat. Post haec universa Synodo conveniente ab Metrophane Smyrnae Metropolita in superiori, et ab Cypriano Claudiopoleos Metropolita in inferiori Synodi parte in omnium audientiam lectus est ejusdem sanctae, ac universalis Synodi Terminus, in quo anathemata in praecedentibus Synodis jacta una cum praesenti, in Photium, ejusque asseclas, ac Iconomacos reiterata sunt; et habita prius ab Imperatore ad Synodum allocutione, quinque voluminibus hujus S. Synodi gestorum, subscriptum est primum a Donato, Stephano, ac Marino R. P. Vicariis, hinc ab Ignatio Constantinopoleos Patriarcha, Josepho Vicario sedis Alexandrinae, Thoma Metropolita Tyri locumtenente sedis Antiochiae, Helia Vicario sedis Hierosolymorum, dein ab Imperatoribus, ac postremo a caeteris Archiepiscopis, Metropolitis, ac Episcopis. numero 102; loc. cit. a col. 629. ad 668. Synodo ita expleta mittuntur binae epistolae encyclica altera, altera ad Hadrianum R. P.; Imperatores ad Patriarchales sedes de gestibus epistolam miserunt unam, ac ad Pontificem alteram, cui respondit Pontifex; tandem Ignatius Constantinopoleos Patriarcha Hadriano scripsit; ut loc. cit. a col. 668. ad 680.

§. II.

Synodi Actiones.

—

Decem Actionibus Synodus distribuitur, in quarum prima, probatis legationibus, quae ad Conventum datae fuerant, libellus (id postulantibus Apostolicis Legatis) lectus est cui Episcopi omnes, aliique Sacricolae subscriberent: gravissimum sane Pontificiae potestatis documentum, quod haeresum, Ichonomachae praesertim, detestationem, Photii exsecrationem, debitamque Synodis per Nicolaum, et Hadrianum Pontifices congregatis reverentiam (240) juberet, aliaque nonnulla ibidem peracta sunt, queis Romanae Sedis praestantia mirum in modum effulget.

Actio altera insigne paenitentiae tulit exemplum. Ad fores enim plurimi assistebant Episcopi, qui a Methodio, et Ignatio ad Photium defecerant. Admissi veniam supplici libello efflagitant, ducem

(240) Nihil in eo libello praestantius ad Romanae sedis dignitatem. Ajunt enim: « *Sequentes in omnibus Apostolicam sedem . . . speramus, ut in una communione quam Sedes Apostolica praedicat esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas. Promittentes etiam sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, idest non consentientes Sedi Apostolicae eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* » T. X. Concil. Labbei col. 498. Juxta eos Patres non consentire Apostolicae sedi (quae est Romana) et ab Ecclesia Catholica secerni idem prorsus sonabat quod recentiores sectae ediscere debuissent, quae *catholicam*, minime autem Romanam communionem tenere gloriantur.

eundem, atque incentorem haereticorum, malorumque omnium causam, et caput ejurantes, propositisque Pontificiis libellis quam libentissime subscribunt: inde ab Ignatio, cui haec copia ab Apostolicis Vicariis facta est (241), ad paenitentiam recepti, sacrique honoris insignibus restituti sunt.

Clementia hujusmodi, ac misericordia contrarios exitus habuit Actione III; in qua Theodolus, et Nicephorus uterque Metropolita, alter Ancyranus, Nicaenus alter, Libellum Romanum contumaciter respuentes, et ipsi a Synodo rejecti fuere. Recitatae etiam Epistolae Basilii Imp. ad Nicolaum I., et Ignatii ad Hadrianum; Theodorus Cariae Metropolita, qui latrocinalis Synodi Photianae pars magna extiterat, Romani Pontificis judicio permissus (242).

Eadem pertinacia, idem dedecus fuit Zachariae, et Theophili Pseudo-Episcoporum Photio adstipulantium, imo mendacium impudens, (243) cum hominis ordinationem a Nicolao probatam contenderent. Actione IV. fraude, et fallaciis convicti, et a Romano Libello, vel aures praecludentes, jussu Legatorum, expelluntur.

(241) « Enim vero hac Patriarchae Ignatii gloriae labem nullam aspergunt quod non esset illi auctoritas agendi quae vellet: Romanis enim pro Ecclesiastica antiqua traditione judicandi potestatem permittebat. » Ita Nicetas in vita Ignatii ap. Labbeum T. X. col. 739.

(242) Haec ex notis Anastasii Bibl. ad illud Concilium eruuntur.

(243) Lectae siquidem literae Nicolai I. ad Photium, hunc nedum legitime ordinatum assererent, quin potius *invasorem* appellabant, nec Photio tanquam *fratri*, ut Episcopos vocare solet Romanus Pontifex sed *prudentissimo viro*, apud Labb. T. X. Concil. col. 539.

Ad Sessionem V. accitus vel ipse Photius, semel atque iterum rogatus an RR. PP. Nicolai, et Hadriani Constituta reciperet, invido, taciturnoque silentio, Davidem ori suo *custodiam* imponentem, ac Jesum inter convicia, ac contumelias tacentem, se se imitari gloriabatur, fortitudinem equidem, et patientiam per summam audaciam imitatus. Quam cum nec Hierosolymitanae, nec Romanae Ecclesiae Legati (244) clementissimis concionibus contundere potuissent, hominem, cujus pene desperanda salus, dimisere, et de paenitentia commonitum.

Actioni sextae Basilii Augusti majestas, et magnifica oratio Metrophanis Metropolitae Smyrnensis illustre initium fecerunt. Disputatione conlata, Photii causa propugnatores non paucos habuit, queis nullus flagrantior Zacharia Chalcedonensi, Pseudo-Episcopo, cui haud impari contentione obvium se praebuit, omnemque victoriae spem ademit Metrophanes ipse Ecclesiae jura, Romanique Pontificis sententiam strenue vindicans (245). Notabili exi-

(244) Celeberrima haec Bahanes Patricii ad Photium verba: «*Loquere domine Photi quodcumque habes justitiae opus*: *totus mundus hic est ne claudat viscera sua sancta et universalis Synodus*: *quo namque vis ex hoc confugere? Romam? ecce a Roma*: *In Orientem? en ab Oriente hic adsunt*: *Vide ne claudatur janua*: *si isti clauserint nemo est qui aperiat.*» Ap. Labbeum T. X. Concil. col. 551.

(245) Totus in eo fuit Metrophanes, ut argumenta quae validam Photii ordinationem adstruebant, penitus convelleret. Ait non posse Photium detrectare judicium Nicolai I. R. P. ad quem per Legatos et Epistolas causam suam detulerant: potuisse Marcellum Ancyranum, quem Zaccharias objiciebat, a Julio Pont. recipi, et postea damnari

tu concludebatur sessio, pereleganti, ac flexanima Basilii Imperatoris Oratione, qua Schismaticos Antistites ad paenitentiam, cujus ipse humi projectus exemplum praebuisset, non profanis, at sanctissimis verbis hortabatur (246).

Actione VII. in Patrum conventum adductus Photius cum Gregorio, Syracusano quondam Antistite, adducti item Episcopi illius asseclae, hi omnes, cum Legati interrogationibus, oblatoque libello instarent, judicium versutiloquis malitiis declinare studuerunt (247). Quod tamen a Nicolao jamdiu

utrumque *canonice* ob insanae mentis illius mutationes; ac quievisse Africanam Synodum Romanis Decretis de Appiario Presb. licet in Ecclesia dumtaxat Siccensi ob aliquam scandali suspicionem, eum sacris ministrandis prohibuerit. Potuisse alios utrique Nectarium, Ambrosium, et Tharasium, populo suffragante, Episcopatu donari, principe laico minime impellente: quae tamen Photio minime favent indebitae Sedis invasori, imperiali violentia imposito, aliisque sedibus reclamantibus, consecrato praeterea a maechis et aliarium sedium invasoribus, quod Canones vetant, aliaque fortiter persequitur; ap. Labb. T. X. Conc. actione VI. col. 559. et seqq.

(246) En quae maximum Christianae demissionis specimen praebent, Basilii verba: *Si autem omnino hoc confusionem arbitramini, ego cui imperii superposita est corona, forma vobis efficiar hujus optimae humilitatis: ego qui imperitus et insipiens sum, bonum initium ero vestrum, qui sapientes estis et clari scientia . . . ego primus memet super pavimentum projicio, purpuram et diadema parvipendens . .. Neque vereamini pedibus tangere verticem cui superimponitur a Deo donata corona* etc. ap. Labb. ibid. Act. VI. col. 565.

(247) Perpetuum haereticorum et schismaticorum effugium ad canones sacros confugere, quin autem aliquid deinde evincere possint. Ita cum Bahanes Imperatoris nomine Photianos provocasset: « *Est qui adjuvet vos Dicite,* » respondissentque ipsi: « *Canones Sanctorum Apostolorum, et Sanctorum Conciliorum,* » atque eos iterum provocas-

prolatum Romanae Sedis Legatis modo jubentibus, iteratum est adversus Photium, et ad Clerum omnem, qui Romanae obsequeretur Ecclesiae, transmissum: lectae item Epistolae quibus ab Hadriano II. confirmabatur; teterrimae demum contra Photium *invasorem* (ita enim habebant) *tyrannum*, *schismaticum*, *novum Dioscorum*, *novumque Judam*, detestationes conclamatae, maximique Imperatori Christiani nominis vindici, *novo Constantino*, *novo Theodosio* plausus impertiti.

Gravior Imperatoris indignatio erupit Actione VIII., cum igni absumenda mandavit, quae omnia Photius contra Nicolaum scriptis, vel contra Ignatium nefariis decretis consignasset; exempta e contra Petri Monachi nota, qua laborabat, editi in Nicolaum Pontificem Libelli: per Canonem Synodi Romanae sub Martino I. iterum cautum, ne quis corrupta monumenta, testimonia, Epistolas (id Photio valde arridebat) supponere auderet. Deinde judicio objecti Iconomachi, quorum propugnator Chrithinus Imperatoris effigiem veneratus, Jesu Christi tamen et Sanctorum icones adversabatur. Ad Ecclesiae sinum atque complexum revocati sunt, immo ex iis recepti nonnulli, et ab Augusto perhonorifice et familiarissime habiti.

set ut canonem aliquem ad ducerent: « *Dicite qui canon vos adjuvet?* » ipsi ad varia confugerunt, ad dura quibus conquerebantur, imperia sed nihil tamen ex sacris legibus adducere valuerunt. Labb. ibid. Act. VII. col. 567. et seqq.

Adfuit sessioni quae nona censetur, Joseph Archidiaconus Michaelis Alexandrinorum Patriarchae Legatus, reddiditque litteras Saracenorum vi eousque prohibitas, queis Antistes ille cum Ecclesia sua superioribus, octavae Synodi Actis suffragaretur. Deinde citati qui contra Ignatium Patriarcham, subornantibus Photio, et Michaele Aug., falsum dixerant testimonium, modo autem de crimine ingenue confessi canonicas paenas, quas Ignatius ipse mitigandas curavit, susceperunt. Paena quoque iis irrogata est, qui impiae Michaelis Imperatoris libidini servientes, Presbyteros, et Episcopos, sacris ornati vestibus, profani aliunde homines per ludibrium mentiri consueverant.

Actio decima, quae et ultima septem ac viginti protulit Canones disciplinae protegendae quam maxime utiles. Per eos siquidem damnatus omnibus, ac sollemnibus sententiis, sacrisque communibus privatus Photius, dimoti gradu quos impiae societatis praemio indebitis infulis decoraverat, irrita Chirographa quae extorserat, Photianum illud placitum de duplici in homine anima anathemate confictum (248). Nec defuere Canones sanctarum Imaginum cultui asserendo, promovendoque neque amplissima te-

(248) Ita hanc sententiam explicat Synodus: *In tantum impietatis quidam; malorum inventionibus dantes operam devenerunt, ut duas eum* (hominem) *habere animas impudenter dogmatizare, et quibusdam irrationabilibus conatibus per sapientiam, quae stulta facta est, propriam haeresim confirmare pertentent.* . . . . etc. ap. Labb. T. X. Conc. Act. X. coll. 638. 639.

stimonia, Romana haec pervetusta Sedes desideravit (249). Viri autem principes, et optimates, qui sacros honores arbitrio verterent, Ecclesiam bonorum possessione exuerent, molestias sacrorum Antistitibus exhiberent, Pastores, et Clerici demum omnes, lapsa aut aulica consuetudine, vel qui horum personam lusorie agerent octavae Synodi legibus coerciti. Perlectis deinde omnibus, quae in Concilio acta

(249) Luculentissimum Romano Pontifici testimonium praebent PP. cum eum et ante Patriarchas alios, et praecipuo honore colendum statuunt. *Definimus neminem prorsus mundi potentium, quemquam eorum qui patriarchalibus sedibus praesunt inhonorare, aut movere a proprio Throno tentare, sed omni reverentia, et honore dignos judicare; praecipue quidem sanctissimum Papam senioris Romae, deinceps autem Constantinopoleos Patriarcham, deinde vero Alexandriae, ac Antiochiae, atque Hierosolymorum, sed nec alium quemcumque conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romae, ac verba complicare et componere, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum, quod et nuper Photius fecit, et multo ante Dioscorus. Quisquis autem tanta jactantia, et audacia usus fuerit, ut secundum Photium, vel Dioscorum, in scriptis, vel sine scriptis injurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moveat, aequalem et eandem quam illi, condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua saeculi potestate fruens, vel potens pellere tentaverit, praefatum Apostolicae Cathedrae Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quaevis ambiguitas, et controversia, oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quaestione sciscitari, et solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romae Pontifices*; apud Labb. T. X. Conc. Act. X. Can. 21. col. 646. Ibi profecto non modo primus ante alios Antistites Romano Pontifici locus, sed totus fere sermo illius dumtaxat gratia, et Romanae Sedis judicia, cum de aliis sileatur, mirum in modum elata.

fuerant, id honoris Basilio Aug. a Patribus delatum est, ut prior subscriberet, id vero praebuit ille modestiae documentum, ut se se Apostolicis Legatis, et Patriarchis postponeret (250). Epistolae duae a S. Synodo prodierunt, altera quae res in causa Photii gestas Episcopos, ac Fideles per orbem terrarum omnes edoceret (251), altera quae Romani Pontificis confirmationem supplex imploraret (152). Hac ab Hadriano II. impertita, Romana tum Orthodoxa Graecorum Ecclesia Constantinopolitano Concilio IV. Oecumenici VIII. titulum, et honorem adhibuit (253).

(250) Hasce voces, insignis humilitatis specimen, edidit Basilius: « *Tranquillissimum imperium nostrum secutum praecedentes et justissimos Imperatores Constantinum videlicet Magnum, et Theodosium, et Marcianum ac caeteros vult subscribere post subscriptionem omnium Deo amabilium Episcoporum.* » Id tantum admisit, ut Vicariis omnibus subscriberet, quorum primus Donatus Ep. Ostiensis signatur: « *Locum obtinens Domini mei Hadriani Summi Pontificis et universalis Papae*; » ap. Labbeum T. X. Conc. col. 661. act. ultima.

(251) Ap. Labbeum ut sup. col. 668.

(252) Ut sup col. 673.

(253) Hujus concilii auctoritati frustra detrahere conatur Franciscus Fontanius, qui anno 1785 veterem schismaticorum Graeculorum cantilenam renovans in suo opere inscripto: « *Novae eruditorum Deliciae seu veterum opusculorum Collectanea* » edit. Florentiae 1785. typis Petri Allegrini, quibus suam praemisit dissertationem *De Photio novae Romaè Episcopo ejusque Scriptis*: auctoritatem Concilii IV. Constantinopolitani Oecumenici extenuare curavit. Nos quin de legitima convocatione, et praesidentia disseramus cum ex hucusque dictis ea clarissime appareant contra Fontanium, potius ad objecta praecipua confutanda animum nostrum adjicimus. Conqueritur Fontanius de exiguo Episcoporum numero, de coacta subscriptione libello Legatorum R. P., sine qua nemo Episcopus poterat adire concilium. Desiderari, ait, consensum utriusque Ecclesiae Graecae nempe, et Lati-

nae; Graecae, cum constet Nilum Rhodiensem Oecumenicam octavam Synodum appellasse in synoptica narratione conciliorum, quam vita functo Ignatio, Photius ipse Constantinopoli celebravit; Latinae, cum Marcus Ephesinus contra Julianum Cardinalem in Synodo Florentina validissimis argumentis demonstrarit, receptam non fuisse synodum octavam, immo antiquatam a Joanne VIII. R. P. dum ille Photium Constantinopolitanae Sedi restituit, unde Ephesinus ipse testabatur in CP. Ecclesia anathema dictum iis omnibus, quae adversus Ss. Patriarchas Photium, et Ignatium scripta, vel dicta fuerant, quibus non se opposuit Julianus, ut legitur in Sess. VI. Concilii Florentini apud Labbeum Concil. T. XVIII. col. 90. Mittimus quae pro defensione Photii Fontanius ipse deprompsit, satis enim sunt ad haec postrema confutanda, recolere sedis CP. invasionem in eaque pertinaciam, primum extitisse auctorem teterrimi schismatis quo adhuc detinetur Ecclesia Graeca, primumque fuisse qui dubia sparserit de processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio. Cf. Maimbourgus in opere inscripto: *Histoire du Schisme des Grecs*, Paris 1677. Exiguus Episcoporum numerus non officit oecumenicitati, et auctoritati conciliorum, si omnes vocentur, omnibus pateat aditus, et plurimi Synodo adsint, quae in re nostra non desiderantur. Deinde conciliorum auctoritas ex convocatione, praesidentia, ordine in rebus pertractandis, et ex auctoritate sedis Apostolicae desumitur. Tandem nos Fontanium alloquentes Anastasii verbis utimur: « Non te scandalizet subscribentium paucitas, quia dum Photius diu tyrannidem exercuisset et pene omnes a piis decessoribus suis sacratos deposuisse et in loca eorum fautores suos tantummodo provexisset, quorum nullus in hac synodo est receptus, isti soli ex priorum Patriarcharum consecratione superstites sunt inventi. Verum quotquot sub Nicolao et Hadriano summis Pontificibus Episcopi fuerunt, hujus Synodi censui consenserunt; licet haec paucitas gregi illi pro sui justitia comparetur, cui Dominus dicit: *Nolite timere pusillus grex* etc.» Anastasius in scholiis ad acta Conc. VIII. apud Labbeum T. X. col. 662. Ad Legatorum libellum quod spectat, neminem latet, Episcopos CP. Patriarchatus legitime a Methodio, et Ignatio ordinatos, vel fuisse a suis sedibus expulsos in schismate Photiano, et in eorum locum schismaticos viros suffectos, vel turpiter Photiano adhaesisse schismati; atqui in citato libello haereses universae damnabantur, damnabatur Photius, et quae a Romanis Pontificibus Romae contra Photium statuta

§. III.

Concilium Lateranense I. Oecumenicum IX. et illius causae.

—

Serpens (254) ac prodiens plurimas in gentes

fuerant, rata, et valida habebantur. Admittendi igitur erant in concilio Episcopi, quorum cum Ecclesia catholica communio non constaret? Admittendi ne erant tamquam judices, rei? Videat haec Fontanius, qui denegare numquam poterit inauditos condemnatos fuisse. Ridiculum insuper est Graecorum schismaticorum consensum inquirere, ut concilium octavum vim habeat, et auctoritatem; nullum sane concilium, juxta Fontanium, auctoritate polleret, si ab damnatorum consensione penderet auctoritas. Inter schismaticos non infimum tenet locum Nilus Rhodiensis de quo Fontanius, qui revera pro octava oecumenica Synodo habet Photianam, ut videre est T. II. *Bibliothecae Juris Canonici Veteris* ab Gulielmo Voellio et Henrico Justellio editae, Lutetiae Parisiorum 1661. pag. 1158. Nos vero ex Graecis ipsis nostram synodum esse oecumenicam demonstramus; unus sit Nicetas in vita S. Ignatii qui ait: « Actiones omnes et definitos in ea (*syn. VIII.*) canones, perinde ac in aliis septem oecumenicis synodis, ita in hac quoque ut sanctos et a Spiritu Sancto dictatos valde probo admittoque. » Ap. Labb. T. X. col. 735. legatur col. 661. Summae tandem temeritatis est latinam insimulare Ecclesiam quasi VIII. hanc Synodum haud oecumenicam agnoverit in concilio Florentino quod Cardinalis Julianus Marci Ephesini argumentis non satisfecit; quae enim Juliano opponebatur ab Ephesino licet ab Juliano ipso non fuerint confutata, tamen invictissimis argumentis Andreas Rhodiensis in actione VII. impugnavit. Ap. Labb. loc. cit. col. 130. Tandem nihil in synodo Florentina definitum invenimus quoad propositam controversiam.

(254) Concilium Lateranense I. Oecumenicum IX. habitum est auctoritate Callisti II. an. 1123, ut in observat. apud Labbeum Conc. T. XII. col. 1330. quamvis, ut ibidem apparet, Binius Baronium secutus ad an. 1122. illud referat; occasio hujus concilii fuit Henrici IV. Imp. schisma, investiturarum scilicet causa; in hoc concilio sta-

consuetudo qua Principes sacri honoris insignia deferrent, singularem morum innocentiam, et severitatem, quibus Clerici superioribus saeculis inclaruerant, primo quidem depravavit, ac in posterum delere visa est. Inde enim Clericorum studia in palatina, magisquam in Christiana palaestra eniti, petitiones sacri muneris, quaestuosissimaeque mercaturae exerceri caeperunt, et cum onus Angelicis hu-

tuti sunt duo et viginti canones, qui a Labbeo loc. cit. a col. 1333. ad 1337. sequenti ordine referuntur, quos per summa capita cl. auctor noster retulit. In Can. I. prohibentur simoniacae ordinationes, vel promotiones; in Can. II. qui, ut ait idem Labb. loc. cit. in vetust. cod. MS. Monasterii Anianensis, ex quo Balutius ipsos collegit, ordine est VI. statuitur, neminem in Praepositum, Archipresbyterum, et Decanum, nisi Presbyterum posse ordinari, ita in Archidiaconum, nisi Diaconum; in Can. III. interdicuntur Presbyteris, Diaconibus, vel Subdiaconibus concubinarum, et uxorum contubernia, et aliarum mulierum, exceptis iis a Nicaena Synodo contemplatis, cohabitatio; in Can. IV. qui in citato MS. Anian. est VIII., praecipitur, ne laici quicumque disponant de ecclesiasticis rebus; in Can. V. qui in MS. Anian. legitur IX., consanguineornm conjunctiones vetantur; in Can. VI, qui V. est in dicto MS. Burdini, haeretici ordinationes irritae decernuntur; in VII. in MS. autem IV. Archidiaconis, Archipresbyteris, Praepositis, ac Decanis sine judicio, vel consensu Episcopi jubetur, ne alicui curam tribuant animarum, vel Ecclesiae praebendas; in Can. VIII. apud MS. XVII. Beneventana civitas utpote R. Ecclesiae possessio, ne a nemine invadatur praecipitur; in Can. IX secundum MS. II. sancitur, ne excommunicati ab suis Episcopis, ab aliis Episcopis, Abbatibus, et Clericis in communionem recipiantur; in Can. X. qui est III. in MS. cavetur, ne canonice electum in Episcopum quis consecret; Canon XI. in MS. X. agit de protectione iis concessa qui Hierosolymam, vel Hispaniam proficiscuntur ad Christianam gentem defendendam; in Can. XII. qui in MS. deest, removetur consuetudo invadendi bona Porticanorum sine haeredibus morientium, in Can. XIII. qui pariter

meris reverendum ambitiosis audacibus meretriciis saepe etiam artibus mercedi, praemioque fuit, tunc duobus illis, licet diversis, ingentibus tamen vitiis avaritia Clericorum, et luxuria Christianorum societas quammaxime laboravit. "Neque enim signum regni occupare caelestis, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, sed et iniquitas,

in MS. deest, agitur contra frangentes treguam; in Can. XIV. qui est XI. in MS. definitur, ne laici oblationes Ecclesiis factae auferant, item ne Ecclesiae incastellentur; in XV. secundum MS. XIII. cudentes scienter monetam falsam, et studiose expendentes, a fidelium consortio separari jubetur; in XVI. apud MS. XIV. Romipetae, et peregrini sacra visitantes ne molestentur, decernitur; in XVII. qui una cum sequenti respondet XVI. dicti MS., quamvis diversis conceptus verbis, interdicitur Abbatibus, et Monachis publicas paenitentias dare, unctiones facere, aliaque officia; in Can. XVIII. sancitur Presbyteros in Parochiis ab Episcopis esse constituendos, et decimas a laicis absque Episcoporum consensu accipiendas non esse; in Can. XIX. qui cum subsequentibus non inveniuntur in dicto MS. conceditur monasteriis servitium facere Episcopis a Gregorii VII. tempore solitum, prohibetur vero Abbates vel Monachos possessiones habere triennales Ecclesiarum; in Can. XX. prospicitur securitati bonorum, ac personarum Ecclesiae; in Can. XXI. vetantur matrimonia Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis; in Can. XXII. damnantur alienationes in Ravennatensi Exarchatu, et alibi non legitime factae; praeterea confirmata fuit in eodem concilio restitutio investiturarum ab Henrico Imperatore facta, et Pontifex Callistus Imperatori concessit, ut electi Episcopi, et Abbates regni Teutonici, regalia ab imperatore recipiant, exceptis, quae ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; loc. cit. T. XII. Concil. apud Labbeum col. 1338. et 1339. In hoc concilio pariter, ut col. 1340. loc. cit. agitata fuit controversia inter Ecclesiam Pisanam, et Januensem de jure consecrandi Episcopos Corsicanos, ideoque ab ipso Pontifice Callisto paulo post definitivum editum fuit diploma.

luxuria etiam principatus: in quibus et pessima forte appareat intra parietes abominatio, si juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus (*Ezech.* 8.8.) ut in domo Dei videamus horrendum.,, Hanc habes apud Bernardum (*De Convers. ad Cleric. c.* 20.) gravissimam temporum querelam, expressamque illorum imaginem: utramque etiam apud Scriptores alios, eosdemque viros, qui perpetua in Ecclesia Dei doctrinae, et sanctimoniae exempla continuarent. Corruptis Clericis superba, atque ignominiosa Regum, qui corruperant, dominatio ferenda fuit, hique se se insolenter efferre, decumas aerario addicere, bonorum possessionum oppugnare, Apostolicae Sedis jura perfringere, atque ubi petulantissimae resiteretur audaciae, Templorum excidia, orta, perpetrataque bella, mala facinora, et, accedente malorum cumulo, invalescentia interdum ab Ecclesiae aerumnis errorum monstra Christianum populum miserrime conflictabantur. Nec ullum latet quid fortiter egerit, quae invicto prorsus perpessus fuerit animo tot malis occurrens Gregorius VII., quae Victor III., Urbanus II., Paschalis II., egregie praestiterint, adeo ut vigil, quae Pontifices angebat cura, unquam consedisse videretur. Qua cum non minus exerceretur Callistus, illius nominis secundus, ea omnia, quae per plures peculiares Synodos in eam rem decreta fuerant auctoritate, majestateque Oecumenici Concilii sancienda, et roboranda esse anno 1123. edixit. Accedebat ad illius

celebritatem, quod inter Henricum Aug. Ecclesiae juribus eousque infensissimum, et Romanam sedem in Wormatiensi Conventu faedus superiori anno conceptum esset quod solemniter, summaque Christiani orbis laetitia firmaretur.

§. IV.

Synodi Actiones.

Convenere Patres (Episcopi, ut volunt, trecenti) in Lateranas aedes eod. anno 1123. et quia vetus de sacri honoris insignibus contentio omnium animos tenebat, audita est Legatio Henrici V. Imperatoris, et pacta Wormatiae antea inita, in quibus utriusque potestatis vires, ac fines describebantur, Romanae Sedis in sacri honoris collatione auctoritas, et dignitas observabantur, totius Synodi judicio comprobata sunt, atque ita pacales qui turbulentissimi fuerant, inter Imperium, et Ecclesiam dies aliquando tandem constituti. Atque ut gravescentibus in dies malis obsisteretur, eaque facilius opprimi possent, Canones duo supra viginti praecidendae morum corruptelae prodierunt. Ab hisce nempe inhibitum quominus laici res ad Ecclesiam pertinentes pro libito verterent, sacrarum oblationum potirentur, Sacricolas molestiis implicarent, Beneventanam urbem armis aggrederentur; inhibitae Clericis omnibus contubernales faeminae, vel nefario concubitu, vel matrimonio habitae; irritae

ordinationes pretio, vel apud pseudo-Episcopos comparatae, necnon et abalienationes in Ravennatensi Exarchatu factae; cautum praeterea ne quis Sacerdotii exsors, Ecclesiae muneribus fungatur, ne sacris communibus amotus ab alio Episcopo restituatur, ne Episcopus consacretur, qui injuria electus fuerit, ne conjunctiones fiant consanguineorum, et adulterini cudantur nummi, a quibus magna pauperum vexatio, incredibilis perturbatio reipublicae. Iis autem qui Christiani nominis vindices Hierosolymitanum, aut Hispaniense iter susciperent, placabilem Deum, propitium Petri Apostoli numen, fidelium omnium praesidium adfuturum. Haec rata, firmaque habuit Callistus, qui antequam Concilium dimissum pronunciaret, Conradum, Constantiensem olim Antistitem, perspecta vitae sanctimonia, ac miraculorum celebritate, Caelitum albo inseruit (255).

§. V.

Concilium alterum Lateranense, Oecumenicum X. et illius causae.

—

Tres Innocentio II. causae fuere cur Concilium Oecumenicum X. Lateranense II. anno 1138. juberet. Teterrimum enim lacerabat Ecclesiam schisma Petri Leonis, qui Judaeorum soboles, generis ignomi-

(255) Vid. Labb. T. cit. col. 1340.

niam totius vitae sordibus auxit, nihil unquam in facinore, et libidine nefas ducens, quique Innocentio Pontifici se se objiciens, nomine Anacleti II. sibi indito, litteris, nunciis, insidiis, Principum fere omnium animos tentaverat, et bonorum terror, et clades, urbis potitus Innocentium ejecerat. " Quis ille, inclamabat Bernardus, (*Ep.* 126. *ad Episc. Aquitan.*) nisi homo peccati, qui super electum a Catholicis Catholicum, et canonice locum sanctum invasit. . . Invasit inquam, armis, igne, pecunia, etc.,, aliisque pluribus Pseudo-Pontificem persequitur, cum vires omnes in justi defensionem contulisset. Sed et alia perniciosissima incesserat pestis, haeresis videlicet Petri de Brui, ab Arnaldo Brixiensi suscepta, earumque procreatrix, quas Calviniani, et Anabaptistae posteriori aevo effuderunt. Relapsi denique, prostratique Clericorum mores, paenitentialis, ac monasticae disciplinae austeritas ad veteres normas, primaevaque instituta revocari debebant, unde et magna indicendi Concilii necessitas, a quo tot vulnera sananda essent.

§. VI.

Concilii Canones.

—

Celeberrimus (256) frequentissimusque mille

(256) Concilium Lateranense II. Oecumenicum X. ab Innocentio II. ut apud Labbeum Tom. XII. Concil. col. 1498. Romae indictum fuit, et an. 1139. Romae in Lateranensi Ecclesia ab eodem

Patrum Conventus fuit in aede Lateranensi die octava, seu, juxta Pagium, secunda Aprilis anni 1139. Praefuit Innocentius, et grandis praeivit oratio, qua Petrum Leonem flagitiorum omnium, vitiorumque principem, perturbatricem Ecclesiae factionem, raptores sacrorum munerum, horumque omnium conatus et actus, exprobrat, et damnat. Consensere quotquot intererant Patres, neque mitiori judicio

Pontifice habitum. Inter caeteros haereticos damnatus in eo fuit Arnaldus de Brixia, qui sectatus est errores Petri De Bruis haeretice sentientis circa baptismum datum parvulis, circa Ecclesiarum fabricas, circa crucis imaginem, circa oblationem corporis, et sanguinis Domini nostri, circa sacrificia, eleemosynas, et reliqua bona pro defunctis. In hoc pariter concilio rescissa sunt acta Petri Leonis, aliorumque Schismaticorum, vindicatus pariter Clericorum honor, ac erga ipsos reverentia, prohibita quoque militum torneamenta, in quibus caedes hominum, animarumque semper imminet periculum. Conditi fuere in hoc Concilio XXX. Canones qui leguntur apud Labbeum loc. cit. a col. 1499. ad 1506. in horum I. statutum est, ut simoniace ordinatus ab officio omnino cadat; in II. pariter vetitum est, ne quid ob avaritiam sumatur, vel detur pro beneficiis, sacrisque rebus; in III. cavetur ne excommunicatus a suo Episcopo, ab altero in communione recipiatur; in IV. actum est contra eos qui corporalibus superfluitatibus, nimiaeque vestium culturae student; in V. excommunicati sunt diripientes morientium Clericorum bona; in VI. officio, et beneficio privati sunt uxorati, vel concubinarii Subdiaconi, et superiores Clerici; in VII. ne uxuratorum, vel concubinariorum Sacerdotum missa audiatur; in VIII. ut sanctimoniales non nubant; in IX. interdictum est Monachis, ac Canonicis Regularibus temporalis lucri causa, ut discant temporales leges, ac medicinam; in X. prohibitum est laicis decimas, ac Ecclesias retinere, in Archidiaconum, vel Decanum, nisi Diaconum, vel Presbyterum ordinari, conductitiis Presbyteris Ecclesias committere, statutumque est, unamquamque Ecclesiam, cui facultas suppetit, proprium habere Sacerdotem; in XI. consultum est securi-

Brussianorum, Arnaldique errores habiti sunt, queis puerorum baptisma, Christiani Sacerdotii dignitatem, Dominici Sacramenti veritatem, aliasque religiones labefactare conabantur. Hisce damnatorii Canones duo oppositi; octo praeterea supra viginti superioris Concilii aecumenici decreta firmarunt, et vetuerunt quominus morientium Clericorum bona diripere, concubini Sacerdotis Missas audire, pa-

tati Presbyterorum, Clericorum, peregrinorum, aliorumque; in XII. tempora statuta sunt in quibus tregua est custodienda, paenaque sancita contra violatores; in XIII. contra usurarios actum est; in XIV. jussum est ne milites in nundinis, vel feriis decertent; in XV. anathematis vinculo subjicitur qui, suadente diabolo, Clericum percusserit, item et excommunicatur, qui manus miserit in eos qui ad Ecclesiam, vel caemeterium confugerint; in XVI. jussum est, ne quis praesumat haereditario jure Ecclesiasticas praebendas, vel praeposituras sibi vindicare; in XVII. consanguineorum conjugia vetita sunt; in XVIII. contra incendiarios actum; in XIX. paena statuitur Episcopo, qui excommunicatum incendiarium relaxaverit; in XX. concessum est principibus facultatem faciendi justitiam Episcopis consultis; in XXI. Presbyterorum filios a sacri altaris ministerio removendos decretum est, nisi in coenobiis, vel canonicis religiose fuerint conversati; in XXII. de falsa paenitentia peractum est; in XXIII. tamquam haeretici ab Ecclesia expelluntur, qui sacramenta damnant; in XXIV. statuitur, ne ullum venditionis praecium exigatur pro chrismate, oleo sancto, et sepultura; in XXV. sancitur, ne de manu laicorum ullum beneficium Ecclesiasticum accipi possit; in XXVI. prohibitum est sanctimonialibus omnibus in privatis domiciliis inhabitare; in XXVII. similiter sanctimonialibus prohibetur in eodem choro cum Canonicis, vel Monachis psallere; in XXVIII. provisum est Episcoporum electionibus in Ecclesiis vacantibus; in XXIX. anathema dicitur contra ballistariorum, et sagittariorum adversus Christianos, et Catholicos artem exercentes; in XXX. irritae decernuntur ordinationes a Petro Leone, aliisque schismaticis, et haereticis factae.

ctam induciarum fidem violare, pecuniam in faenerationem transferre liceret, paena constituta monialibus, quae nuptias aut privata contubernia percuperent, monacis, queis civilium legum et medicinae peritia lucro esset, militibus qui gladiatorie congredi solerent, necnon et violentis clericorum concussoribus, incendiariis, ementitis paenitentibus, balistariis, et sagittariis christianae plebi permolestis; prospectum denique, ne presbyterorum proles in sacra officia cooptaretur, neque sacramentum ullum pretio exigeretur. Quod in superiori, ita et in hac Synodo, eximiis operibus, ac prodigiis spectata virtus refulsit, caelestes quippe honores B. Sturmio Confessori, ipso Apostolicae vocis praeconio, instituti sunt (257).

§. VII.

Concilium Lateranense III. Oecumenicum autem XI., et illius causae.

—

Iisdem (258), quibus Innocentius II., gravioribus

(257) Ap. Labbeum loc. sup. cit. col. 1511.

(258) Concilium Lateranense III. Oecumenicum XI. ab Alexandro III. an. 1179. habitum est, tercentorum Episcoporum in Laterano, ut ex historia hujus concilii apud Labbeum Tom. XIII. Concil. col. 409. et seq. Causae quibus fuit Pontifex motus ad generale hoc concilium convocandum, videntur fuisse, ut forma aliqua electioni Pontificis apta praescriberetur, ut mores hominum, schismatis causa corrupti conformarentur, ut usura, simonia, aliaque vitia coercerentur, potissimum vero ut damnarentur haereses Catharorum, sive Publicanorum, vel Paterinorum in Aquitania exortae quaeque sese dilatarunt per Vasconiam, Albigensium, Tolosanorumque partes;

fortasse causis Alexander III. permotus fuit, ut Concilium quod XI. inter oecumenica recensetur, datis an. 1178. litteris convocaret. Acerbissimum quippe schisma viginti et amplius annorum spatio continuaverant Victor IV., Paschalis III., Callistus III., et

statuit siquidem in hoc concilio Alexander Pontifex ad futura schismata vitanda, ut non haberetur Pontifex, nisi a duabus Cardinalium partibus electus; rescidit ordinationes a schismaticis Pseudo-Pontificibus Octaviano, Guidone, et Joanne habitas, haereticos anathematizavit, eosque qui ab illorum communione non se separassent; pluraque alia egit Ecclesiae utillima. Hujus concilii extant canones septem, et viginti, ut apud Labbeum loc. cit. a col. 416. ad 432. et quorum summa haec est: In I. statuitur, Pontificem illum habendum, qui a duabus Cardinalium partibus fuerit electus; in II. abolentur ordinationes ab Antipapis factae, irritaeque declarantur schismaticorum invasiones; in III. regulae statuuntur observandae in eligendis ad reginen Ecclesiae; in IV. modus definitur Praelatis apud inferiores hospitandi; in V. ordinatur Episcopis vitae necessaria subministrare Diaconis vel Presbyteris sine titulo ordinatis, donec eis in aliqua Ecclesia convenientia stipendia militiae clericali assignent; in VI. decernitur methodus qua a Praelatis in subjectos judicia, sive sententiae proferri debent; in VII. prohibetur, ne novi census ab Episcopis, vel Abbatibus, aliisve Praelatis imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur; in VIII. statuitur, ne beneficia Ecclesiae, sive Ecclesiastica ministeria tribuantur, vel promittantur nondum vacantia, jubetur autem, infra sex menses vacantia esse conferenda; in IX. agitur de abusu Templariorum, ac Hospitulariorum in exercendis privilegiis suis, de Ecclesiis interdictis, et interdictorum sepulturis; in X. inhibetur, ne Monachus, vel Religiosus aliquis sub pretio recipiatur; in XI. vetatur omnino in sacris ordinibus constitutis mulierculas in domibus habere, et ut a clero removeantur incontinentes contra naturam, decernitur; in XII. Clericis Subdiaconis interdicitur, suscipere saeculares procurationes; in XIII. praefinitur, ne habeantur plures dignitates, et Ecclesiae parochiales; in XIV. idem statuitur, insimul et praescribitur, ne laici in Ecclesiis Clericos, neglecta Episcoporum

Innocentius III., quibus licet extinctis, faeda tamen ubique manebant violatae religionis vestigia, sacri manebant intrusis hominibus male parti, pessumque habiti honores. Neque minus dolendum erat Romanae Ecclesiae de pestilenti errorum colluvie, quam

auctoritate instituant, vel removeant, et ne Presbyteri tales institutiones recipiant; in XV. jubetur ut, sive intestati sive non, Clerici decesserint, bona per Ecclesias acquisita in Ecclesiis debeant manere, item prohibetur ne Decani, pro certa pecuniae quantitate, Episcopalem jurisdictionem exerceant; in XVI. agitur de Ecclesiasticis ordinationibus; in XVII. praecipitur, ut si in plures partes Ecclesiae fundatorum vota se diviserint, ille praeficiatur Ecclesiae, qui majoribus juvatur meritis, et plurimorum assensu eligitur; in XVIII. decernitur, ut in unaquaque Ecclesia cathedrali magister ad pauperes erudiendos constituatur, nec ullum pretium sub quolibet obtentu ab illis petatur, nec Episcopus docere quempiam petita licentia, qui sit idoneus interdicat; in XIX. inhibetur Consulibus vel aliis civitatum Rectoribus onera Ecclesiis imponere; in XX. torneamenta abolentur; in XXI. treguarum tempora statuuntur, paenaeque adversus treguarum fractores; in XXII. securitati Presbyterorum, Monachorum, Peregrinorum, aliorumque consulitur; in XXIII. constituitur, ut leprosi habeant proprias Ecclesias, ac caemeteria; XXIV. inhibetur, ne Saracenis christiani serviant, aut arma ad Christianos impugnandos eis subministrent, et excommunicantur qui Christianos honestis causis navigio vectos vel capiunt, vel expoliant, naufragorumque bona capiunt; in XXV. usurarii manifesti ab altaris communione repelluntur; in XXVI. ordinatur, ne Saraceni Christiana mancipia quovis titulo in domibus suis habeant, vetatur Christianis cum Saracenis habitare, statuitur Christianorum testimonium adversus Judaeos esse recipiendum, Judaeosque ad Christianam fidem conversos a possessionibus suis nullatenus excludendos; in XXVII. paenae contra haereticos, scilicet Catharos, Paterinos Publicanos, aliosque, eorumque defensores, vel receptores, nec non contra Barbantiones, Aragonenses, Navarios, aliosque immanitates in Christianis exercentes infliguntur ac dominicum sepulcrum visitantium securitati prospicitur.

contra illius principatum, Sacramenta, variasque divini cultus rationes, et attulerant Valdenses, ex auctore Petro Waldo, qui et Arnaldistae, Esperoistae, Lollardi ex signiferis, ita nuncupati, Picardi, Albigenses, et Bohemi e pollutis per haeresim deformatisque provinciis; alia etiam nomina cum variis morum speciebus induentes; horum crebri in Catholicorum fines incursus, populationes teterrimae, saeva templorum incendia, instauratae, et inhexaustae caedes. Ac vitiosa rursus, corruptaque morum consuetudo emendanda erat, simoniaca praesertim labes eluenda, quam admotae tot Pontificum, et Conciliorum curae abstergere nondum potuerant. Avaritia in rapinis, in judiciis corruptela, et oppressio, in flagitiis luxuries, hae domesticae insidiae, haec intestina scelera, quae Ecclesiam, schismaticorum perfidia, et haereticorum pravitate, convulsam labefactabant.

§. VIII.

Concilii Canones.

Cum in Lateranensi Basilica trecenti convenissent Episcopi initium generali Synodo factum est III. Non. Martias an. 1179., praeside Alexandro III., vocataque in disputationem, et deliberationem ea omnia, quibus Ecclesiae tranquillitati, ac fidelium saluti consuleretur. Et cum de iis ageretur, quae non recens exorta, sed inveterata erant, firmavit roboravitque Synodus Canones per superiora concilia, tum

Principum arrogantiae, et ausibus, tum Clericorum fastui, incontinentiae, foeneribus, incestisque studiis, quibus ad profanas procurationes, vel ad plura simul munera, et regimina contenderent. Eligendi quoque Romani Pontificis rationem explicarunt, eumque hoc nomine, ac munere dignum voluerunt, cui duae electorum partes suffragarentur; nec silentio praetermitti passi sunt quae revera in sacris honoribus deferendis saepe ommittebantur, aetatis nempe, virtutis, doctrinaeque commendatio. Cautum praeterea ne Episcoporum hospitia subditis incommoda, ne judicia praepropera essent, et ne quis in monasterium pretio exciperetur, excommunicationis paena proposita opitulatoribus Saracenorum, aut qui piratas adversus Christianos agerent, aut qui Judaeis famularentur. Obviam Templariis fratribus et Hospitalariis a Concilio itum est, qui privilegiis abutentes, decimas oblationes sibi vindicabant, facultatemque simul donandi sacramentis, et sepultura interdictos, aliaque insolenter, ac superbe contra Ecclesiae disciplinas admiserant. Quae demum consecrationes a Pseudo-Pontificibus factae essent, omnino irritae, quae bona arripuissent, postliminio restituenda; Albigenses haeretici, eorumque asseclae, et satellites sacris communibus amoti; debellatores autem perditissimae factionis noxis expiati. Haec septem Canones supra viginti.

CAPUT IV.

de Doctrina Fidei.

§. I.

De Spiritus Sancti Processione.

De Spiritus Sancti Processione, eaque controversia, an a solo Patre, an a Filio quoque originem ceperit, quidquam Theodoretus (259) jam olim Cyrillo succensere visus fuerat. Suscitatum postea ignem, qui longo temporis spatio obrutus fuerat, Gentiliacensis Conventus ad Lutetiam, Pipino Francorum Rege, habitus, satis ostendit. Idem etiam liquet e Concilio Aquisgranensi, quod anno 809. coram Carolo Magno celebratum est, Spiritus Sancti processione in disceptationem, quaestionemque vocata a Joanne Monacho Hierosolymitano, qui Monachos nonnullos Latinos Montis-Oliveti profitentes, Spiritum a Patre et Filio procedentem haereseos insimulaverat. Misit autem Carolus Legatos ad Leonem III. qui Pontifex summus Ecclesiae praeerat; actumque est Romae de additione vocis « *Filioque* » cum jam in

(259) Id effutiit Theodoretus abreptus contentionis aestu in Cyrillum; Confut. XII. in hujus Capitula.

Missis inter Gallos decantari caepisset. Quam primo omnittendam existimavit Leo, deinde, Orientalium obsistente nemine, comprobavit. Porro fallacissime venditat Photius, Leonem Magnum ac Tertium, tamquam impugnatores hujusce Processionis, quae potius in utriusque Litteris commendatur.

§. II.

Photii sententia in hoc dogma.

Nullus sane in Catholicum dogma invectus est Photio vehementius, qui cum abrogatum sibi a Nicolao I. intelligeret Pontificalem honorem quo Ignatium dejecerat, excanduit contumeliosissimis verbis in Apostolicam Sedem, excanduit in Catholicam veritatem, furialibus ad Orientales Patriarchas Litteris, emissoque in Latinos Tractatu, quo eorum dogma, eorumque mores perstringeret. Hinc commissum bellum vel alienis etiam praesidiis confirmaturus Michaeli et Basilio Augg. suadet, decernant de Fide, et Latinorum doctrinam, quae Spiritus Sancti a Filio Processionem tradit, omnino deleant. Neque tamen hostili quantumvis odio in nostros conversus additionem Symbolo factam objecit, quam id temporis Romana Ecclesia minime susceperat, ideoque non de violata Ephesina Synodo, sed de solo Processionis dogmate calumnias suas Photius instruxit (260).

(260) Nondum in hunc Photii errorem egimus. Oppugnat ipse,

ita vivam, S. Litteras, quae *Spiritum veritatis*, qui *de meo* (Christo) *accipiet* (Jo. XVI.) *et Spiritum Filii* (Rom. VIII. et Gal. IV.) non obscure innuunt. Contrarios habet Athanasium variis in locis, et praesertim Orat. IV. adv. Arian. S. Basilium ita (cont. Eun. L. III.) disertissime ajentem: « *Cur enim necesse est si dignitate, ac ordine tertius est Spiritus natura quoque eum esse tertium? dignitate quidem secundum esse a Filio tradit fortasse pietatis sermo: at natura tertia uti neque ex sanctis Scripturis edocti sumus, neque ex prius dictis ulla consecutione colligi potest. Quemadmodum enim Filius ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est: dignitate vero quoniam origo ejus est, et causa ea re quod ipsius est, Pater, et quoniam per ipsum accessus aditusque est ad Deum, et Patrem non autem natura secundus, quoniam Deitas in utroque una est: ita profecto et Spiritus Sanctus etsi tum ordine, tum dignitate secundus a Filio est, ut tandem hoc etiam concedamus, tamen non jure sequi, ut sit alienae naturae hinc patet*;» pag. 272. lib. 3. adv. Eunomium T. I. opp. edit. maurinae Parisiis 1721. quamvis hunc locum, quo nullus pro re nostra major dari potest, Graeci delere conati fuerint, et gravissima de eo extiterit controversia in Florentino Concilio inter M. Ephesium et Joannem insignem Ordinis Dominiciani Theologum, ut videre est ap. Labb. T. XVIII. Concil. Idem sentit S. Greg. Nyss. docens, Spiritum Sanctum ab aliis duabus Personis solo ordine differre, qui ordo non alius sit quam originis et processionis (vid. oratio I. contra Eunomium pag. 1-71. edit. Paris. 1615.); idem clarissime S. Epiphan. Haer. LXII pag. 513. edit. Colonien. 1682. Didymus L. II. de Trinit. pag. 112-309. edit. cl. Mingarelli Can. Reg. Bonon. 1769. Cyrillus Alexandrinus asserens lib. de *Recta Fide*, Spiritum Sanctum a Filio procedere pariter ac Filium a Patre, aeterna proinde, ac substantiali missione quae eadem persequitur respondens ad Orientales ad Nestorium. (Cff. loca Cyrilli Alexandrini adv. Julian. pagg. 98. 146. 264. 270., interpretibus Nicolao Borbosio, et Joanne Auberto, ext. T. II. opp. Juliani, Lipsiae edit. an. 1696.) Comm. in Jo. et S. Jo. Damasc. L. I. de Fid. Ort., pag. 140. edit. Le Quien Paris. 1712. T. I. opp., quibus aliisque Graecis PP. consentiunt unanimi sententiae Latini Hilarius L. II. de Trin. in cujus sententia Spiritus Sanctus « *de Patre et Filio Auctoribus confitendus est* » pag. 802. edit. Maurinae Paris. 1793. S. Ambros. qui ait: « *Spiritus Sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre et Filio* » in tractatu de symb.

§. III.

Particula *Filioque* Symbolo addita, et quam Graecis invisa.

Prostratis Photii viribus, pax mansit utrique Ecclesiae usque ad Michaelem Caerularium (261) licet eam interturbare Sisinus, et Sergius, ambo Constantinopolitani Patriarchae, conati fuerint. Cum interim Romana Ecclesia additionem vocis «*Filioque*» apud varias Ecclesias receptae admisisset, erupit jamdiu conceptum in Apostolicam Sedem Graecorum odium, perfectumque schisma, quod Caerularius in Constantinopolitanam Sedem invadens conflaverat; hoc autem, ut Graeci jactant, offensionis, invidiae-

cap. 3. col. 89. edit. Paris. 1661. T. IV. opp., et S. August. L. XV. de Trin. C.17. cum Spiritus Sancti a Patre processionem innuisset, haec subdit: «*Ideo addidi, principaliter, quia et de Filio Spiritus Sanctus procedere reperitur*», item S. Leo M. Serm. II. de Pentecoste col. 301. T. I. opp. edit. Ballerinianae Venet. 1753. S. Fulgent. Lib. de Fide ad Petrum Diaconum, ext. in appendice T. VI. opp. S. Augustini pag. 19. edit. Paris. Maurinae 1685. S. Anselmus in Monologio pag. 22. et L. de Process. Sp. S. cont. Graec. pag. 49. edit. Maurinae Paris. 1721. Concilia denique Toletana praesertim multa huic veritati testimonium reddidere (vid. T. III. Concil. Hispaniae per Josephum de Aguirre p. 24. edit. Romanae 1753. Cff. etiam SS. Patres Toletani T. III. pag. 325. edit. Matriti 1793.); unde nil majus desiderari potest ad revincendam insaniam Photii, qui processionem Sp. Sancti a Filio, et sacris Litteris et SS. Patribus repugnantem dicere non dubitavit. Qui Photii objectiones expendere velit, adeat Natal. Alex. in Hist. Eccl. Saec. IX. et X. Diss. 18. T. VI. opp. edit. Lucae 1751. pag. 501., et T. XVIII. Concil. Labbei.

(261) Vid. Nat. Alex. T. VII. *H. E.* p. 72. edit. Lucae 1751.

que caput, ut interpolatum nempe a nostris additione unius vocis Symbolum, et communis Christianae Fidei tessera corrupta, violataque sit. Latinos enim in Ephesinam Synodum, (tertia haec inter oecumenicas recensetur) turpiter peccasse conclamat, quae cum adversus Fidei expositionem a Charisio Philadelphiae Presbytero oblatam ita constituisset: "*Alteram Fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a SS. Patribus qui in Nicaea Spiritu S. congregati fuerant* (262) „ omnem utique additionibus viam obstruat.

§. IV.

Jure utique vox eadem Symbolo addita.

—

At falso de Romanis Pontificibus conqueruntur. Hi namque Occidentalium Ecclesiarum consensu, concentuque prolatam vocem denique admisere, non quae Expositionem Fidei aut vitiaret aut verteret;

(262) Apud Labbeum T. III. Concil. col. 1219. Haec illius judicii occasio. Prolata est a Charisio Presb. expositio Fidei quorumdam discipulorum Nestorii, cui propriam ipse opposuit, in qua non nulla erant, quae in Symbolis Nicaeno et Constantinopolitano minime haberentur. e. gr. « *Et in Spiritum S. consubstantialem Patri et Filio* ». Cum itaque et de Charisii fide, et de Nestoriano Symbolo Synodus cognovisset, ita decrevit: « *Nemini liceat proferre, aut docere alteram fidem etc.* » damnavitque Nestoriani Symboli defensores, nulla facta Charisii, et illius confessionis mentione, quam expresse rejecisset profecto, si Nicaeni et Constantinopolitani Symboli verba dumtaxat, et nulla deinde alia suscepisset. Cf. citatus Labbeus T. III. col. 1203. et seqq.

sed ipsam, ita Maximus Martyr, (*Maxim. ap. Joseph. Lib. pro Conc. Florent. pag.* 986.) Chalcedonense Concilium defendens, rem quoque nostram optime tuetur) ut *primam et unicam* . . . sancitam, firmam *et ratam esse voluerunt*, *explicantes eam ac veluti apertius explanantes propter eos*, *qui illam*, *ejusque dogma pravis interpretationibus ad suam detorquent impietatem.* Neque ullo Ecclesiae, adeoque Synodi tertiae decreto additiones aeque omnes repudiantur, sed quae inimicam dumtaxat Ecclesiae novitatem, et falsitatem subolere videntur (263). Ubi vero ena-

(263) Triplex censeri solet additio. Prima additio erroris, quam haeretica adstruit pravitas. Secunda, quae temeritate invehitur, cum sermo alienus a communi Ecclesiae loquendi modo admittitur; tertia demum Catholicae pietatis, quae fidei doctrinam uberius explicet. Vox *ex Filio* neque contraria, neque absona, Fidei symbolo potius convenit; solam vero adjectionem fidei oppositam Ephesini PP. (si eorum mentem plane assequamur) vetuisse dicendi sunt, qui actione illius Concilii prima exponendam jubent Nicaenorum PP. fidem, ut suscipiantur (ita enim ajunt) quae cum ea conveniunt, quae vero discrepant, rejiciantur. Unde cum loquuntur de *altera* Fide contrariam Catholicae veritati et repugnantem intelligunt. Neque aliter sensit Chalcedonensis Synodus contra Dioscorum, qui Ephesinos Patres allegans verba illa, quibus Christus contra Eutychem dicitur *ex duabus et in duabus naturis*, tamquam Nicaenae Fidei violationem respuebat. Instat Ratramnus Mon. Corbejensis L. II. cont. *Graecorum opposita*, et objicit Graecis verba Nicaeni Symboli « *Credimus in Sp. Sanctum* , » eosque neget ut processionem a Patre, quae in eo Symbolo desideratur et a Graecis recipitur, si sibimetipsis constare velint, expungant, atque egregie in eodem praeterea argumento versatur. Hugo Etherianus deinde agens de Haeresibus, quas Graeci in Latinos torquent Lib. III. potuisse, affirmat, Constantinopolitanam Synodum Nicaena adjicere « *In Spiritum Dominum et vivificantem*; » potuisse utique Chalcedonensem Synodum Constantinopolitanae addere « *Consubstantialem Patri secun-*

tus recens in Ecclesia error, aut vetus et patrius ab haeretico viro depellitur, non usu detrita Fidei formula, sed amplior alia, quae novitiam vel insitam homini pravitatem damnet, est sedulo exhibenda. Quamobrem Novatiani, Nicaena Synodo ita decernente, non ea fidei confessione recipiendi erant, quae nihil, praeter Symbolum Apostolorum haberet, sed alia potius ad Novatianorum errores arguendos composita. Illudque maxime licere putandum est, aliquid ad formulam Fidei adjicere, cum auctoritas irrecusabilis adsit, oecumenici nempe Concilii, vel Romani Pontificis, compluribus praeterea Ecclesiis in eam rem conspirantibus; quod additioni hujusce vocis in Hispania, Gallia, et Germania jamdiu receptae suffragatur. Neque laude caret prudens, qua usi sunt Romani Pontifices aeconomia, in additione ejusmodi, quippe qui Latinis undique eam concla-

dum Divinitatem: consubstantialem nobis secundum humanitatem »; atque nihil idcirco criminis in Romanam Ecclesiam immitti debere si ad haereticorum fraudes praecavendas hanc additionem, quae veterem Fidem explicet, non destruat, sequi voluerit, cum ad eam pertineat fratres confirmare. Denique aut fatendum est, omnia jam primitus ita Fidei confessioni inserta fuisse, ut nihil posterioribus Conciliis de Fide asserere licuerit, aut Ecclesiam initio constituere potuisse, et nonnulla addere, nonnulla auferre, et hac deinceps potestate destitutam fuisse. At si primum: tunc Concilia minime de Fide decrevissent, quae tamen urgentes haereticos propellendo maximo Christianae veritati usui fuerunt. Si alterum: non eadem semper erit vis Ecclesiasticae auctoritatis, quae omnem altitudinem sese adversus eam extollentem, validioribus, ubi opus fuerit armis, prosternere debet. Vid. sup. cit. diss. 18. Nat. ab Alex. T. VI. *H. E.* edit. cit.

mantibus benigne annuerint, aversantes autem Graecos nullo decreto obstrinxerit: hisce vero tam scite sapienterque habitis detestanda Graeculorum invidia contumeliis, ac probris, objectaque perpetuo violatae fidei calumnia respondet.

§. V.

De Reali Praesentia Christi in Eucharistia.

Paschasius Radbertus Corbejensis Monasterii alumnus, innocentiae, doctrinaeque existimatione praeditus (264), Catholicae Ecclesiae fidem, edito an. 831. De Corpore et Sanguine Domini libro expressit (265) ut Saxones, qui recens ad Apostolicam Ecclesiam adducti in Corbejensi Monasterio educabantur, eundem sensum facilius perciperent. Curam autem totam eruditionemque in id intendit, ut verum Christi Corpus et Sanguinem, nullumque aliud quam quod fuerat e Virgine Maria natum, edoceret, nihil praeterea e panis et vini substantia, prolata consecratione, superesse (266). Haec qui non omnino probet,

(264) Hujus vitae integritatem nemo non fatetur, quae spectabili animi demissione firmabatur. Cum enim eximiis laudibus floreret, atque praeclaris discipulis, tamen a Sacerdotio suscipiendo se se excusavit se se *Monachorum omnium peripsema* appellans.

(265) Pag. 1551. opp. edit. Lutetiae Parisiorum 1618 De quo egit etiam in Commentariis in Evangelium Matthaei, etc.

(266) « *Nullus* (en ipsius verba C. I. illius operis) *moveatur de hoc Corpore Christi et Sanguine, quod in Mysterio vera sit caro, et verus sit Sanguis: dum sic ille voluit qui creavit. Omnia enim*

impio deteriorem pronunciat (267), et tam luculenter firmiterque suadet, ut illius vim atque impetum Lutherani et Calvinistae fraudolenter declinare, quam aperte subire maluerint. Verum quia varia et insueta loquendi ratio ipsius rei novitatem saepe videtur inferre, et nullus tam explicate, iis temporibus, tam diserte vehementerque ea dixerat, quae incuriosa vetustatis aetas a SS. Patrum testimoniis iisdemque apertissimis minime requirebat; hinc factum est, ut inter Catholicos, quorum nemo, Christum in Eucharistiae Sacramento praesentem non reverebatur, quidam novitatem aut insolentiam suspicati sint, qui dam praeterea nec indocti nec ince-

quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra. Et quia voluit, licet in figura panis et vini haec sic esse, omnino nihil aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa Veritas ad discipulos: Haec, *inquit*, caro mea est pro mundi vita. *Et ut mirabilius loquar, non alia plane quam quae nata est de Maria, et passa in cruce et resurrexit de sepulcro, haec, inquam, ipsa est, et ideo Christi caro est, quae pro mundi vita adhuc hodie offertur. Et cum digne percipitur, vita utique in nobis aeterna reparatur.* » Col. 1555. edit. sup. cit. . . . . *Si Deus veritas est, quidquid Christus promisit in hoc Mysterio, utique verum est: et ideo vera est Christi caro, et sanguis quam qui manducat digne habet vitam aeternam in se manentem* etc. col. 1557. ejusd. cap. I.

(267) « *Sic utique*, inquit, *et in eo quod semel voluit, et deinceps Carnem et Sanguinem in hac commemoratione jussit esse, fit quod jubetur. Quae si quis non credit, impio deterior est: quia ille quod non didicit approbare non potest: iste quod in multis cognovit contra naturam fieri, etiam in carne Christi non credidit.* Cap. XII. col. 1589. Hanc rursus sanctorum PP. fidem ac Apostolorum fuisse demonstrat in ep. ad Frudegardum; ext. col. 1625-1636. edit. cit.

lebres alienum a SS. Patrum, Augustini praesertim et Hieronymi, locutionibus Paschasium data opera redarguerint, Rabbanus, Maurus scilicet et Ratramnus, aliique fortasse, quorum numerum Novatores ipsi inique augent.

§. VI.

Hujusce Controversiae status.

—

Illud sane pro certo haberi debet, Paschasii impugnatores ab illius quidem verbis, minime vero a sensu abfuisse. Corpus Christi naturale et Eucharisticum idem omnino esse, et idem dici voluit Paschasius, ne ulla haereticis quidem calumniandi, novitiis autem atque imbecillibus Christianis errandi occasio subreperet; immo se se magis, magisque aperiens Frudegardo praecipit (268), ne de triplici Christi corpore inepte sentiat. Arridebat aliis e contra distinctio illa Hieronymi, et Augustini, qua alter dupliciter, alter tripliciter Corpus Christi intellexere (269), prout longe alius est modus, alia species naturalis a Sacramentali statu, ut habet Hieronymus, (*in Ep. ad Ephes.* (270)) cui minime repugnat Augustinus, dum Ecclesiam tertium Christi Corporis modum appellavit (271).

(268) Vid. ut sup.

(269) Cf. Algerus in libro de Sacramento Corporis et Sanguinis Dominici lib. I. c. XVII. pag. 269. T. XXI. Biblioth. Patrum Lugd. 1677.

(270) Vid. ut sup.

(271) Ap. cit. Algerum ut sup. « *Quam suam duplicitatem*

§. VII.

Joannis Scoti sententia de Eucharistia damnatur.

—

Neque cum Ecclesiae doctrina, neque inter sepsos, si rem inspicias, pugnantes deprehenduntur Paschasius, Rabanus, Ratramnus, aliique de eo dogmate hac aetate Scriptores, quorum existimationem ab audacissimis Calvinistarum ministrorum calumniis scripta ipsa gloriosissime vindicant. At non eadem integritas non eadem plane fides Joanni Scoto Erigenae, cujus Liber de Corpore et Sanguine Domini, rogante Carolo Calvo, confectus non verum Corpus et Sanguinem, memoriam illius tantummodo in altaris sacramento esse colendam edocet. Qua in re Berengario, aliisque haereticis praelusisse dubitet nemo cum extent Berengarii ipsius laudes Scoto ejusque doctrinae; extent querimoniae in eos, qui eundem damnarent. Id data opera praestitere Hincmarus, Robertus, aliique, praestitit coacta an-

(inquit Algerus lib. 1. ut sup. pag. et cap. cit.) *ipse Christus ostendit cum ipse in humana forma praesens seipsum in Sacramento discipulis exhibuit. Hanc duplicitatem non substantiae sed formae, Sancti notaverunt, quoties de corpore Christi ipsum, usu ipsum dixerunt: ut ipsum secundum substantiam, non ipsum sit secundum formam*; » eamdem igitur utrobique absolute et simpliciter carnem Paschasius urgebat: adversarii autem distincte explicabant, eandem scilicet *quoad naturam* diversam *in specie*: quae diversa loquendi ratio nullimode alienum sensum inducit, ut Haereticis placet, in Eucharistiae fide.

no 1050. Synodus Vercellensis (272). Quin et Berengarius ipse in Romana Synodo an. 1059. (273) haeresim repudians (274), librum Johannis Scoti, quem summis ornarat laudibus, interpretem SS. Patrum optimum praedicaverat, flammis immittere, Patrum auctoritate, veritatis ipsius imperio jussus est.

(272) Cf. Labbeus T. XI. Concil. col. 1431.

(273) Ap. Labbeum T. XII. col. 43.

(274) En Berengarii jusjurandum: « Ego Berengarius indignus Diaconus Ecclesiae Sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram et Apostolicam fidem anathematizo omnem haeresim: praecipue de qua hactenus infamatus sum: quae astruere conatur, panem et vinum quae in altari ponuntur post consecrationem, solummodo sacramentum, et non verum corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse; nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem Sanctae Romanae Ecclesiae, et Apostolicae Sedi, et ore et corde profiteor de Sacramento Dominicae Mensae eam fidem me tenere, quam dominus, et venerabilis Papa Nicolaus, et haec Sancta Synodus auctoritate Evangelica, et Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem, et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum Corpus, et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: et sensualiter, non solum Sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, et frangi, et fidelium dentibus atteri: jurans per sanctam, et homousion Trinitatem, et per haec sacrosancta Christi Evangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, et sectatoribus suis, aeterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra haec sentire, ac praedicare praesumpsero: subjaceam canonum severitati. Lecto, et perlecto sponte subscripsit » Apud Labbeum ut sup. col. 46.

§. VIII.

Perpetua de Eucharistiae Sacramento Ecclesiae Fides.

—

Magnum profecto et impudens mendacium conflarunt Calviniani, ut ajunt, Ministri, qui inexploratam apud veterem Ecclesiam veri Christi Corporis, et Sanguinis fidem, saeculo dumtaxat nono exeunte susceptam, in universitatem omnem dimanasse fabulantur. Quid autem non historiae monumentis tantum, sed rationi ipsi magis contrarium effingi aut excogitari poterat? Nihil ne fuit negotii e Patrum fide discedere, et quam longissime discedere, ut totus orbis, qui novem saeculorum spatio, Christi Corpus in Caelo dumtaxat vereretur, ad idem in panis ac vini specie recolendum traduci posset. Ita ne humanae rationi impervia, humanis sensibus adversa, absque praeclaris praeconiis, absque litterarum, et prodigialium operum commendatione obtrudi possint? alto praesertim Sacricolarum, virorum Principum silentio, eorumque omnium qui virtute ac sanctimonia praestant quos sane plurimos saeculo decimo floruisse nullus inficiabitur? Nonne hoc habet rerum gravissimarum novitas, ut mentes omnium percellat, incendat animos, disceptationes ac concertationes provocet, scripta utrinque innumera excitet? quae omnia in Lutheranis revera et Calvinianis novitatibus, minime vero Paschasii temporibus exarsere.

Porro quae supersunt illius aetatis monumenta ea omnia non aliam Ecclesiae de hoc dogmate fidem testantur, quam quae postea viguit, et nunc etiam viget. Id loquebantur auctores non pauci vel in miras de hoc divinae bonitatis pignore laudes effusi, et contra incestos Sacricolas profanosque obtrectatores invecti; id consentiebant cum Romana, tum Graeca, tum Anglica, aliaeque Occidentales Ecclesiae, adeo ut sacri earum Codices, ac Sacramentales libelli nullum dubitationi locum omnino relinquant; id demum ineluctabiliter confirmat Ecclesia, quae *realis Praesentiae* hostes, errantes a fide, perduelles ac perditos, iis, de quibus sermo est, temporibus declaravit. Hinc historiam leviter attingenti occurrunt ac lucent Concilia, Aurelianense (275) scilicet anno decimo et septimo supra millesimum, in haereticos quosdam hujusce dogmatis impugnatores, Romanum sub Leone IX. (276), et quae multa satis superque in Berengarium convocata fuere. Haereticum hunc hominem ea potissimum de causa urgebant Doctores Catholici (Adelmannus, Hugo Lingonensis, Durandus, Lantfrancus), quod a veteri fide, a continenti traditione, a communi populorum omnium sententia tam turpiter, ut nemo magis antea defecisset (277).

(275) Ap. Labbeum T. XI. Concil. col. 1115. et seqq.

(276) Ap. Labbeum T. sup. cit. col. 1427.

(277) Hinc abeat calumniator Sismondus qui in *Storia delle Repubbliche Italiane dei secoli di mezzo. Capolago* 1831. dicere non

§. IX.

Gothescalchi sententiae.

Gratiam Divinam et Praedestinationem in controversiam adducebat Gothescalcus (278), qui in Augustini lectione flagranti studio diu versatus, magistram omnium de Divina Praedestinatione doctrinam evolvere caepit. Deus, ut Gothescalchi mentem explicant, quos voluit ad gloriam, quos voluit ad interitum ex omni aeternitate praedestinavit, nulla hisce salutis spes, nulla illis interitus trepidatio. Neque Deus omnibus salutem voluit, et effuso sanguine comparavit, sed iis tantummodo qui salvarentur. Hominis denique arbitrium a pri-

erubuit: *Nello stesso Concilio di Laterano* (celebr. an. 1059. sub Nicolao II.) *venne espressamente ammesso come dottrina cattolica il domma della presenza reale nell'Eucaristia. Certo Berengario, Diacono d'Augers, aveva scritta un'opera contro i propagatori di tale credenza; sosteneva nel suo libro, che la Chiesa non aveva mai veduto nel Sacramento, che una memoria, un simbolo del Sacrificio di Gesù Cristo. La sua professione di fede, che fino a que' tempi era stata quella della cristianità, fu condannata come un' eresia, di cui fu forzato a fare l'abjura.*» T. I. op. cit. pag. 153. Quam turpis SS. Patrum, Conciliorum, docentis denique Ecclesiae omnis ignoratio, vel depressio ab eo, qui et rerum notitiam, et sinceritatem jactat!! Prae caeteris ad rem consulatur Antonius Arnaldus in opere cui titulus: *La perpetuité de la Foy de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie défendue contre les livres du Sieur Claude Ministre de Charenton. A Paris* 1704.

(278) Germania oriundus, ordine Benedictinus, peracuto et inquieto simul ingenio, floruit saeculo IX. Vid. Dictionarium historicum Morcri in articulo *Godescalque* pag. 345. T. IV. Paris 1725.

mi parentis lapsu ita concidisse putat Gothescalcus, ut ad bona quaelibet invalidum sit. Quae quum propalam et coram Nothingo Brixiensium Antistite disseruisset, et Augustini sententiis abuteretur, factum est, ut Rabanus Maurus veteri amicitia Nothingo devictus, veteri simultate a Gothescalco abhorrens, librum de Praedestinatione huic apposuerit. Gothescalcus manum cum hoste collaturus in Germaniam descendit, vocatisque in suam causam nonnullis, quam Augustini causam esse contendebat, in Moguntina Synodo Kal. Oct. an. 848. congregata, cum suam tueretur, in Rabani sententiam acriter invectus est. Hic vero Gothescalcum oppressurus palam proscripsit, et Hincmaro Rhemensium Antistite custodiendum commisit. Concilium deinde nutu Caroli Calvi Francorum Regis, in Carisiacum palatium (279) convenit, abrogavit Gothelscalco Sacerdotium, et caetera officia quae exercebat, hominemque verberibus lacerandum quoadusque, apologeticum scriptum igni ipse mandaret, claustro denique Altivillarensi condendum jussit. Dum itaque in Gothescalcum tam severe atque acriter vindicaretur, Episcoporum animos et labores illius causa distrahebat. Subtiliter eruditeque in eadem data opera versabantur Ratramnus Corbejen. Prudentius Tricassinus, Lupus Ferrariensis, Florus Diaconus, idemque Lugdunensis Ecclesiae partes agens, quo-

(279) Celebr. an. 849. T. IX. Concil. Labbei col. 1053.

rum Libri speciem saltem defensionis pro Gothescalco offerre visi sunt. Quod cum animadverteret Hincmarus, initis cum Pardulo Laudunensi Episcopo consiliis, Joannem Scotum et Amalarium excitavit, qui stilum in Gothescalcum acuerent. Scoti Liber de Praedestinatione in eam reprehensionem incurrit, ut illius publicatio perniciosissima aestimaretur, nec animadversionem Prudentii Trecensis Episcopi, et Flori Diaconi effugerit, qui relatos a Scoto Pelagii, et Caelestii errores, et alia sophisticis argutiis, potiusquam solida eruditione referta, coarguunt. Hincmarus, quem praeceps in Gothescalcum furor invaserat, Carolum Calvum Regem e Synodo Suessionense an. 850. (280) una cum aliquibus Episcopis redeuntem precibus fatigat, ut, per eos qui aderant, hominem damnandum curet. Discordiis, queis dudum Galliae agitabantur, finem aliquem facere percupiens Carolus, Episcoporum conventum Carisiacum jubet, ubi controversia esset definienda, et decretorium judicium emitteretur.

§. X.

Decreta Synodorum Carisiacae, et Valentinae.

—

Quatuor igitur in Carisiacensi Synodo, subscriptore, approbatoreque Rege, decreta sunt, ac primum, uniusmodi esse praedestinationem, *quae* (in-

(280) An. 851. ut apud Labbeum sup. cit. col. 1082.

quiunt Patres) *aut ad donum pertinet gratiae*, *aut ad retributionem justitiae.* Alterum, arbitrii libertatem in primo homine amissam, fuisse a nobis per Christum recuperatam, et ad bonum ferri, si gratia faveat, ad malum, si desit. Tertium est, Deum omnium salutem velle, quam caeteroquin haud omnes assequuntur. Postremum, pro omnibus passum esse Christum, quamvis non omnes redimantur (281). Capitula haec, Remigius Lugdunensis Ecclesiae Antistes, non modo Clericis suis animadvertenda proposuit, sed et ipse Libro de Veritate Scripturae retinenda evulgato improbavit. Deinde an. octingentesimo quinquagesimo quinto ex Episcopis provinciarum Lugdunensis, Viennensis, et Arelatensis, Valentiae Synodus coaluit, et tum de Capitulis Joannis Scoti, tum de Carisiacensibus illis judicium rationemque censoriam habuit. Idque statuit primum, vocum novitates, queis Scotus indulserat, esse depellendas, nullam deinde necessitatem in hominum actiones a Dei praescientia et praedestinatione inferri; praedestinationem esse electorum ad

(281) Habe decreta citata « I. A Deo neminem praedestinatum ad paenam, unamque esse Dei praedestinationem, quae aut ad donum pertinet gratiae, aut ad retributionem justitiae. II. Liberum arbitrium quod in primo ordine (homine) perdidimus nobis praeveniente et adjuvante Dei gratia redditum. III. Velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licet non omnes salventur. IV. Christi Sanguinem pro omnibus fusum, licet non omnes passionis mysterio redimantur: » apud Labbeum T. IX. Conc. col. 1111. ad an. 853.

salutem, et impiorum ad interitum (282). Eos praeterea reprehendit Valentina Synodus, qui asserunt, Christum pro impiis a mundi constitutione ad passionem Domini (283) impie vita functis, aeternaque paena affectis sanguinem profudisse, censuitque id pro iis tantummodo fecisse, qui immortali corona donarentur. Causam tamen reprobationis in adultis voluntariae eorum nequitiae tribuere videntur. Valentinum Conventum comprobavere an. 859. Synodus Lingonensis, et Tullensis, haecque plurium Episcoporum frequentia, Caroli Calvi regiaeque stirpis majestate exornata; imo vero ad eum Nicolai I. auctoritas, si Prudentio fides, accessit (284).

§. XI.

Hincmari tergiversationes.

Ad eas quibus obruebatur aerumnas, percalluerat infelicis Gothescalchi animus, nec frequentes Episcoporum conventus, injectaque tela minime eum dimovebant. Cum autem Legatos in Galliam misisset Nicolaus I. qui Metis in causam Theutbergae Reginae concilium agerent (285) eisque mandasset, ut de

(282) « *In electione tamen salvandorum misericordiam Dei praecedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum meritum malum praecedere justum Dei judicium.* » Can. III. col. 1151. T. IX. Concil. Labbei cit.

(283) Can. IV. ut sup.

(284) Vid. T. X. Concil. Labbei col. 129.

(285) T. X. Concil. Labbei col. 231. et anteced.

Gothescalchi damnatione cognoscerent, Hincmarus eorum judicio obnoxius, in ratione reddenda percallide tergiversatus est. Metuens autem ne rem suam cunctando perderet Luidoni Archidiacono Laudunensi, qui regia legatione Romae fungebatur, id negotii dedit, ut partes suas apud Pontificem ageret, deditque ad Nicolaum epistolam qua, zeli excusatione, crudelitatem in Gothescalcum adhibitam tegeret, eumque conquisitis undique criminibus oneraret. Gothescalchus in sententia perstans et Hincmarum tortorem sibi magis quam concertatorem abhorrens, aerumnosam an. 868. vitam finivit.

§. XII.

Variae de Gothescalco opiniones.

Habuit Gothescalcus, qui revocatae Praedestinatianorum haeresis crimen eidem intulerint; habuit e contra et in hisce Gilbertum Mauguinum praesertim, et Chr. Lupum, qui eum omni culpa, et crimine vindicent, immo pene Martyrem praedicent. Medii autem sunt, et veritatem propius consequi videntur, qui haeresis scelere, non autem obscurae ambiguaeque sententiae culpa Gotescalchum liberent. Sane ubi ille edocuit, *Deum quosdam ad vitam aeternam, quosdam ad mortem aeternam* praedestinasse, eum de morte aeterna, nempe de malo paenae, minime vero culpae locutum, ex aliis ipsius verbis perspicue ostendunt, eademque Fulgentius Augu-

stinum explicans jam antea declaraverat (286). Et cum instauratum Praedestinatianorum errorem inde repetant, quod asseruerit Christum non pro omnibus, sed pro iis qui salvarentur, morti oblatum fuisse, non desunt qui putant, Gothescalchum obscure licet, tamen Augustinum retulisse. Ait siquidem ille: « *Nullius reproborum perpetualiter voluit* (Christus) *esse Salvator*; » (287) cum jam apud Augustinum legisset fideles reprobos non *perpetualiter* sed *temporaliter* gratiam suscepisse (288), et apud Hieronymum, ubi de Judaeorum populo inquit: « *Non est effusus Agni*

(286) Lib. I. ad Monimum de duplici praedestinatione Dei una bonorum ad gloriam, altera malorum ad paenam cap. 5. extat cum operibus S. Leonis Magni edit. Raynaudi pag. 419. Paris. 1671.

(287) Apud Hincmarum in lib. de Praedestinatione cap. XXIX. pag. 226. T. I. opp. edit. Sirmondi Lut. Paris. 1645.

(288) « Nec nos moveat (ait Augustinus) quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis praedestinatis essent et secundum propositum vocatis, qui vere sunt filii promissionis. Nam isti cum pie vivunt, dicuntur filii Dei: sed quoniam victuri sunt impie, et in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei praescientia Dei. Sunt enim filii Dei qui nondum sunt nobis, et sunt jam Deo; de quibus ait Evangelista Johannes: *Quia Jesus moriturus erat pro gente, nec tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum*, quod utique credendo futuri erant per Evangelii praedicationem, et tamen antequam esset factum jam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam, qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo, de quibus ait idem Johannes: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*, » S. Aug. in libro de correptione et gratia cap. IX. §. 20. col. 760. et seqq. T. X. opp. edit. Maurinae Paris. 1690.

sanguis pro eis. » (289) Neque parum Gothescalco favet ipsa propugnatorum quos est sortitus, excellentia et sanctimonia, favent cum Lugdunensi Ecclesia Remigius Antistes ille spectatissimus, Prudentius Trecensium Episcopus, Lupus uterque cum aliis, quorum judicium nec errore facti, neque temeritate insimulandum esse, causae pondus et diuturnitas facile suadent. Id itaque culpae Gothescalco dandum, quod arcana illa sectatus, ad quae nulla hominum pervenit curiositas, ambigua scripta, in quibus differentes sententiae accipi possint, jactanter fortasse nimis in vulgus sparserit et propugnarit: nulla autem Hincmari excusatio, qui ut in Rothadi damnatione *ipse accusator, ipse testis, ipse judex* (290) indigna sacrae quaestionis crudelitate miserum hominem lacerarit (291).

(289) In Ps. XLIII. v.13. ad ea verba « *vendidisti popolum tuum sine pretio* » Hieronymus ait: « Usque nunc de se loquuti sunt Martyres: nunc de Judaeorum populo dicitur quibus dictum est: in peccatis vestris venditi estis: Et ideo sine praetio, quia non est effusus agni sanguis pro eis. » Hieronymus in appendice T. II. opp. col. 236. edit. Maurinae Paris. 1699.

(290) Rothadus in libello proclamationis quem Nicolao R. P. obtulit: apud Labbeum T. X. Concil. col. 271.

(291) De Goteschalcho, ejusque erroribus, ac damnatione impugnatoribus et patronis vid. Nat. Alex. in diss. 5. saec. IX. X. p. 409. T. V. *H. E.* edit. Lucae 1751. Cf. Petavius T. I. opp. Theol. Dogm. de praedestinatione cap. XVI. p. 389. edit. Ven. 1721.

§. XIII.

De Controversia Trinae Deitatis.

Ad hasce controversias de Praedestinatione et Gratia accessit alia de Trinitate, quam Hincmarus pariter et Gothescalcus exagitarunt. Cum enim in sacris Martyrum sollemniis jam inde antiquitus apud Latinos hymnus ille decantaretur, qui versiculum habet ejusmodi « *Te Trina Deitas unaque poscimus*, » discordes ab eo nonnulli canere caeperunt «*Te summa Deitas*; » abhorrens omnino Hincmarus *Trinam Deitatem*, per provinciam suam omnem jussit esse silendam, cum Deitas quae una utique est, tripliciter hoc pacto dispertiri videretur. Qua in re cum apud Benedictinos offendisset, non modo Ratramnus ex eodem Ordine librum an. 853. Hildegario Metensi Episcopo inscriptum Hincmaro opposuit (292), sed et Gothescalcus, licet carcere inclusus, fraudatusque scriptorio calamo rem vix odoratus, schedulae, ut potuit, et satis compositae atque eruditae defensionem consignavit Trinae Deitatis, quae id nominis adepta esset, propterea quia

(292) Dedit Hincmarus librum hujus tituli: « *Quod Trina Deitas non sit dicenda*, » adversus Gothescalcum, et in Prologo ita de Ratramno: « *Ratramnus Corbejae monasterii Monachus ex libris beatorum Hilarii et Augustini*, *dicta eorundem detruncando*, *et ad pravum sensum incongrue inflectendo . . . . . volumen quantitatis non modicae scribens ad Hildegarium Meldensem Episcopum compilavit.* » Vid. T. I. opp. Hincmari Rem. pag. 413. edit. Lut. Paris. 1645.

tribus personis communis, in tribus autem una et eadem insit: qui id inficiaretur a Sabelliana haeresi haud procul abesse (293). Arianos e contra fecit Hincmarus propugnatores *Trinae Deitatis*, idque libro edito « *De non Trina Deitate.* » In meliori tamen causa Ratramnum et Gothescalcum fuisse quam Hincmarus ex eo luculenter constat, quod Trinam Deitatem hodie etiam concinit Ecclesia in Hymno qui incipit « *Sacris Solemniis* » ab Angelico Doctore exarato, cujus auctoritas contendentes Gothescalcum et Hincmarum longe devincit.

§. XIV.

De Sanctarum Imaginum Cultu.

Quae RR. Pontifices et Concilia adversus impia Leonis Isauri Copronymi, atque Antistitum adstipulantium molimina octavo Ecclesiae saeculo ad SS. Imaginum defensionem praestiterant, eadem minime desiderata sunt, cum Leo Armenus haud

(293) Hoc probe stabiliendum vult Goteschalchus in sua Schedula ita inscripta « *Quod trina Deitas dici possit*, » quo nempe sensu accipienda sit *una* Deitas. Si enim Deitas intelligatur una *personaliter*, id interpretatur Goteschalchus ipsissimum esse Sabellianorum commentum: at si quis dixerit: *Deitatem esse naturaliter unam*, credere debet esse *personaliter trinam*, scilicet, Deum *naturaliter unum* esse procul dubio *personaliter trinum.* Unde patet verborum certamen potiusquam rerum intercessisse. Vide Schedulam hanc ab Hincmaro allatam opp. ibid. T. I. p. 415. Profecto *trina* nominatur Deitas hoc sensu, quod tribus personis communis sit: in tribus autem una sine

procul ab initiis saec. IX. (294) et Michael deinde et Theophilus illius successores in hanc Christiani cultus partem furere caeperunt. Non aliquod tamen solatii defuit, quando Theodora quae Michaelis alterius adolescentiam tuebatur illustrem virum Methodium, Joanni Patriarchae infensissimo, subrogandum, et coacto Episcoporum concilio, Decreta Nicaenae Synodi II. recipienda curavit. Octavum autem Oecumenicum Concilium Synodi septimae definitiones in eandem rem roboravit statuens, D. N. effigiem *eademque sancta Evangelia veneratione colendam* (Can. III.) quae a Conciliis aliis generalibus et particularibus luculenter testata sunt, ubi et maximum quoque Imaginibus B. Virginis, Angelorum, et Sanctorum honorem videas impertiri (295). Una est Synodis omnibus vox, SS. Imaginum cul-

ulla sui divisione, ulloque discrimine. Hoc sensu Gregorius Naz. innuit *triplicem Deitatem* Carm. III., neque desunt apud alios PP. id generis locutiones. Vid. Petav. de Trin. L. VIII. C. 9. §. 5., 6. pag. 482. T. II. opp. Theol. edit. sup. cit.

(294) Videndae sunt proditoriae artes quibus Leo usus est adversus Michaelem Imp., ut ad summum illud fastigium perveniret, quod illi contigit an. 813. Videndae item callidae simulationes quibus Catholicam fidem sub iis initiis protecturum spoponderat. Ea omnia habent Cedrenus, Zonaras etc.; disertissime autem Maimbourg: *Histoire de l'Heresie des Iconoclastes* Paris. 1674.

(295) Vid. T. X. Concil. Labbei col. 874. Postquam Imperatrix piissima Imagines Sanctorum per Synodum restituendas studuisset, ipsa cum Clero regioque comitatu, ingentique pompa, venerabiles Icones inter sacra sollemnia extolli, et omnium honori ac cultui proponi jussit. Vid. Maimbourg *Histoire* cit. Liv. VI.

tum ex verbo Dei (296), et SS. Patrum sententiis adeo comprobari, ut nihil magis. Albigenses Iconomachi erroris instauratores, hoc quoque nomine in Ecclesiae judicium offendunt.

(296) Ex imaginibus Cherubim quas super Arcam testimonii Deus extrui jussit Exod. XXI. veneratione qua veteres Patriarchae Arcam Dei prosequebantur. II. Reg. 6. Jos. VII. aliisque Vet. et Novi Testamenti locis Concilia catholicam veritatem firmabant : tum ex PP. Tertulliano de Pudicit. L. X., Greg. Nyss. Orat. de Filiì et Sp. S. Divinitate, et in Theodorum Mart. et Hieronym. in Cap. IV. Jonae, ex S. Ambr. Ep. LIII., ubi loquitur de SS. Gervasio et Protasio, ex S. Aug. de Consensu Evangelistar. L. I. C. 10. et cont. Faustum L. XXII. C. 73. ex S. Joann. Chrys. qui laudat Antiochenos *sanctam* Meletii *imaginem .... in calicibus et phialis* et ubique exarantes; qui omnes, repugnante quantumvis Dallaeo, vel traditionem primaevae Ecclesiae testantur, vel cultum Sanctorum *relate* ad Deum in Sanctis mirabilem commendant. Vid. Nat. ab Alex. in Panoplia adv. Haereses VIII. saec. diss. VI. pag. 105. T. VI. edit. cit.

CAPUT V.

de Ritibus et Disciplina Ecclesiae et de Moribus Christianorum.

§. I.

Ecclesiae Ritus.
Imagines et Reliquiae Sanctorum.

—

Bellum immane atrox venerabilibus iconibus Iconomachorum impietate illatum, earum cultum ne dum infringeret, immo potius, accedente Conciliorum et RR. Pontificum auctoritate, apud fideles omnes excitavit. Sacrae imagines ex aere aut ligno vel marmore stantes, aeque ut tabulae pictae et anaglypta in Christianorum templis admissa, vehementiori, quam antea, ardore adamata excultaque sunt, Sanctorum reliquiae, monumenta virtutum, urbium propugnacula, quarum vim Augustinus (297) et Chrysostomus (298) prae caeteris tantopere extulerunt undique conquisitae altaria ac privatas etiam aedes exornarunt. Necque admodum refert quod fraudes et ineptae superstitiones,

(297) In serm. de S. Stephano Martyre T. V. col. 1260. et seqq. edit. Paris. 1683.

(298) In laudibus SS. MM. pag. 711. et seqq. T. II. opp. edit. Paris. 1718.

ut clamat Fleury (299) undique irrepserint, neque audiendi omnino sunt qui Monachorum avaritiam, Imaginum et Reliquiarum propagatricem, quaestusque sordidos ab ementitis prodigiis quotidie invalescentes calumniantur (300). Verum hisce minime innititebatur Ecclesiae judicium, quae Sanctorum Imagines et Reliquias tamquam virtutis incitamenta, Deumque in Sanctis suis venerabilem fidelibus proponebat, nec ex fraude aut corruptione aliqua (quibus vero non idem pondus ac Scriptores illi, tribuimus) pius ille cultus depravatur.

§. II.

Peregrinationes Sacrae.

—

Honor Sanctorum monumentis et reliquiis collatus veteres Christianos impulit, ut itinera hanc ob causam susciperent, idque sibi Chrysostomus exoptabat SS. Apostolorum sepulcra alloquens (301) corpore quidem longinquus animo inhaerens. Idem pium morem sepultura Apostolorum invisendi commendat (302). Idem ex veterum aliorum testimoniis

(299) *Trois Discours sur l'Histoire Eccl.* Paris. 1720.

(300) Inter quos eminet Villersius.

(301) Homilia 32. in ep. ad Romanos p. 754. T. IX. opp. edit. cit. Paris. vid. Chrys. idem adv. Judaeos et Gentiles etc. p. 570. T. I. opp. edit. Paris. cit. ubi ait: « In regia urbe Roma missis aliis omnibus ad sepulcra piscatoris et tentoriorum opificis occurrunt Imperatores Consules Exercituum Duces. »

(302) Hom. 26. in ep. 2. ad Cor. ubi ait: « Ideo nemo est qui

comperimus. Verum nil frequentius peregrinationibus ejusmodi ad SS. Apostolorum limina, saec. IX., ut declarat Nicolaus I. in Ep. IX. ad Michaelem Aug. (303) Recuperatis autem Christianorum virtute Hierosolymis, in maximam fidelium religionem incessit loca Christi Domini, M. Matris, et Apostolorum operibus ac vestigiis consecrata, et restitutae salutis incunabula ab extremis regionibus adire et coram revereri. Quidquid asperitatis ac molestiae in longo itinere offenderent expiandis admissis, propitiandoque Numini precationes quamplurimas dabant. Ingentem quoque Christianorum multitudinem Jacobi Majoris sepulcrum undique in Hispanias pertraxit. Ex quamvis nonnulla peregrinationes mala progignerent in majus a Fleury (304), ut solet, accepta, praetermissos interdum a pastoribus greges, impunitatem, magnam utique peccandi illecebram, peccatoribus vagis, et quaeritantibus oblatam, et id genus alia a pluribus tamen Conciliis consultum est, ut dum pia consuetudo atque ab ultima vetustate comprobata retinenda esset, nimia hominum licentia coerceretur.

peregrinationem unquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat: contra multi plerumque Imperatores peregre profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur; » pag. 626. T. X. opp. edit. cit. Paris. legatur p. 625.

(303) T. IX. Concil. Labbei.

(304) *Disc.* 3. *sur l'Histoire Eccl.* supra cit.

§. III.

Caetera quae ad Cultum Sanctorum pertinent.

—

Ante Festos Sanctorum dies inducta antiquitus pervigilia ex variis Ecclesiae monumentis deducimus, et hac periodo aucta esse nemo dubitet (305). Orationi autem, quibus in pervigilio Fideles instabant, junxere jejunia (306), quae vim orationis augerent, et quae innuit hisce verbis Bernardus: « *Sanctorum festa praecipua Patrum sanxit auctoritas praevenienda jejuniis.* » (307). Eleemosynas quoque et corporis castigationes caelitibus conciliandis adhibitas Ecclesiastici Scriptores tradunt. Iisdem dicabantur Missae, eorumque nomine pervulgatae, non vero quibus illorum numina, ut Protestantes contendunt, propitianda essent, sed Deo, qui in Sanctis triumphavit, honor tribueretur (308). Tum

(305) Cf. Tractatus Nicetii Episcopi de vigiliis Servorum Dei T. I. Spicilegii Lucae d'Achery p. 221. edit. Paris. 1723.

(306) Vid. Nicolaus I. R. P. ad consult. Bulgar. resp. 4. T. IX. Concil. Labbei col. 1536. Eadem consuetudo firmatur a Concilio Erpfordiense primo, an. 932. celeb. in causa disciplinae ecclesiasticae sub Joanne XI. Can. I. T. XI. Conc. col. 809. legitur: « Ut deinceps natalitia duodecim Apostolorum summa veneratione solemniter celebrentur. Et in vigiliis antiquitus statutis atque hactenus ab antecessoribus nostris servatis, jejuniorum vota omni diligentia persolvere decernimus: quin quos caelitus sublimioris meriti scimus hoc et amplioris dignitate honoris a nobis colendos esse non dubitamus. »

(307) Ita S. Abbas sermonem exorditur in vigil. Andreae Ap. col. 1063. opp. edit. Paris. 1719.

(308) Ita Concilium Tridentinum sess. 22. c. 3. « Et quamvis in

magis magisque mos ille apud Fideles invaluit quo natis suis sanctum cognomen jampridem dedere (309). Quin et vota iisdem nuncupata Arae illorum honori addictae, Templa quamplurima sub eorum titulis posita; Urbes denique ipsae ac regna in Sanctorum fidem ac tutelam commendata. Dies tandem festi instituti sunt, sollemnia praesertim Sanctorum omnium (310) et Michaelis Archangeli (311).

honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam facimus in terris; » p. 182. edit. Rom. 1732. Iisdem ferme verbis Augustinus utitur contra Faustum lib. 20: « Quis enim (*ait*) Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit etc.» col. 347. T. VIII. opp. edit. Maurinae sup. cit. Cf. S. Isidorus Hispalensis lib. I. de officiis capp. XV. et XVIII. pagg. 379. et 382. T. VI. opp. edit. Romanae 1802.

(309) « *Ipsum enim nomen* (ita vel sua aetate Chrysostomus) et ornamentum cognationis, et aedium tutelam, et ita vocatis salutem, et amoris solatium esse existimabant. » Homilia encomiastica in S. Meletium n. 1. pag. 519. T. II. opp. edit. Maurinae sup. cit.

(310) Id festi in Gallia et Germania jusserat Gregorius IV. ut referunt Ado Viennensis in martyrolog. ext. T. XVI. Bibl. PP. Lugd. p. 830. et Sigebertus ad an. 835. alibi cit. Anteriori saeculo de hoc festo in Britannia celebrato, mentionem facit Beda, et Romae a Bonifacio IV. institutum fuisse tradit historia. Vidd. Gulielmus Durandus in opere inscripto « *Rationale divinorum officiorum* » Romae per Georgium Laur. de Herbipoli 1477. fol. 270. Jos. M. Cari in opere inscripto *Responsorialia et Antiphonaria Romanae Ecclesiae a S. Gregorio M. disposita* Romae 1686. Morcelli in Kalendario Ecclesiae

§. IV.

Cultus Mariae Deiparae.



Enituere hac aetate Fidelium studia erga Virginem Dei Genitricem, et longus esset sermo qui cultus hujusmodi amplitudinem majestatemque prosequeretur. Omittimus Templa innumera ingenti opere ubique terrarum extructa, Effigies et Simulacra, quae Iconomachorum furore eversa ac profligata, fidelium pietas excepit exornavitque. Illius itaque honori sacrificia salutaria oblata sunt, quae *Missae B. Virginis* appellari consueverunt, ut Deus magnae omnium parentis nomine exoratus facilius concilietur. Sabbatum diem Virgini recolendae addictum confirmavit Urbanus II. (312) invaluitque in omnem Ecclesiam *Officium parvum*, ut vocant, B. Virginis, cujusce rei Petrum Damianum auctorem nonnulli (313), alii vero instauratorem, et praeconem fa-

Constantinopolitanae ed. Romae 1788. Joan. B. Thiers in op. *de festorum dierum imminutione*. Lugduni 1668. J. M. Thomasi *Codices Sacramentorum* Romae 1680.

(311) Cff. Bollandiani ad diem XXIX. Septembris p. 4. et seqq. Martyrologia, Honoratus Augustod. L. III. c. 167. Gulielmus Durandus L. VIII. c. 12. fol. 263. sup. cit. edit. et quoad alios dies festos saeculo IX. celebratos vid. Martene in Thes. Anecd. T. V. c. 595. et seqq. Lut Paris. 1717. ubi Flori Lugd. Ecclesiae Diaconi opuscula quaedam poetica perleguntur.

(312) In concil. Claramontano an. 1095. celebrato T. XII. Conc. Labbei.

(313) Vid. ut sup. col. 841. T. XII.

ciunt, qui illius vestigia a Jo. Damasceno libentius repetunt (314).

§. V.

Ritus alii, necnon Caeremoniae Missarum.

—

Facilem Cantus Ecclesiastici rationem inivit Guido Aretinus, eumque Benedictus VIII. Romam advocavit, ut Clericos ad illum informaret (315). Iis

(314) Ab Ordine praeterea Dominiciano in christianam universitatem propagatum est *Rosarium*, quindecim nempe Angelicarum salutationum decades per Dominicam orationem distractae, et cum pia mysteriorum meditatione conjunctae, cum jam ante, medio nempe saec. XI., Monachi quorum plurimi praesertim in Britannia et Hannonia Mariam Virginem angelica salutatione statis horis invocare caeperint. Mabillonius autem refert ex Willelmo Malmesburiensi lib. 4. de Pont. c. 4. Godivam quamdam Leofrici comitis Conventriae uxorem thesauros suos Conventriensi Ecclesiae assignasse, jamque morituram, *circulum gemmarum quem filo insuerat, ut singularum contactu singulas preces numeraret, collo imaginis Mariae appendi* jussisse. *Praedictum circulum gemmarum*, prosequitur Mabillonius, *ad quarum contactum singulas preces Godiva numerabat, genus quoddam rosarii fuisse veri simillimum est: tum quia nobilis haec mulier beatae Mariae devotissima erat, testante Rogerio Hovedeno, idque probatur ex eo quod circulum collo imaginis beatissimae Virginis appendi jussit: tum quia ejusmodi rosarii recitatio jam tum in usu erat*. Mabillonius T. IV. Ann. Ord. S. Benedicti p. 424. ad an. 1044. §§. 69. 70. edit. Lucae 1739. Cf. idem cl. auctor in praefatione ad acta sanctorum saec. V. n. 125. et seqq. p. LXI. qui ex adductis non satis liquere Deiparae salutationem affirmat: sed potius originem Coronae tribuendam esse arbitratur initio duodecimi saeculi, pag. LXII. Vid. tamen Monelia « *De Origine sacrar. Precum Rosarii* Romae 1725.

(315) Vid. Martinus Gerbertus in opere « De Cantu et Musica sacra a prima Ecclesiae aetate usque ad praesens tempus » 1774. et

qui in Christo quievissent admissorum expiationem Ecclesia, vel a suis initiis est comprecata, ut colligimus inter PP. a Tertulliano (316) et a Cypriano (317).

Emmanuel de Azevedo in diss. de cantus Ecclesiastici origine et forma. T. III. Discipl. Pop. Dei edit. Ven. 1782. p. 45.

(316) Cap. 3. de corona militis ait: « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus; » pag. 653. edit. Lutetiae Paris. 1624.

(317) In ep. I. (quae est 66. ap. Pamelium) juxta edit. Oxon. 1682. pag. 3. ubi legitur: « Quod Episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offeretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. » Non erit abs re perlegere caput 35. Rationalis Divinorum Officiorum Gulielmi Durandi jam sup. cit. fol. 270. Licet ex universa antiquitate habeamus, fusas pro defunctis preces semper fuisse aut a parentibus, aut ab peculiaribus nonnullis Ecclesiis (Vid. Mabillon. saec. I. SS. Bened. p. 346. in Vita S. Columbae Abb.), tamen ante Odilonem Cluniacensem Abbatem qui in exitu saec. X. floruit, nullam extare memoriam videmus de aliquo die universim specialiter statuto pro defunctorum animis piandis. Quod primo in suis monasteriis Odilonis pietas statuit. Ita autem se res habuit, ut legitur in chronographia Sigeberti Gemblacensis ad an. 998. p. 824. T. I. parte 2. edit. Ratisbonae 1726. « Hoc tempore quidam religiosus ab Hierosolymis veniens in Sicilia cujusdam humanitate aliquandiu recreatus didicit ab eo inter caetera, quod in illa vicinia essent loca eructantia flammarum incendia quae loca vocantur ab incolis *Ollae Vulcani*, in quibus animae defunctorum luant diversa pro meritorum qualitate supplicia ad ea exequenda, deputatis ibi daemonibus, quorum se crebro voces, iras et terrores saepe etiam ejulatus audisse dicebat plangentium, quod animae de manibus eorum eriperentur, per eleemosynas, et preces fidelium, et hoc tempore magis per orationes Cluniacensium orantium indefesse pro requie defunctorum. Hoc per illum Abbas Odillo comperto constituit per omnia monasteria sibi subjecta, ut sicut primo die Novembris solennitas omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui ritus ad multas Ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoria solennizari fecit. » S. Petrus Damiani in Vita S. Odilonis Ab. et

Campanae rite lustratae sunt et sancto alicui cognomines dictae (318). Habuit religionem praeterea fla-

Conf. ait: « Aliquanto post homo regressus in patriam quidquid ex viri Dei relatione didicerat, beato Patri, et sanctae Congregationi fideliter narrat. Tunc venerabilis Pater Odilo per omnia monasteria sua constituit generale Decretum; ut sicut primo die mensis Novembris, juxta universalis Ecclesiae regulam, omnium Sanctorum solemnitas agitur; ita sequenti die in Psalmis, et eleemosynis, et praecipue Missarum solemniis, omnium in Christo quiescentium memoria celebretur; » pag. 183. T. II. opp. S. Petri Damiani edit. Paris. 1663. Cf. Mabillonius Acta SS. Ord. Bened. Saec. VI. P. I. p. 584. edit. Venet. Post haec universis defunctis Deo commendandis diem ipsum, postridie Kal. Novembris, instituit Ecclesia. Vidd. Lambertini de festis Chr. et Mar. L. III. c. 23. Joannes Nicolai in libello « De Luctu Christianorum seu de ritibus ad sepulturam pertinentibus. » Lugduni Batav. 1739. quem librum caute perlegat lector, et Car. Barth. Piazza in sua Necrologia sive *Discorso de' Misteri de' Sacri Riti e Ceremonie Ecclesiastiche ne' Funerali ed Esequie. Roma* 1711.

(318) Campanarum majorum mentio ante saeculum VI. non occurrit. De iis primum legimus in Vita S. Columbae Abbatis Hyensis in Britannia: » Tum proinde media nocte pulsante *campana* festinus surgens ad Ecclesiam pergit. » Apud Mabillonium saec. I. SS. Bened. p. 346. Insequentibus saeculis usus campanarum percrebuit. Inter Leonis IV. gesta enumerat Anastasius Campanile, et campanam Ecclesiae S. Andreae: « Fecit etiam ibi (in ecclesia B. Andreae Apostoli) ipsum campanile, et posuit campanam cum malleo aereo et cruce exaurato; » pag. 376. n. 525. T. I. Anast. edit. Romae 1718. In Oriente non ante saec. IX. in usu erant. Vid. Zaccaria « *Onomasticon Rituale selectum* » V. Campana. Faventiae 1787. pag. 57. Baptismum Campanarum jam ante saeculum VIII. in usum fuisse ex auctoritate Alcuini infert cl. Zaccaria in sup. cit. *Onom.* V. Baptismus campanarum; quare errant qui Joannem XIII. primum putant auctorem hujusmodi Baptismi. Vid. Fr. Xav. Zech in diss. de Campanis et Instrumentis musicis ap. Fleury in Discipl. Pop. Dei edit. Zaccariae T. I. p. 122. Ven. 1782. et tandem Joan. B. Thiers in op. *Traité des Cloches* Paris. 1721.

gellatio, quam ardor compescendae carnis jampridem suaserat, valuitque plurimum Petri Damiani Liber, qui totus in eo est, ut duros ejusmodi paenitentiae labores extollat (319).

Quoad Missas attinet, licet apud varias gentes varii haberentur ritus, qui in uno eodemque novae Legis Sacrificio versabantur, et ab hujusmodi precationum auctoribus, Basilio, Chrysostomo, Missae nomina eorum accepissent, magni tamen ea in re habitum est Sacramentarium, ut vocant, Gregorianum (320) cui tota fere Occidentalis Ecclesia saeculo XI. consentiebat. Nullum *sine amictu, alba, stola, fanone, et casula* ad litandum accedere jussit Leo IV. (321) nec absque cereis, qui lucem in Domino et filios lucis (*Ephes. v.* 8.) ostenderent, lita-

(319) Vid. opusculum XLIII. in editione Cajetani p. 355. T. III. Paris. 1743. inscriptum « *De Laudibus flagellorum et* (*ut loquuntur*) *Disciplinae.* » Cf. Joan. B. Thiers - *Critique de l'histoire des flagellants* - Paris. 1703. et *Historia flagellantium* anonymi (Jacobi Boileau) Paris. 1700.

(320) Videatur Zaccaria in Bibliotheca Rituali T. I. p. 39. et seqq. et pag. 46. edit. Romae 1776., et Onomasticon ejusdem auctoris V. *Sacramentarium.*

(321) Haec habentur in admonitione synodali quae cum antiquior sit Leone IV., falso ei tribuitur, ut satis ostendit Balutius in notis ad Reginonem. Quoad cetera quae referuntur ad Missam vidd. Observationes Ecclesiasticae Josephi Vicecomitis edit. Mediolani 1626. Vol. 4. opusc. inscriptum « *L'antica Disciplina della Liturgia ossia Messa celebrata colle sole offerte per li vivi, e per li morti.* Venezia 1768. Thomas a Massa « Quaestio super offertorio quod a S. M. E. recitatur in Missa Defunctorum » Romae 1612.

tum est, nec absque confessione (322) ad Aram quae confessio saec. X. XI. et XII. variabat. *Gloria in excelsis* etc. cum soli antea Episcopi (323) Sacerdotes tantummodo in Paschate recitarent, hi quoque dominicis diebus, et Sanctorum Festis saec. XI. recitare caeperunt. Nicaenum Symbolum quod haereticis infrementibus per provincias nonnullas in Missa objiciebatur, ubique terrarum obtinuit (324). Et cum ea esset apud Ecclesias *Praefationum* multitudo, quae Festis responderet, decem tantummodo, saec. XII. exoriente, redigebantur. Eodem fere tempore Hostiam sacram ac Calicem attollere caeperunt Sacerdotes (325), aliisque venerationis indiciis prosequi, ut blasphemantes in Eucharistiae veritatem Berengarii asseclas pudendum esset.

(322) Vulgo *Confiteor* Vid. *Onomasticon* sup. cit.

(323) Vid. ut supra voce *Gloria in excelsis.*

(324) Vid. ut supra voce *Symbolum in Missa* Cff. Jos. M. Cari in opere « *Antiqui Libri Missarum Romanae Ecclesiae*. Romae 1691. et Andreas Bocquillot – *Traité historique de la Liturgie sacrée ou de la Messe* » Paris, 1701.

(325) Ceterum adorationem sibi ab ineunte Ecclesia vindicavit Eucharistia, quod innuit Origenes hom. 13. in Evang. Ambrosius hisce verbis confirmat: « Caro Christi quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu ...... adorarunt; » lib. 3. de Spiritu S. c. 11. col. 681. T. II. opp. edit. Paris. 1690. Et enucleatius Augustinus: « Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; » In Psal. 98. col. 1065. T. IV. opp. edit. Paris. 1681. Cff. Onomasticon Zaccariae voce *Missa*, et Petrus Le Brun in opere cui titulus: « *Spiegazione Letterale storica e dogmatica delle preci, e delle cerimonie della Messa, tradotta in italiano da D. Antonmaria Donado C. R. Verona* 1752. T. I. et II. »

§. VI.

Ecclesiae Disciplina.
Paenitentia et Indulgentiae.

Quae jam alicubi invaluerat consuetudo, ut manifesta crimina, exacta palam paenitentia expiarentur, eadem per Occidentem omnem suscepta est, et si qui vim illius judicii detrectarent, regia potestate ad officium redigebantur. Distinctionem inter manifesta et occulta crimina firmavit Concil. Moguntinum (326). Parricidis et fratricidis annus paenitenter adimplendus erat, antequam sacra Synaxi donarentur, idque ex Wormatiensi Concilio (327), a quo

(326) An. 847. celebr. can. 31. p. 1046. et seq. T. IX. Concil. Labbei ubi legitur: « Modus tempusque paenitentiae peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam, et inusitatos imponunt paenitentiae modos, consumunt (*consuunt*) pulvillos secundum propheticum sermonem sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas. Sed discretio servanda est inter paenitentes, qui publice, et qui absonse paenitere debeant. Nam qui publice peccat, oportet ut publica mulctetur paenitentia, et secundum ordinem canonum pro merito suo, et excommunicetur, et reconcilietur etc. »

(327) Celebrato an. 868. in canone XXX. legitur: « Statuimus ut patricidae et fratricidae per unius anni curriculum ante fores basilicae orantes Domini clementiam perseverent. Completo autem anni curriculo introducantur in Ecclesiam: tamen inter audientes, usque dum unius anni spatium finiatur, stent, cum ad Missarum solennia vel alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si paenitentiae fructus in eis conspicitur, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Chri-

etiam tempus paenitentiae Episcoporum judicio permittebatur, *ut secundum conversationem illorum* (paenitentium) *aut extendere vel minuere* possent (328). Sane consultissimi ejusdem judicii fuit pecuniariam paenam aliis paenarum generibus sufficere, quae invitos affligebant, jejunia etiam, peregrinationes sacras, oblationes, eleemosynas indicere, variisque ad animorum salutem institutis, veterem disciplinae severitatem mitigare. Accedebant ad humanae conditionis solamen Indulgentiae ex ipsa solvendi potestate deductae, quae amplius quam antea, patere caeperunt. Proficiscentibus ad Hierosolymam vindicandam, saec. XI. exeunte, Urbanus II. concessit, ut plurimi de dierum paenalium numero expungerentur (329): idem saec. insequenti iis etiam, qui nonnullas Ecclesias aut aras visitarent.

sti participes facit, ut desperantiae non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitae illorum, et jejunent usque ad horam nonam diei quotidie, exceptis festis diebus atque dominicis. Abstineant a vino, medone, atque cervisia mellita tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant vel sumere nisi contra paganos. Et ubicunque ire maluerint nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. » Ap. Labbeum T. X. conc. col. 461.

(328) Vid. ut sup. in eodem cit. canone XXX. et perlegantur canones universi ejusdem Concilii Wormatiensis.

(329) Vid. T. XII. Concil. Labbei in syn. Clarom. Legatur Mabillonius in diss. de indulgentiis ext. T. III. Fleury Discipl. Pop. Dei edit. Ven. 1782. pag. 152.

§. VII.

Pontificalis auctoritatis indicia.

—

Eadem quae antea viguit in hac periodo Romano Pontifici auctoritas et amplitudo, neque meliori auspicio ad gubernacula accedere posse existimabant Imperatores Occidentales, quam si diademate ipsis supremi Antistitis manibus ornarentur: hoc pacto insigniti sunt Carolus Magnus, ac successores sui, qui argentea corona Acquisgrani, ut Germaniae Reges, ferrea Mediolani, ut Reges Longobardorum, aurea Romae, ut Imperatores donari consueverunt. Alia honoris ac religionis insignia viri principes a Romanis Pontificibus referebant, atque ita a Silvestro II. Hungarorum Reges de religione per Pannoniam egregie meriti, jus praeferendae crucis sumpserunt. A Romana Sede exornabantur pallio Archiepiscopi, quo statis diebus utuntur, quodque inter caetera ab Anastasio III. Ticinensibus Episcopis datum est. Sacrorum communione iis interdictum, qui sacri honoris insignia a profanis Principibus peterent, et qui Ecclesiae munera ambitiose affectarent decretis innumeris coerciti: item cautum saec. XI. ne Imperatorum nutus in eligendo Pont. Maximo expectaretur. Frequenter autem saec. XII. Episcopi ad Pontificis oracula confugerunt, et uno *Investiturarum* nomine Otho Bambergensis, Anselmus Cantuariensis aliique, Paschalem II. auxilium rogarunt.

Causa denique Antistitum Coloniensis et Moguntini apud Eugenium III. delata, Lusitanum regnum in Lucii II. fide susceptum, aliaeque permultae obsequii significationes a Principibus Pontifici Maximo editae, huic auctoritati testimonium praebent (330).

§. VIII.

Canonizatio Sanctorum.

—

Primis Ecclesiae saeculis Populi et Cleri suffragiis caelestes religiones iis qui vitae sanctitate excelluissent, decerni solebant, quod ut ab fallaciae suspicione longius esset, ad Synodos delatum fuit: denique, ut potissima in re tanti momenti emineret fides, atque omnis errorum aditus praecluderetur, saec. Eccl. X. (331) postulata est Pontificum Romanorum auctoritas. Ita Udalricum Antistitem Augustanae Ecclesiae Joannes XV. an. 993. sollemni ritu caelitibus Sanctis accensuit (332), quem Liutulphus

(330) Legatur caput I. *de regimine Ecclesiae et Ecclesiastica hierarchia* pag. 75. hujus partis interioris Historiae.

(331) Vid. Daniel Papebrochius in diss. XXXV. al. XX. *De Solennium Canonizationum initiis atque progressibus* ext. pag. 277. conatus chron. historic. ad catalogum Pontificum in propyleo ad acta Sanctorum Maii. Antuerpiae 1742. et Joh. Mabillonius in diss. de canonizatione Sanctorum ext. T. III. Fleurii in Discipl. Pop. Dei edit. Zacc. Ven. 1782. pag. 70.

(332) Vid. ut supra, et cf. Labbeus T. XI. Concil. col. 995. ubi ad rem refertur concilium Romanum, cujus excerpta referre operae pretium ducimus, ut primae canonizationis forma appareat: « *Cum conventus esset factus* (ita ap. Labbeum col. sup. cit.) *in Palatio*

in Episcopatu successor apud varias provincias venerabilem reddiderat. Idem praestiterunt Callistus II. pro Conrado Constantiensi (333), Alexander III. pro Thoma Episc. et Martyre, et Bernardo Abbate, Caelestinus III. pro Ubaldo Eugubino Ordinis Cann. Reg. S. Augustini, atque aliis. Licet autem apud nonnullas Ecclesias Caroli Magni cultus invectus sit, numquam tamen Romani Pontifices Sanctorum honores eidem tribuendos existimarunt (334).

§. IX.

Caetera quae disciplinae sunt.

—

Plura hac periodo sapienter jussa fuere quae

Lateranensi pridie Kalendas Februarii, residente Joanne sanctissimo Papa cum Episcopis et Presbyteris, adstantibus Diaconibus et cuncto Clero, surgens reverendissimus Luitolphus Augustae Episcopus inquit: Domine sanctissime Praesul, si vobis placet et omnibus Episcopis, et Presbyteris residentibus, libellus quem prae manibus habeo, coram vobis legatur de vita et miraculis venerabilis Udalrici sanctae Augustanae Ecclesiae dudum Episcopi et quid libitum vobis fuerit, decernatur. Perlecta epistola, et enarratis miraculis, romanus Pontifex concludit: *Quatenus memoria Udalrici jam praefati venerabilis Episcopi divino cultui dicata existat, et in laudibus Dei devotissime persolvendis semper valeat proficere. Si quis interea* (quod non credimus) *temerario ausu etc.* Cf. Praefatio Mabillonii in Acta SS. saec. V. §. 6. pag. XLIV. et LII. edit. Venet.

(333) Cff. Mabillonius in sup. cit. praef. pag. LIII. et seqq. et laudatus Papebrochius in diss. cit. nec non Benedictus XIV. de Beatificatione, et Canonizatione SS. et pro cultu Sanctorum vid. opus eruditissimum Joannis Chrysostomi Trombelli Can. Reg. inscriptum « De cultu Sanctorum. » Bononiae 1750.

(334) Praesertim cum nunquam voluerint eam Caroli M. relationem adprobare, quam peregit Paschalis III. Antipapa.

Parochorum residentiam quammaxime commendarent; sublati autem sunt Chorepiscopi qui Episcoporum potestati se se arroganter aequabant. Et quantopere adlaborarint Pontifices, et Ecclesia omnis, ut simoniacos, sacri honoris captatores, ac degeneres Clericos coercerentur, ita perspicuum putamus ex Pontificum et Conciliorum historia, quam attigimus, ut ab iisdem retractandis libenter abstineamus. Gradus consanguinitatis, ut ajunt, canonici constituti sunt, et filii ac filiae fratrum et sororum in secunda generatione, nepotes in tertia, pronepotes in quarta et sic deinceps. Et perdiligenter de Monachorum claustro, de Caelibatu Clericorum, et de aliis quibus Sacricolarum honor augeretur, consultum fuit (335).

§. X.

Christianorum mores.

—

Consulentibus hujusce periodi historiam ipso in limine occurrit ea, quam toties doluimus, Clericorum depravatio, non aliunde profecto exorta, quam a Principum arrogantia vel potius libidine in negotia Ecclesiae. Cum enim sacri honoris insignia Principum ingeniis versari caepissent, hinc factum est, ut Clerici demissius quam par erat, regiae volun-

(335) Videatur Labbeus T. IX. X. XI. XII. XIII. Concilior. et sup. capita *de Romanis Pontificibus et Conciliis.*

tati obsequerentur, et in aulam adducti, atque aulicis artibus infecti, suos populique mores contaminarent. Quae enim morum integritas et castigatio, ubi vitae moderatores praeceptoresque vidisses, deliciis omnibus apud Principes indulgere, et affluere, sacros honores assentationibus, aut donis, aut pretio eruere, saepe etiam ad eosdem capitali fraude aut flagitio irrepere? Et quia *obscuratum est aurum* (*Thren. Hierem. IV.* 1.), Sacerdotalis nempe innocentiae nitor ac splendor, haud mirum est si *mutatus* sit *color optimus*, primaeva Christiani populi virtus, quae infensissimos hostes in sui admirationem perduxerat. Verum nec caligines illae omnem lucem auferre potuerunt cum et Ordines arctissimi instituti, et homines innumeri vitae innocentia ac disciplinae severitate spectabiles, vetera Christianae pietatis exempla revocarint, et numquam saepius, numquam vehementius Concilia tum particularia tum Oecumenica in perditos Cleri Populique mores animadverterint. Instarunt huic rei Romani Pontifices, instandoque tandem evicerunt, ut turpes Sacricolarum quaestus, lapsae consuetudines vel intermitterentur vel deciderent, et Ecclesiae rationes a Principum conatibus vindicarentur. Qua in re princeps omnino habendus est Gregorius VII. cujus Epistolae sane permultae veteris disciplinae studio flagrant, cujus vita immanibus undique telis proposita, norma et regula successoribus fuit, quam hodierna die

vel heterodoxi homines adversus profanae dominationis ausus suadent (336).

§. XI.

Vulgares probationes et varia earum genera.

—

Medii hujusce aevi ignorantia superstitiones quamplurimas aluit, atque ut praetereamus *sortem Sanctorum* (337), *sortem Biblicam*, *sortilegium Patrum*, quibus etiam veluti auspiciis, in Episcoporum electione uti consueverant, cum quis in crimen vocaretur experimenta, et *probationes*, ut vocabant, *vulgares* adhibebantur, corporis nempe divexationes, quarum discrimine veritas, Deo ferente, pateret (338). Multiplex autem fuit ejusmodi quaestionum genus, quibus nocens ne esset aliquis an innocens, eliciebatur. Ac primo erat *purgatio aquae frigidae*, in quam, precibus nonnullis adhibitis, judicio

(336) Ut nonnulla ad rem videri possint, conferantur Ratherius Veronensis Episc. T. I. Spicilegii D'Achery in opusc. « ad Hubertum Parmensem Episcopum de contemptu canonum, » pag. 345. et seqq. Paris. 1723. S. Petrus Damiani; acta Conciliorum quae hac periodo celebrata sunt, et Fleury in disciplina populi Dei T. III. cap. 5. pag. 275. editionis Zaccariae, Venet. 1782.

(337) Vid. Du Cange in Glossario, voce, « Sortes Sanctorum, » p. 605. T. VI. edit. Paris. 1736.

(338) Optime in eam rem Card. Gerdilius: « *L'ignorance mère de la crédulité et de la superstition, n'éteint pas la curiosité, ou le désir de savoir, si naturel à l'homme: mais elle fait chercher le vrai par des routes détournées, qui n'y ont aucun rapport, et qui le plus souvent conduisent à l'erreur.* » Traité des Combats singuliers, ch. IV. §. 1. pag. 40. T. V. opp., in Bologna 1790.

obnoxii immittebantur, ita enim existimabant, insontem divinitus declarari qui aqua prorsus obrueretur, reum autem paenaque dignum qui aquis fluctuaret (339). Item qui manum e ferventi aqua illaesam extraxisset, qui candentem ferrum (340) rite piatum bis aut ter extolleret, vel ab ardore carbonum inoffensum pedem referret, culpa omni absolutus censebatur: at e contra cui res non aeque feliciter incesserat, dira ab eo supplicia exposcebantur. Erat et transitus per ignem, angusto videlicet tramite, inter duas incensas lignorum strues, unde qui incolumis evaderet, judiciali deinde molestia carebat: idque experimenti genus Occidentales populi a Graecis acceperunt. Sed et judicio crucis, ut vocabatur, et S. Caenae (341) innocentiae testimonium oblatum; primo, si quis protensis in crucis formam palmis immotus persisteret, secundo si Clerici et Monachi, sacra Synaxi refecti, neque morbo aliquo neque morte oppressi essent. Risum autem merentur *probationes panis* vel *casei* quae, adjectis a Sacricola execrationibus, qui sine vomitione deglutiret, is judicium minime suberat. Probationes hujusmodi, quae gentiles reliquiae videbantur, cum ma-

(339) Recolantur quae diximus ac retulimus in superiori nostra nota (88) et vid. Du Cange in voce *Aquae*, *vel aquae frigidae judicium* pag. 603. T. I. et Mabillonius p. 161. veter. analect. edit. Paris. 1723.

(340) Vid. Du Cange v. *Ferrum candens* pag. 394. T. III.

(341) Vid. Du Cange v. *Judicium* pag. 1580. et seqq. T. III.

gnam vim in populorum animos haberent, Principum edictis interdum firmatas legimus.

§. XII.

Singulare certamen.

Omnium autem periculosissimum erat experimentum singularis inter duos homines certaminis, vulgo *Duelli* (342), quod institui solebat non modo ut de crimine decerneretur, sed ad quasdam etiam lites dirimendas: qui superior discederet, meliori esse in causa aestimabatur. Et si ancipiti fortuna pugnaretur, cum praefinitum tempus decederet, erat ei, qui accusatus fuerat, innocentiae praeconium. Suus

(342) Consulendus est Cardinalis Gerdilius in cit. op. « *Traité des Combats singuliers*, » qui ab agresti immanique, apud veteres Germanos praesertim, libertate et audacia, singularis certaminis initia desumit. « *Une liberté féroce se soutient à la faveur de l'ignorance, dans le sein de la rusticité: cette liberté occasionne des querelles, et on se bat*, » pag. 23. T. V. opp. edit. cit. c. 2. Contentio proprii honoris (*point d'honneur*) quae expolitis ingeniis, illustrataque ratione ad magna profecto obeunda perducit, in temporum ruditate, et morum libidine id mali quammaxime fovit. Pinguis nempe temporum ruditas, in qua nulla doctrinae et virtutis ratione habita, quidquid lacertis valeat in honore habetur, infelix depravatio, quae ignorantiae conjuncta, ulciscendi ardorem atque impetum, et morem prostrandi hostem summae felicitati ac gloriae vertit. Erat ejusdem ignorantiae singularis certaminis exitum tamquam iudicium criminis aut innocentiae putare quod Dei justitia proferre omnino deberet. Ita credula nimis superstitio vim judiciarii testimonii duello tribuit et civiles leges auctoritatem suam addidere. Vid. sup. cit. Gerdil., et Du Cange voce *Duellum* pag. 1667. T. II.

praeterea certamini locus, suae leges, gladio autem, et interdum etiam fustibus dimicabatur. Et quamvis profani homines armis congredi solerent, et ex iis praestantiores genere ac nobilitate viri, Clerici nihilominus et Monachi, imo et senes et mulieres ad eandem aciem accesserunt, qui vero armis et sanguine prohibiti *Advocatos*, ut nomen erat, *Vicarios* et *Campiones* (343) eligebant, atque hi, consertis manibus, eorum causam propugnabant; quamquam non defuerunt qui in claustro se se experti sint, et quod praeterea dolendum, principes ipsos certamina ejusmodi indicere ad veritatem eruendam non puduit.

§. XIII.

Experimenta et certamina Ecclesiae legibus damnata.

—

Licet multi e Levitico caetu vulgaribus probationibus, et singulari certamini operam dederint, Ecclesia tamen rudes illas superstitiones, saevosque ludos constantissime respuit. Probationes, veluti arcanae rei tentamina, a Steph. V. vel VI. Pont. Max. hisce verbis proscriptas fuisse, auctor est Gratianus (in Decret.): « *Ferri candentis vel aquae ferventis examinatione confessionem extorquere a quolibet, sacri non consentiunt Canones, et quod sanctorum Patrum Documento sancitum non est, superstitiosa adinventio-*

(343) Vid. Du Cange v. *Campiones* p. 103. T. II.

ne non est praesumendum. » Similia hujus Decreta tulit Caelestinus III. quae in Gregorii IX. Decretalibus Lib. V. tit. V. de Purgat. vulgari afferuntur. Ommittimus quatuor Concilia Gallica saec. IX. coacta in *vulgares probationes*, ingentemque Doctorum copiam, qui fallacias ejusmodi acriter perstrinxere. Sane, eodem saeculo ineunte, duos illis opposuit libros Agobardus Antistes Lugdunensium expungens nomina illa *judicia Dei* (344), queis appellari consueverant, haud secus ac Deus, inquit, ea praeceperit, aut vulgarium opinionum commentis, et curiositati nostrae indulgere voluerit; neque minus acriter Ivo Carnutensis experimenta improbavit. Quoad singulare certamen attinet, vehementius, quo magis periculi et saevitiae rei inest, illud Ecclesia omnibus sententiis damnavit, crudelissimum, inquam, facinus ad honoris redintegrationem, ad verae fortitudinis indicium minime praestans, moratis olim gentibus ignotum, civili Reipublicae inimicum, a Christiano autem quam maxime abhorrens, ut Philosophi et Theologi de humana societate et de Ecclesia promerentes in-

(344) Quae appellabantur etiam *probationes*, *Ordalia* forsan ex antiquo francico, vel teutonico *urdela* idest *judicare* unde Saxonicum illud *ordela.* De judiciis Dei sive Ordaliis videatur ab cl. auctore cit. Agobardus, ext. T. XIV. Bibl. PP. Lugd. p. 301. et seqq. Lugd. 1677. Atque inter recentiores Hoof, Maier, Tiedemann et C. Zwicker in op. germanice exarato « *Ueber die Ordale* » *De Ordaliis* Göttingen 1818. et consulatur *Histoire critique des pratiques superstitieuses* etc. anonym. (Petri Le Brun) Paris; 1702.

victe demonstrant (345). Invecti sunt itaque in exitialem consuetudinem Nicolaus I., Caelestinus III., et Alexander III. qui duello procumbentes Christiano sepulcro exsortes pronunciavit. Eandem paenam comminata est Valentina Synodus (346), quae patratores illius necis homicidarum loco habendos ac plectendos esse decernit. Neque sacris Ecclesiae legibus impune fuit iis qui certamen provocarent, demandarent, indicerent, aut qualibet denique ratione foverent.

§. XIV.

Monachorum disciplina et instituta.

—

Praebet haec periodus illaudatos aliquot monachorum mores, at iis depravataeque aetati contraria

(345) Haec omnia data opera ostendit Daniel Stadler in tractatu « de Duello honoris vindice ad Theologiae, et juris principia examinatio » edit. Ingolstadii et Aug. Vindelic. an. 1751.

(346) Celebr. an. 855. hujus nominis synodus III. in can. XII. col. 1156. T. IX. Conc. Labbei legitur: « Et quia ex hujusmodi juramentorum immo perjuriorum contentione etiam usque ad armorum certamina solet prorumpi, et crudelissimo spectaculo effunditur cruor belli in pace, statuimus, juxta antiquum Ecclesiasticae observationis morem, ut quicumque tam iniqua, et Christianae paci inimica pugna alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus, et latro cruentus, ab Ecclesiae et omnium fidelium caetu separatus, ad agendam legitimam paenitentiam modis omnibus compellatur. Ille vero qui occisus fuerit, tamquam sui homicida et propriae mortis spontaneus appetitor, dominicae oblationis commemoratione habeatur alienus, nec cadaver juxta sanctorum canonum Decretum, cum psalmis vel orationibus ad sepulturam deducatur etc.

sanctissimorum hominum exempla et leges. Sane cum monasticum vitae genus Benedictinorum laudibus magna aestimatione, eximioque honore auctum fuisset, summique principes regium splendorem eidem posthabere minime dubitassent, inter bellorum turbas, quae Europam exagitarunt, a primaeva dignitate ac virtute aliquantum defecit. Quae vero ut restitueret totis viribus Benedictus Ananiensis (347) incubuit, et secundo adjuvanteque Ludovico Pio Aug. lapsae monachorum consuetudini sinceram Benedicti Patris regulam objecit, imo in Aquisgranensi Concilio an. 817. quo ex Gallia et Germania Abbates convenere, Patrum praescripta ferme LXXX. revocanda, et Benedictinae familiae alumnis imperanda curavit (348). Verum neque res adeo salutariter constituta diu processit, invadente undique principum et optimatum licentia, quae monachorum mores ad aulicam mollitiem transtulit, malisque artibus infecit. Id causae fuit cur alios quoque supremum Numen excitaret, illustri sanctitate clarentes et regularis disciplinae percupidos, qui Benedicti regulam aliarum omnium principem

(347) Vid. Mabillonius in praef. ad acta SS. Bened. saec. IV. P. 1. §. 7. pag. LXVII. Venet. 1734. idem Mabillonius §. 6. p. LXIV. causas inquirit ob qua disciplina regularis apud Benedictinos relaxabatur.

(348) Extant Col. 597. et seqq. T. IX. Concil. Labbei Vid. Mabillonius T. II. Annal. p. 401. edit. Lucae 1739.

et ducem praeferendo, severe admodum constituta solutis mortalibus opponerent (349).

§. XV.

Benedictini Reformatores.

—

E Cluniacensi monasterio in Sequanis a Bernone Ab. condito, cum R. S. annus ageretur 910. regularis instaurationis exordia deducta sunt. Ibi siquidem Odo Ab. et Bernonis successor Benedicti disciplinam referens, arctissimam vitae rationem a suis studuit ineundam, quae viros deinde virtute omnigena illustres Ecclesiae peperit; Odilonem, Hugonem etc. summosque praeclari nominis Pontifices Gregorium VII., Urbanum II. et Paschalem II.; Cardinales autem et Praesules pene innumeros. Cluniacensi monasterio egregia magnorum virorum testimonia exstant (350).

(349) Cf. Mabillonius in praefatione supra cit. Iis autem voluntatibus erga regulares institutiones ferebantur omnes, ut ritus inde enasceretur offerendi Deo pueros adhuc impuberes in monasteriis praesertim Benedictinis. Vid. Petrus Magagnotti in libro singulari super hoc antiquo ritu. Cf. opus anonymi (Marquardi Hergott Monachi Benedictini Congr. S. Blasii in silva nigra) inscriptum « Vetus Disciplina monastica » Paris. 1726.

(350) Prae ceteris S. Petrus Damiani haec habet: « Et quid aliud Cluniacense monasterium, nisi agrum Domini plenum dixerim, ubi velut acervus est caelestium segetum chorus tot in charitate degentium Monachorum? » in epistola ad Ugonem Abbatem ejusque monasterii Monachos lib. VI. Epistolar. N. 4. ext. p. 88. T. I. opp. edit. alias cit. Constantini Cajetani Paris. 1743. Vid. Vita S. Odonis ab Joanne

Eadem premens vestigia S. Romualdus (351) Ravennae an. prope 907. summo loco ortus, cum apud varios severioris vitae magistros versatus esset, in *Campum Malduli* inter ardua Apennini juga secedens, Congregationem ibi Camaldulensium haud procul ab initiis saec. XI. condidit, et ad Benedicti magni patris Regulam informavit. Quae Congregatio in Caenobitas, et in Heremitas (a quibus celebre in Apennino monasterium *Montis Coronae*) postea distributa viris utrinque sanctimonia praefulgentibus suo jure gloriatur. Alba illis vestis, rigida admodum jejunia, jugis praecatio, manualis labor, aliaeque corporis afflictationes (352). Camaldulensium institutio imitatores sortita est monachos in Valle Umbrosa Tuscae ditionis exortos, medio circiter saec. XI. a S. Joanne Gualberto Florentino (353), Romualdi

Monacho scripta, ext. ap. Mabillonium saec. V. SS. Bened. p. 148. Cff. Martinus Marrier et Andreas Quercetanus in Bibliotheca Cluniacensi in qua SS. Patrum Abb. Clun. vitae, miracula scripta, statuta etc. perleguntur. Lutetiae Paris. 1614. pag. 1631. et seq. Quoad exitum hujus ordinis consulatur Claudius Fleury, qui divitias et vocalium precum multitudinem praecipuas causas fuisse dicit hujus ordinis exitii. *Discours VIII. sur l'Histoire Eccl.* pag. 314. Paris. 1720.

(351) Vita S. Romualdi Ab. ext. T. II. opp. S. Petri Damiani pag. 206. edit. Paris. 1743.

(352) Cff. Joannes Benedictus Mittarelli, et Anselmus Costadoni in opere eruditissimo et inscripto « Annales Camaldulenses Ordinis S. Benedicti » Ven. an. 1755. et seqq. et Mabillonius T. IV. Ann.

(353) Vid. Vita S. Joannis Gualberti ap. Mabillonium saec. VI. SS. Bened. Parte II. pag. 273 et seqq. exarata ab Attone primum Abbate, deinde Episcopo Pistoriensi.

discipulo (354). Praeclara inter societates Benedicti legibus obtemperantes, est Cisterciensibus laus, quorum initia posuit una cum viginti sociis an. 1098. S. Robertus (355) Ab. Molismensis monasterio totius Ordinis principe *Cistercii* (356) constituto, qui locus solitudine pene inaccessus et vepribus obsitus ad poenitentiae afflictationes caeteris acrior videbatur, sacris autem concellitis supra omnium opinionem frequentissimus, cum Bernardus an. 1113. illuc concessit. Proximam Cistercii reddebant imaginem monasterium Claraevallis, et alia plurima hujus exemplis addita, quae omnia id praesertim spectabant, ut Benedicti Regulae penitus inhaerescerent, editis per viros sanctissimos Albericum et Stephanum Abb. constitutis quae illius studium atque amorem magis magisque conciliarent, et quae Callixtus II. an. 1119. aliique Pontifices comprobarunt. Magna deinde in hoc ordine vitae austeritas cum eximia doctrinae institutione conjuncta: quae duo mirum in modum sociavit Bernardus Claraevallensis, iique omnes sane permulti, sanctitate literisque florentes,

(354) Nec praetermittenda est congregatio Hirsaugiensis in Germania ab Guillelmo Abbate fundata. Vid. vita Beati Wilhelmi Hirsaugensis Monasterii Abbatis, auctore Heymone Monacho Hirsaugensi coaequali, et B. Wilhelmi discipulo, apud Mabillonium saec. VI. Part. II. SS. Bened. p. 716. ubi pag. nempe 240. legitur vita Friderici Abbatis Hirsaugensis.

(355) In Campania gallica natus.

(356) In Burgundia non procul a Divione.

qui illius vestigiis insistendo saeculum XII. nobilitarunt (357).

Horrida vitae asperitas Carthusianos monachos ab hisce Benedicti sectatoribus distinguit. Eorum auctor Bruno Coloniensis et Canonicus Regularis Rhemensis, humana aversatus, primo apud Hugonem Antistitem Gratianopolitanum sese recepit, deinde una cum septem comitibus an. 1068. vel juxta aliorum sententiam, 1084. inter praeruptos rigentesque Galliae ipsius Narbonensis montes in eremum *Carthusianum* secessit et durissimum vivendi genus capessivit. Id vero novis et arctissimis legibus illius successores ita exacuerunt, ut perpetuo silentio, longis ac flebilibus precationibus, carnei cibatus interdictione, jugique corporis atque animi contritione Carthusianorum sodalitia primaevis Christianae paenitentiae exemplis aequanda sint. Quod majus est, ingravescentibus quotidie ad severitatem legibus, nulla earum vim dissolutio, aut relaxatio imminuit, et Alexander III. Carthusianorum Ordinem Bulla edita an. 1176. (358) in fidem suam suscepit (359).

(357) Cff. Annales Cistercienses Angeli Manriquez, Petrus Lenain *Essai de l'Histoire de l'Ordre des Citeaux*, et Labbeus T. I. Novae Bibl. MSS. pag. 640. Paris. 1657., ubi, pag. nempe 647. legitur processus canonizationis S. Roberti Abbatis Molismensis et primi Cisterciensis Ordinis fundatoris, et consulatur Bertrandus Tessier in « Bibliotheca Patrum Cisterciensium, idest opera Abbatum et Monachorum Ordinis Cisterciensis qui saeculo S. Bernardi aut paulo post ejus obitum floruerunt etc. » Bonofonte 1660.

(358) T. II. Bull. Rom. pag. 446. edit. Rom. 1739.

(359) Cf. sup. cit. Labbeus T. I. N. B. MSS. pag. 638. et Martene T. VI. veter. Script. pag. 150. edit. Paris. 1729.

Sodalitates alias habuit haec periodus, *Cavenses* Monachos (360), *Grandimontenses* a S. Stephano Arverno anno 1076. (361) in Lemovicensi Diaecesi, monachos montis Virginis ad Neapolim a S. Guillelmo Vercellensi an. 1152. institutos, (*) qui omnes Benedicti instituta plus minusve tenuere. Finis saec. XII. initium fuit eorum, qui, ducibus Jo. de Matha, et Felice de Valois, Christianis e Turcarum jugo eripiendis devoti sunt (362).

§. XVI.

Canonici Regulares.

Vetus institutum quo Clerici Episcopis addicti, auspice ac propagatore Augustino, in communem vitae consuetudinem, certasque leges convenirent, cum e pristina dignitate, ineunte hac periodo, excidisset, vires, quas eidem fecerant Grodegangus Metensium Antistes, et Synodus Aquisgranensis an. 816. sub Ludovico Pio (363) redintegravit, novas praeferens formas ac species, labore ac studiis virorum sanctitate excellentium. Fuere hi quidem Petrus Da-

(360) Vid. Mabill. in Ann.

(361) Vid. sup. cit. Labbeus pag. 634. et Historia brevis priorum Grandimontensium apud Martene T. VI. veter. Script. pag. 114. jam. cit. et historia prolixior pag. 123.

(*) Cf. Guillelmus De Cesare in opusc. inscripto « *Memoria per la Benedettina Congregazione di Montevergine.* » (Nullius) Roma 1840.

(362) De quibus insequenti periodo Historiae Ecclesiasticae pertractabitur.

(363) Ap. Labbeum T. IX. Concil. col. 399.

miani, Petrus de Honestis (364), Adam fundator an. 1180. Canonicor. RR. S. Crucis Mortariae in regione Mediolanensi, quae congregatio quadraginta et amplius monasteriis brevi aucta est, deditque inter plurimos Albertum Hierosolymitanorum Patriarcham et Karmelitarum legislatorem. Sed et longe antiquissimus et celeberrimus (absit ut inanes conflemus glorias) omnibus praecelluit ordo Canonicor. Regularium, quos jam ante Leonis Magni aetatem Lateranas aedes, unde Lateranenses dicti, incoluisse constat. Hi ad arctiorem vitae consuetudinem revocati sunt an. 1063. (365) et ad illa praesertim observanda, quae Concilium romanum eodem anno habitum in Clericorum disciplinam indixerat. Qui omnigena illustrium virorum laude ornati (hosce inter Gelasius I. sapientissimus eorum moderator, Leo uterque III. et IV., aliique) tanta gloria floruerunt, ut vix ulla esset deinceps in universo terrarum orbe Canonicorum RR. congregatio quae Lateranensis nomen sibi adsciscere nollet (366).

(364) Qui regulas Canonicis Regularibus S. Mariae Portuensis Ravennae tradidit.

(365) Vid. Labbeus T. XII. Concil. pag. 43. et 138.

(366) Vidd. Thomassinius, Muratorius, et Mabillonius, aliique, inter quos Pennottus et Zunggo jam a nobis citati pag. 260. et seq. II. Periodi hujus Historiae in nota (219).

§. XVII.

Praemonstratenses.

Canonici Praemonstratenses, ita dicti a gallico Monasterio hujusce nominis et totius Ordinis capite, originem sortiti sunt an. 1119. (367), a viro sanctitatis laude perillustri Norberto (368), et licet paupertatem vel potius egestatem ac mendicitatem initio pertulerint, manuali labore et jejuniis se se praeterea exercentes, in magnas tamen opes, ac miram omnino amplitudinem per Germaniam praesertim excreverunt (369). Muliebri quoque sexui, indulgente Norberto, tunc temporis datum est, ut illius institutum consequi posset (370).

§. XVIII.

S. Victoris.

Ordo Canonicor. RR. S. Victoris Parisiensis flu-

(367) Seu ut aliis placet an. 1121.

(368) Natus Santeni in Ducatu Cliviensi et fuerat antea Henrici V. Imperatoris Cappellanus.

(369) Hisce occasionem praebuit donatio arcis et ditionis suae facta a comite Godefrido de Cappenberg in Westphalia cujus castrum Caroli Magni et Witekindi sanguine celeberrimum est. Vidd. Annales Praemonstratenses infra citati T. I. P. I. col. 433.; et victoria a Norberto relata de haeretico Tanchelino.

(370) Norberti institutum ratum habuit Honorius II. an. 1129. Vidd. T. II. P. I. operis « Sacri et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales » Nauceii 1736. col. CIX. et Bollandiani ad diem VI. Junii. T. I. Jun. col. 811. et seqq. edit. Ven. 1741.

men profecto magnum e rivulo eductum. Ex sacello enim S. Victoris Lutetiae suburbano, quo humana contemnens Guillelmus Campellensis, anno circiter 1110. se receperat, nobilissimum illud monasterium excitatum est, unde notissima Scriptorum, qui *Victorini* audiunt copia, philosophicas ac theologicas disciplinas saec. praesertim XII. amplificavit (371). Ex iisdem initiis, a sacello nempe S. Rufi apud Valentiam, conspicuum Canonicorum RR. ordinem Gallia superiori saeculo sortita fuerat, atque inde Pontifices maximos Anastasium IV. et Hadrianum IV. Decem atque amplius Canonicor. RR. congregationes habuit Gallia (372), quarum nulla tam alta vetustas quam Cann. RR. Usetiae: hi enim, si antiquissimis testimoniis fides sit, a Roricio Augustini discipulo initia ducunt.

(371) Vid. Du Molinet in opusc. « *Figures des differentes habits des Chanoines réguliers en ce siècle. Avec un discours sur les habits anciens et modernes des Chanoines tant séculier que réguliers* » Paris 1666. pag. 35.

(372) Viget apud Gallos quamvis vetera pene omnia illius regni eversiones abstulerint, viget nomen Canonicorum Regularium S. Dionysii Rhemensis, quos Hincmarus in praeclari illius Apostoli obsequium statuit; neque in oblivionem adduci potuerunt Canonici Regulares Carnutenses S. Joannis, S. Martini in Campania an. 1128. adjutore praesertim S. Bernardo instituti, item et S. Laudi, et quos vocant *Du Val des Escoliers* per quatuor parisienses Doctores mundi pertaesos constituti et montis S. Eloy Atraebatensis unde Hadrianus IV. et quamplurimi sanctitate insignes Episcopi profecti sunt.

§. XIX.

Canonici Regg. alii.

—

Celebres sunt in Anglia Gilbertini a S. Gilberto Lincolniensi saec. XII.; in Austria Cann. RR. quos Leopold. Marchio an. 1140. Claustroneoburgensi monasterio donavit; in Polonia eadem quae propagatae ibidem Christianae religionis antiquitas Cann. Regularibus danda est: floruere item apud Bohemos, Russos, invectique sunt in recuperatam Palaestinam, et Cann. RR. S. Sepulcri appellatione internoscuntur: Pompejopoli in Hispania eos instituit an. 1106. Petrus ejusdem urbis Antistes. Amplissimum denique est apud Lusitanos nomen Cann. RR. S. Crucis Connimbricensis, qui parentem venerantur S. Theothonium, quique praeclaram religionis ac scientiarum lucem apud eas gentes intulere (373).

Caeterum hi omnes una cum *sanctimonialibus*, *quae*, ut inquit Chabillonense Concilium An. 813. *se Canonicas* vocant, licet variis pro locorum ac temporum conditione legibus, uterentur, Augustini nomine nobilitantur (374).

(373) Haud praetereundi videntur inter Helveticos Canonici Regulares S. Mauritii in Sedunensi Diaecesi, quos Carolus M. et Ludovicus filius magnopere auxerunt. Cf. sup. cit. Du Molinet.

(374) Quoad ritus et Ecclesiae usus ac consuetudines peculiares praeter jam cit. auct. vidd. opusc. anonym. (Jacobi Boileau) inscri-

ptum « *Historica Disquisitio de re vestiaria hominis sacri* » Amstelodami 1704. Joan. D. Thiers « *Histoire des Perruques* » Paris. 1690. Carmel. « *Storia di varj costumi sacri e profani.* » Padova 1750. « *Liber de processionibus ecclesiasticis* » edit. Paris. 1641. et opusc. anonymi (Joannis Le Lorin) « *De l'ancienne coutûme de prier et d'adorer débout le jour du dimanche*, *et de fête etc. ou abregé historique des cérémonies anciennes et modernes* » à Liege 1700.

Joannes Bona *Rerum liturgicarum* Paris 1676. et de divina Psalmodia edit. Paris 1768. Augustinus Krazer *de apostolicis nec non de antiquis Ecclesiae occidentalis liturgiis.* Augustae Vindelicorum 1786. Bernardinus Ferrarius « *De ritu sacrarum Ecclesiae veteris concionum.* » Veronae 1731. *Liber Diurnus Romanorum Pontificum* edit. a Garnerio Parisiis 1680. ubi adsunt formulae scribendi, quibus usi sunt Romani Pontifices VI. VII. VIII. et IX. saeculo, et ordinationes, professiones fidei, privilegia Dei. Leo Allatius *de templis graecor. recentioribus.* Coloniae Agrippinae 1645. Chardon « *Storia de' Sacramenti* etc. » Verona 1754. Eusebius Renaudotius in *Liturgiarum orientalium collectione.* Paris. 1716. Mabillonius Joh. « *De Liturgia gallicana*, » ubi de veteri missa. Paris. 1729. Dominicus Georgius « *de Liturgia Romani Pontificis.* » Romae 1731. Christophorus Marcelli (sed vere Augustinus Patricius. vid. Apostolum Zeno - *diss. Vossiane* T. II. ubi agit de auctore et de causa raritatis hujusce editionis) *Rituum Ecclesiasticorum ..... libri tres.* - Venetiis 1516., quae editio princeps rarissima est. Muratorius in *Liturgia romana* Venet. 1748. Joannes Baptista Gattico Can. Reg. « *Acta selecta caeremonialia.* » Romae 1753. opus imperfectum quia ab Benedicto XIV. suppressum. Assemannius, Durantius, Zaccaria, aliique.

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS.

Haud deerant veteribus sectis nonnullis, de quibus superiori periodo egimus, locus et gratia apud populos extra Graecorum et Latinorum fines. Favebant Nestorianis et Monosophytis Arabes, ingerebantque iis animos ut gentes Christianae veritatis adhuc expertes vel potius ignaras, propriis placitis allicere studerent. Labentem saec. X. eorum fortunam continuere deinde Arabum proceres, queis permulti ex illis ob rerum gerendarum peritiam, et medicinae scientiam pergrati acceptique erant; saeculis XI. et XII. multis casibus modo erecti, modo jacentes. Armeni autem Monophysitae, queis nil cum Nestorianis commune, insidente Petri Cathedrae Eugenio III. medio fere saec. XII. cum Romana Ecclesia coaluerunt. Photium ejusque indolem et vices ita expressimus, ubi Concilia et Ecclesiae doctrinam proposuimus, ut ab iisdem modo retractandis facile abstinere liceat. Quoad occidentales provincias, eo potissimum tempore injecta sunt semina haeresum illarum, quae saec. XVI. Europam exagitarunt, et illius etiam fines excesserunt. Divinitus autem

Ecclesiae prospectum esse arbitramur, ut saec. X. quo dira saeviit vitiorum illuvies, nulla exagitaretur haeresi, quae latissimam perniciei materiem profecto nacta esset.

§. I.

Iconoclastae.

—

Inter Graecos, Irene exsilio affecta, recruduit pugna de S. Imaginum cultu, variaque fortuna dimidiam fere cepit noni saeculi partem. Anno R. S. 814. Leo Armenus pravis Iconomachorum partibus addictus, bellum S. iconibus earumque cultoribus, instauravit, exacuitque saevissime Michael, blaesus, qui Imperator renunciatus est post necem Leonis an. 820. quamvis hujus initia dissimulationem impietatis, et eorum reditum attulerint, quos Leo ob fidei causam fuerat insequutus. Hujus furor, quem externi hostes aliquantulum continuerant, hisce prostratis, erupit, exsilioque et aerumnis restituit, quos deceptrix clementiae species evocaverat. At longe etiam excessit Theophilus illius filius, qui in Caelitum effigies excandescens igni vorandas, pictores morte plectendos imperavit, et satis indicii sit illius immanitatis cum in muta et inanima tantopere saevitum fuerit. Erexit Catholicorum fortunam, et venerabiles icones Theodora Aug. quae, Theophilo exstincto an. 842., Michaelis filii, adhuc pueri, tutamen et custodiam susceperat. Ejus

auctoritate factum est, ut Concilii Nicaeni II. decreta restituerentur, et Joanni pseudo-Patriarchae praeclarus Christianae Fidei testis atque professor Methodius subrogaretur. Favit Catholico nomini Michael illius filius maternum exemplum sequutus, et Iconomachorum haeresis diu latuit, donec XII. Ecclesiae saeculo, alio licet nomine, prodiit (375).

§. II.

Pauliciani.

—

Qui a Paulo quodam apud Armenos VII. saeculo originem petebant, Pauliciani inde appellati, Asiam universam hac periodo exagitarunt. Freti patrocinio Nicephori Logothetae impune habuerunt quidquid seditiosum molirentur, quidquid fallax et pravum e Manichaeorum placitis deductum eloquerentur. Variam experti fortunam Michaelem blaesum haud infestum sensere, infensissimam autem Theodoram illius matrem, cujus imperiis severissimis medio fere saec. IX. pars eorum caedibus obtrita, pars Saracenorum jugum accepit: reliqui urbem sibi tamquam factionis propugnaculum condidisse dicuntur, quam vero nec tutam sortiti sunt, premente sub occasu saeculi illius Basilio Macedone. At non ita depressi ut non quandoque se ex-

(375) Recolantur quae diximus in nostris notis superioribus (94), (95), (96).

tulerint et erroris praecones in Bulgariam aliove abire jussi, eorum vires reficiendas studuerint.

§. III.

Eorum propagatio et placita.

Nonum Ecclesiae saeculum vix decesserat, et Pauliciani ad Bulgaros et Slavos migrarunt, apud quos eorum etiam qui dicebatur, Pontificatus se se transtulit. Ex Bulgaria manavit factio in Italiam, conseditque primo in Sicilia, Insubria, et Liguria, unde faces in Galliam immisit, multaque pro locorum atque hominum varietate nomina accepit. Haec autem iis erant doctrinae capita: duo coaeterna rerum omnium principia, quorum alterum a supremo totius mundi Conditore distingueretur, Christus veri corporis exspers, nec vere natus ac mortuus: Crux diris exsecranda in quam infandas edere contumelias consueverant; aliaque demum vel Manichaeorum propria vel similia quae in infinitos errores excreverant (376).

(376) Vid. Eutymius Zigabenus in « Panoplia orthodoxae fidei e graeco in latinum translata per Petrum Franciscum Zinum » Lugduni 1556. ext. etiam T. XIX. Biblioth. PP. Lugd. pag. 1. nec non Photius c. Manichaeos ext. in Wolfii anecdot. Graec. edit. Hamburgi 1722. T. I. Petrus Siculus de ortu Manichaeorum edit. Ingolstadii 1604. ,. Cedrenus, Zonaras et inter recentiores Fr. Schmidius in diss. hist. Paulicianorum edit. Havniae 1826.

§. IV.

Schisma Mich. Caerularii.

—

Inquieti pravique ingenii specimen dederat Michael Caerularius Constantinopolitanus in ea conjuratione quam habuerat adversus Mich. Paphlagonem Imp., vindici propterea monasterii claustro coercitus. A Constantino *Monomacho* in thronum Constantinopolitanae Ecclesiae inde sublatus anno 1043., et longa dissimulatione tandem evolutus, in Romanam Ecclesiam furere an. 1053. ac nequissimis eam calumniis divexare caepit. Quippe Latinis exprobrabat ineptam Eucharistico Sacramento azymorum consecrationem, immundas animalium epulas, quadragesimae violationem, additionem denique particulae *Filioque*, unde processionum Divinarum doctrina depravaretur, abnormem Romanae Sedis praestantiam, aliisque multis catholicos sacerdotes et Pastores onerabat. Hunc necnon et Leonem Acridanum Archiepiscopum sceleris socium, Leo IX. Pont. Max. tum disertissimis Epistolis, tum honestissima Legatione ad abjiciendos errores inducere conatus est, deinde Apostolicis Legatis contumeliose obsistentem sacris communibus privavit. Hinc, exagitante animos furore, damnatoriam eandem sententiam in Legatos Michael retorquet, Pontificis nomen e sacris Dyptichis exscindit, suisque odiis Episcopos alios et Graecas provincias inflam-

mat. Quod tamen incendium non orientalis omnis plaga eodem saeculo concepit, licet male obrutum altius identidem postea resurrexerit. Caeterum Graeci fallaciis et captionibus pleni, ita errores suos obtegebant, ut pauxillum a Catholica veritate sejungi viderentur. Id conqueritur apud Eugenium III. Bernardus quia, ut ipse ait: « *Nobiscum sunt et non sunt, juncti fide, pace divisi, quanquam et in fide claudicaverunt a semitis rectis* » (377).

§. V.

Berengarius.

—

Berengarius civis et Canonicus Turonensis, et Andegavensis deinde Ecclesiae Archidiaconus, vir optimis quidem institutoribus, at indocili ingenio usus, id inauditum antea ac novum protulit, figuram tantummodo Corporis Domini in Eucharistia exhiberi. Ea hominis audacia vehementer commoti Ecclesiarum Antistites, et Doctores Catholici qua Synodis, qua scriptis vulgatis meliorem illi mentem ingerere studuerunt. Hanc ficto demissoque vultu simulavit an. 1054. in Turonensi Concilio, quo ad haeresim ejurandam Gerardus Card. et Hildebrandus Victoris II. Legati eundem induxerant. Verum, Concilio vix dimisso, nullus Berengario pudor ea-

(377) Vid. Natalis ab Alex. Hist. Eccl. T. VII. pag. 72. edit. al. cit. Maimbourgus de schismate graecorum al. cit. et Leo Allatius de Ecclesiae occid. et orient. perp. cons. al. cit.

dem, quae antea, edocendi, adeo ut opus fuerit Nicolao II. Pontifici an. 1059. Concilium Romam vocare frequens Episcopis tribus supra centum, ubi formulae fidei ab Humberto Card. oblatae Berengarius jurejurando subscripsit; immo et librum suum igni dedisse fertur. Sed et turpius abrupit fidem, eamque apud gallica Concilia nonnulla flexiloquis ac mendacibus testificationibus iterum atque iterum involvit. Romam accitus Gregorii VII. perspicacitatem fefellit, calumniatus praeterea quod a tanto Pontifice in Concilio an. 1078. Romae habito, ubi aliam quoque fidei confessionem edidit, percallide fuisset deceptus: deceptor ipse, ita vivam, qui in violatae rursus fidei crimen apud Burdigalense Concilium biennio post vocabatur. Haud amplius prodiisse coram Ecclesia Berengarium, et in paraecia quadam suburbana Turonensis civitatis, seductam ab hominum frequentia vitam egisse legimus, usque ad an. 1088. quo eam absolvit. Haesisse autem ad extremum in errore suo minime contendendum videtur, cum obstent Scriptores illorum temporum nec pauci nec obscuri, qui perdolentem admissorum Berengarium describunt: at utinam clarioribus monumentis illius paenitentia testaretur.

§. VI.

Berengarii doctrinae.

—

In alias quoque Ecclesiae Catholicae doctrinas peccasse Berengarium volunt, utpote qui parvulorum baptisma, legitima conjugia, et continentiam damnarit; at hisce erroribus vel omnino caruit, vel cito abstinuit, Eucharistiae tantummodo obfirmate resistens. Hanc (ut saepe fateri non puduit) negavit, « *esse vere substantialiterque Corpus et Sanguinem Domini*, *sed sola voce sic appellari* contendit *pro eo quod tamquam umbra et figura significativa sit Corporis et Sanguinis Domini.* » Sunt qui putent, Berengarium Catholicis doctrinis undique perstrictum ad *Realitatis* veritatem accedendo *transubstantiationi* repugnasse, adducti ex eo quod Lanfrancus, quem ille in suas partes allicere studuit, utrumque in eum vehementissime asserat, *praesentiam* simul *realem* et *veram ac propriam conversionem*. Christum sub pane latentem, seu, ut vocant *impanationem*, e Berengarii placitis minime colligere licet, melius vero e secta quadam illius doctrinis addita, quae germanas Berengarii sententias in proprium succum ac sanguinem vertere gloriabatur. In Berengarii errorem autem undique conclamatum fuit, et mirificus inde Catholicae veritatis splendor accessit. Ut enim caeteros praetereamus, Berengario obviam itum est ab Adelmanno disertissima in eum Epistola, ab

Hugone Lingonensium Antistite brevi *de Corpore et Sanguine Christi* Tractatu, a Durando Ab. Troarnensi, qui optimis Scripturae et SS. Patrum argumentis utitur, a Lanfranco Arch. Cantuariensi libro item *de Corpore et Sanguine Domini*, a Guitmundo, Ruperto, Algero, aliisque multis, quos inter Ecclesiasticos Scriptores invenias (378).

§. VII.

Petro-Brusiani et Henriciani.

—

Errores Petri de Prusio (de Bruis), qui Arelatensem provinciam anno circit. 1119. occupabant, descripsit Petrus ven. Ab. Cluniacensis. Indè procul dubio colligimus, improbasse Baptismum immatura adhuc infantium pueritia, mendacem putasse Consecrationem, nullam Christiani Sacrificii potestatem, et in templa divino cultui addicta, in cruces ac venerabiles icones insano furore exarsisse, unde simul et Berengarianos et Iconoclastes in hoc hominum grege, fortasse etiam, ut putarunt nonnulli, Manichaeos ostensos videas. Cum Petrus Anatiliae sceleris paenas igne dedisset, Henricus, ut Petrus ven. appellat, *haeres nequitiae ejus*, qui monasticam professionem abjecerat, illius sectam pro-

(378) Vid. n. nota sup. (274). Tres fidei formulae ab eo editae in tribus conciliis romanis extant in analect. Mabillonii al. cit. p. 519. et in Bibliotheca medii aevi Fabricii T. I. p. 212. Cf. Dupin in *Histoire des controverses traitées dans l'onzième siècle* alias cit.

pagabat. Rigidae virtutis speciem et Divini Spiritus afflatum simulans, haeresis virum haud ita callide adspersit, quin in aperta flagitia erumperet, nam Cenomani, ejus impulsu et crudelitate, plebs in Sacricolas irruens, indignissimam caedem perpetravit. Tanti facinoris gravitate commotus Eugenius III. Albericum Ostiensem Episcopum in Gallias Legatum abire jussit, qui, adscito sibi Bernardo Claraevallensi, multos ad avitam pietatem revocavit (379).

§. VIII.

Petrus Abaelardus.

Petri Abaelardi patria fuit Palatium, quod est oppidulum Namnetensis Diaecesis, prima vitae institutio militaris; deinde quo natura ferebatur, philosophica, et dialectica exercitatio ingenium sponte peracutum ad subtilissimas disputationes comparavit. Famam vero quam inter discipulos Guillelmi Campellensis, et Anselmi Laudunensis, ac deinde varias provincias docte peragendo excitaverat, valde inquinarunt libidinosi amoris vincla, queis Heloisae (380) cuidam adstrictus est, quibus laxatis, et cum ambo ad monasticam disciplinam conversi es-

(379) Vid. Petrus venerabilis sive Mauritius Monachus Cluniacensis in tractatu adversus Petrobrusianos haereticos ext. ap. Marrier in Biblioth. Cluniacensi edit. Lut. Paris. 1614. p. 1118.

(380) Quam Fulbertus Parisiensis Canonicus avunculus ei commiserat ut in litteris institueretur.

sent, magnas tempestates subiit, tum ob intestinas fratrum discordias, tum ob librum quem *de Trinitate* conscripsit. Huic obstitere S. Bernardus, Guillelmus Ab. S. Theodorici, Gauffridus Ep. Carnutensis atque alii, perinde ac Filii et Sp. Sancti potentiam imminueret, atque hunc Patri et Filio *consubstantialem* inficiaretur, liberi arbitrii vim plus aequo extolleret, concupiscentias et delectationes culpa vacuas constitueret, neque tuto habenda essent quae protulit in descendentem Christum ad inferos, in potestatem ligandi atque solvendi Apostolis traditam, et sic de multis praeterea. Quae ad Suessionense Concilium delata an. 1121. contrarias ac tristes libro atque auctori sententias acceperunt, neque absimiliter an. 1140. in Senonensi Concilio, a quo cum Abaelardus ad Romanam Sedem provocasset, Innocentium II. Pont. Max. Concilii comprobatorem persensit. Quae in sui defensionem ipse cum aliis nonnullis adducit, ea vel aliquid errorum numero detrahunt, vel peccatum multiplicis atque insolentis dialecticae impiae haeresis peccato interdum substituunt. Caeterum Pontificis oraculo penitus acquiescens, inter Cluniacenses pie defunctus an. 1142. aetatis suae 63, et Petri ven. ellogio honestatus, graves vitae notas aliquantum eximit (381)

(381) Vid. vita Petri venerab. in Biblioth. Cluniac. cit. pag. 553.

§. IX.

Gilbertus Porretanus.

—

Hic quoque philosophia omni ac theologia ornatus, neque sanctissimo quo fungebatur muneri (erat enim Pontifex Pictaviensium) nec partae sibi laudi respondit quippe qui de Trinitate agens communi apud Ecclesiam universam fidei repugnarit. Etenim ut Catholici illius aevi Doctores de eo interpretabantur, divinitatem et Dei proprietates *absolutas* et *relativas* esse Deum negavit, et Divinitatem formam esse, qua Deus est, bonitatem qua bonus, magnitudinem qua magnus, haberi voluit. Neque aliis caruit erroribus, opinatus, nullum mereri praeter Christum, nullum Baptismo donari, nisi salute donandum. Quae cum apud Eugenium III. delata essent; nec duabus Synodis Antissiodorensi, et Parisiensi an. 1147. finem accepissent, incubuit in eam causam Concilium posteriori anno Rhemis habito, cujus auctoritatem necnon et contrariam sibi Eugenii sententiam Gilbertus humillime reveritus, et juncta cum duobus Archidiaconis accusatoribus concordia, Pictaviensi Ecclesiae est restitutus (382). Insanae quoque indulsit doctrinae sub finem illius saeculi Joachim Ab. qui divinas personas aliud esse censuit a divina natura, at Gilberti exemplo, scripta

(382) Apud Cluniacenses fatis cessit. Vid. Otto Frisingensis al. cit.

sua omnia morti proximus Apostolicae Sedis judicio permisit (383).

§. X.

Arnaldi Brixiensis factio.

—

Dum Abaelardi et Gilberti errores per Galliam serperent, civilem et sacram omnem rempublicam turbabat in Italia Arnaldi Brixiensis temeritas eo nocentior quo sanctitatis specie et monasticis integumentis atque involucris obtenderetur. Reversus a Gallia, ubi Abaelardi auditor fuerat, ut principatum adversus Ecclesiam augeret, hujusce jura infringere caepit, aeternae salutis aditum inficians clericis et monachis qui bonorum possessione, Episcopis qui *Regalia*, ut vocant, fruerentur, neque pravis in Eucharistiam et in Baptismum parvulorum opinionibus expers putabatur. Hunc in Lateranensi Concilio an. 1139. (384) damnavit Innocentius II. et exsilio apud Helveticos affecit, at Arnaldistas Romam submoventes omnino evellere non potuit. Quibus animos atque audaciam fecit ipse furialis seditionis auctor cum, mortuo Innocentio, Romam se se an. 1145. proripuit, instauraturus patriciorum dignitatem, equestrem ordinem, insectatus acriter Eugenium III. Pontificem, et multos e Cardinalibus male a vesana plebe mulctandos permittens. Hasce turbas dum rur-

(383) Ejus liber sive tractatus contra nonnullas Magistri Petri Lombardi opiniones damnatus fuit in Concilio Lateranensi IV. an. 1215. celebr. T. XIII. Concil. Labbei col. 930.

(384) Vid. T. XII. Concil. Labbei col. 1509.

sus cieret an. 1155. Friderici Imperatoris manus non effugit; immo comprehensus a Petro urbis Praefecto, cujus dignitatem Pontificiis juribus assentatorie adeo praetulerat, infanda scelera ardenti rogo expiavit. Eadem fere severitas discipulos Arnaldi triginta coercuit, qui post ejus fata in Gallias et in Angliam migraverant.

§. XI.

Waldenses, et varia eorum nomina.

—

Protestantes qui a Waldensibus originem suam comminiscuntur hanc non a Petro Waldo, immo potius a Claudio Ep. Taurinensi qui saec. IX. vixit, aut ab aetate S. Silvestri I. aut altius etiam petere gloriantur. At haec jactantius magis quam juxta historiae fidem, quae Petrum Waldum e Lugduno, seu a Waldensi oppido apud eam urbem, totius sectae auctorem et ducem procul dubio confirmat. Hic enim subita amici cujusdam morte perhorroscens, et bonis in pauperes distributis, ac si ita loqui possumus, virtutis impetu plures ad se pertraxit, quos inconsulte primum ac temere Evangelicis doctrinis, deinde in Clericorum instituta et mores invidia tristique odio imbuit. Non Waldenses modo sed et *Leonistae et pauperes a Lugduno* nuncupati fuere, *Sabbatati et Xabatenses* vel quia obsoleto calceamento, ut Hispanice redditur, *Zappato*, uterentur, vel quod nulla Sabbatha sive dies Catholicorum festos agerent. Haec praecipue nomina quae

Waldenses designant, sed et alia permulta vel ex locis quibus versabantur, vel ex sectis queis aut socii, aut auctores fuere. Itaque *Picardi*, *Albigenses*, *Lombardi*, *Bohemi*, *Bulgari*, *Arnaldistae*, *Speronistae*, *Josephistae*, *Henriciani*, *Pathareni* qui durissimi vitae generis patientes se se praedicarent, *Cathari* peculiari cuidam saectae addicti, contumeliose demum a Catholicis *Poplicani*, *Textores*, *Turlupini*, *Ribaldi* etc. vocati sunt.

§. XII.

Waldensium errores.

—

Haud infestum Ecclesiae consilium fortasse inierat Petrus Waldus, qui novum ordinem paupertatis patientia instructum excogitaverat, neque ut Bossuetus putat (385), peculiarem errorem vel adhuc amplexus fuerat, vel patefecerat. At Scripturarum ignorantia cum superbissimo judicio simul conjuncta, latissimam Ecclesiae perniciem molita est, nullaque fere iis temporibus haeresis eruperat, quae in Waldensium sectam veluti in sentinam non conflueret. Quamquam nec ea prorsus nova, cum a pol-

(385) Hist. des Variat. lib. XI. §. 89. Sed de Waldensibus eorumque doctrinis primigeniis, quae in recentiores postea haereticos dimanarunt, recens consulendum est ne pereruditum opus « *Origine dei Valdesi e carattere delle primitive loro dottrine Ricerche istoriche di Mons. Andrea Charvaz Vescovo di Pinerolo. Versione del Prof. Gio. Francesco Muratori.* Torino presso G. Bocca 1838. et tandem consulatur *Dizionario di diritto amministrativo pubblicato dall' Avv. L. Vigna e da V. Aliberti. Torino* 1841. V. Accattolici.

lutis Donatistarum, Vigilantii, et Iconomachorum fontibus effluxerint. Ferebantur itaque in Romanam Ecclesiam, quam *Ecclesiam malignantium*, meretricem magnam, cujus rectorem errorum omnium magistrum, et concitatorem turbarum, cujus Antistites, Scribas, et Pharisaeos nullo inter se ordine distinctos, nullo honore prosequendos exprobrabant, Ecclesiae item bona, immunitates, concilia praeterea et conventus omnes contumeliose arguentes. Quoad Ecclesiae Sacramenta, duobus tantummodo assentiri videbantur, Baptismo et Eucharistiae, licet ea quoque malitiose interpretarentur. Inanes enim in Baptismo catechesim, benedictiones, et caeteros ritus putare, et si Reinero sit fides, qui id genus hominum accurate descripsit, aeternam praeter salutares lymphas, infantibus gloriam polliceri; nullam ab indigno ministro Eucharistiae consecrationem, Missam ejusque ritus quaestuosi figmenti loco ducere, saepe etiam Transubstantiationem ipsam aperte inficiari. Quidquid denique sacrorum institutorum esset Waldensis pravitas Scripturarum sententias pervertens delere conabatur, precationes piaculares, honorem quemlibet Caelitibus sanctis, altaria, icones, sacram omnem supellectilem, jejunia, salutare crucis signum, templa ipsa in quibus *manufactis* Deus minime habitet. Waldensium secta, rectores pastoresque suos sibi constituit, qui in Pseudo-Synodos coacti illius incrementis operam darent, et conciones palam haberent: dolosissima autem in

gregalibus cunctis simulatio virtutum eaque audacia incredibilis, quae Waldenses tamquam religiosum ordinem jactanter praedicabat (386).

§. XIII.

Waldensium Sectae. Cathari.

—

Varia errorum propagatio a Waldensibus initia sumpsit. *Ortlibenses* Trinitatem ante Christum natum fuisse, corporum resurrectionem, supremum judicium etc. inficiabantur: *Ordibacii* aeternitatem mundi, Christum vitiis obnoxium: *Contorezenses* angelicam dumtaxat Christi naturam, animas Virginis M. Apostolorum ante judicium immortali gloria expertes: *Paterini* Luciferum adspectabilis hujus mundi conditorem, matrimonium faedum adulterium: *Passagini* Christum Patri inaequalem, omnimodam mosaicam legis observantiam propugnabant. Horum omnium numerosissimi *Cathari*, quibus Sacramenta omnia fallaces praestigiae, nuptiae scelus obscenum, depressio haereticorum, lethale crimen videbantur. Horum rursus divisio triplex; *Albanenses*, *Cantorezenses*, *Bagnolenses*: qui communibus sectae erroribus duo rerum omnium principia, inaequalitatem in Trinitate, fictam Chri-

(386) Cf. Reinerus Sachonus in libro contra Waldenses ext. inter scriptores Succedaneos Lucae Tudensi Jacobi Gretseri pag. 45. edit. Ingolstadii 1613. et inter opp. Gretseri T. XII. Part. II. pag. 23. et T. XXV. Biblioth. PP. Lugd. pag. 262. et inter scriptores rerum Boemicarum Freheri pag. 222.

sti patientis, et morientis speciem, Veteris Testamenti libros diabolicum faetum, multaque id generis monstra adjiciebant. Aliam Catharorum manum Joannes quidam Lugdunensis conflavit eosque edocuit, innocentes homines et mundum ab omni aeternitate creatos, Deum malorum minime praescium: aliam Mediolani paravit Bonacursus, qui cum postea resipuisset illius erroribus, Daemoni videlicet omnium parenti, inspiratori Prophetarum, perditae jamdudum Ecclesiae, Eucharistiae impossibili etc., dedito libro sese opposuit (387).

§. XIV.

Waldensium repressiones.

—

Primus ad Waldensium errores depellendos, animum adjecit Alexander III. in Turonensi Concilio an. 1163. quod identidem secutae sunt Synodi Lumberiensis an. 1176., Tolosana an. 1178. Accessere contrariae Waldensibus sententiae a Concilio Oecumenico Lateranensi III. an. 1179. a Lucio III. Pont. Max. et a Synodo Senonensi an. 1198., nec notatae tantummodo haereses, sed earum propagatores fautoresque variis paenis addicti (388).

(387) Vidd. Moneta adv. Catharos et Waldenses alias cit. Bonacursus in manifestatione haeresis Catharorum apud Dacherium T. I. Spicil. pag. 208. al. cit. Reinerus Sachonus in summa de Catharis et Leonistis ext. T. V. collect. anecd. Martene pag. 1761.

(388) T. XIII. Concil. Labbei.

Et cum sensissent principes maximum adesse populorum discrimen, si religio omnis insane adeo misceretur, nefarium hominum genus ultricibus paenis continendum arbitrati sunt; quod praestitere Alphonsus praesertim Aragonum Rex, qui an. 1194. Waldenses e finibus ditionis suae, tamquam perduelles profligavit, postea vero Fridericus II Augustus, atque alii. Adde scriptores qui flagitiosae haeresi obviam processere, Ebertus Ab., Bernardus Ab. Fontis calidi, Ebrardus de Bethunia, et qui se se ultro veritatis assertorem dedit, Reinerus qui Waldensium haeresim, et pontificatum Catharorum cum Catholica professione, imo cum Dominicianis institutis feliciter commutavit.

§. XV.

Vesani. Albigensium errores.

—

Eodem, quo Waldenses, hostili immanique hodio exarsere in Romanam Ecclesiam, *speluncam latronum*, ut impie exsecrabantur, Albigenses, ita nuncupati ab Alba Helviorum (389), Galliae civitate, ubi haec pestis post medium saec. XII. invaluit. Duo illis suprema rerum omnium numina, quorum Benignum alterum invisibilia, Malum alterum visibilia condidisset: bonus item Christus at humano conspectui impervius, malus vero qui vitam

(389) Seu ab ditione urbis Albigae quae Albigesium etiam nuncupatur.

in terris agitaverat; Veteris Testamenti auctor mendacissimus; veteres illi Patres, Joannes Baptista imprimis, perpetuis ignibus flagrantes; corporum resurrectio, et purgatoriae paenae puerilibus fabellis adscribendae. Quidquid esset vis ac potestatis in Sacerdotio augusto, in salutiferis Ecclesiae sacramentis pari audacia pessundare, Sanctorum imagines vel abolere, vel deformes et monoculas in turpem contemptum proferre; Mariae Virgini (quis non horrescat?) meretricis nomen impingere; sacris Christianorum sollemnibus insanos jocos inserere. Ad haec, profanae quaedam scripturae Philosophorum et Patrum sententiis ornatae, at veneno acri perfusae, conficta atque ultro objecta haereticorum prodigia, grandes adhibitae signiferis suis laudes, in Catholicos Pastores calumniae, nullis denique praestigiis, nullis flagitiis temperatum est, quibus Ecclesia discindi videretur. Fulta praesidio Raymundi Comitis Tolosani Albigensium factio per Galliam, et Occitaniam praesertim regionem saevissime grassabatur, adeo ut ingentibus Catholicorum opibus, quod posteriori saeculo constet, ad ejus vires infringendas opus fuerit (390).

(390) Vidd. Lucas Tudensis «De altera vita fideique controversiis adversus Albigensium errores libri tres a Joanne Mariana in lucem prolati. » Ingolstadii 1612. Petrus Sarniensis seu Vallis Cernaii Monachus in historia Albigensium et sacri belli in eos suscepti an. 1209. Duce Simone de Monteforti: ext. T. V. Scriptor. Francor. Du Chesne pag. 554. Lut. Paris. 1649. et in Bibliotheca Cisterciensi Tissieri T. VII. p. 1. Bonofonte 1669. M. Guillelmus de Podio Laurentii in

§. XVI.

Haereses reliquae.

—

Saeculo Ecclesiae nono danda est eorum haeresis, qui electionis divinae et reprobationis decreta salutis aut aeterni necessitatem exitii inferre putabant. At Gothescalchi (391) nomine ac doctrinis nescio quam vere, uti consueverunt, Manichaeos, et antiquos haereticos imitati sunt Stephanus et Lisius Clerici Aurelianenses, qui Vet. Testamentum, individuam Trinitatem, veram Christi passionem, suppliciorum aeternitatem, Eucharisticum Domini Corpus irridentes Synodo Aurelianensi revicti sunt, et flammis absumpti (392). Quo supplicio, jussu Alexii Comneni periit Basilius quidam, Bogomilorum (393) haeresis signifer, qui Manichaeorum placitis et ipse subscribens, plura alia de daemonibus defuncta corpora invadentibus, et multa praeterea errorum monstra superaddiderat (394).

chronica super historia negotii Francorum adversus Albigenses ext. T. V. Script. Francor. Du Chesne pag. 666.

(391) Cf. caput IV. sup. §. 9. pag. 250. ubi de Gothescalcho.

(392) Vit. Lucas Dacherius T. I. Spicil. vett. script. p. 604.

(393) Qui sic appellabantur, quia continuo voces proferebant *bogo milui* quae in lingua Bulgarorum audiunt *Deus miserere*. Originem ducunt a Paulicianis nec ab antiquis Gnosticis differunt, nisi quod loco Demiurgi habent Satanaelem cui tribuunt quidquid Catholici de Lucifero persentiunt.

(394) Qui plura cupit adeat Joannem Christophorum Wolfium in historia Bogomilorum, qua eorum fata, doctrinae, et mores exponuntur. Witembergae apud Christianum Theophilum Ludovicum 1712.

Nova Nicolaitarum facies se praebuit, qui cum castimoniam sacerdotio conjungere detrectarent, nuptias sibi ineundas esse arbitrabantur: horum tam ingens crevit multitudo, ut Nicolao II. Pont. Max., vix aliquem haberet Mediolanensis Ecclesia, cui ea labes minime adhaeresceret (395). Tres in Deo personas substantia distinctas, licet eadem omnino voluntate, atque omnes humana natura praeditas comminiscebatur saec. XI. Roscellinus, patria Compendiensis, dialecticae perstudiosus, quam Abaelardo tradidit. Fallacissimam ejusmodi sententiam amovere visus est an. 1092. apud Synodum Suessionensem, quae diem illi dixerat; verum eandem paullo post confirmavit, quam S. Anselmus, egregie convulsit (396).

Notis omnibus turpitudinis insignis Tanchelinus, per medios voluptatis suae satellites magnifice incedens, inter schyphos et vinolenta convivia faedissimos errores, qui vix mente concipi queant, saec. XII. effudit. Se Dei Filium somniali figmento jactans, sacerdotium omne, ac Sacrificium abrogandum esse clamabat: qui tantum habuit nequitiae, tantum denique in libidine efficacitatis ut, ante ora parentum et conjugum, uxores et filias audacissime constupraret. Norbertus vero Cann. RR. Praemonstratensium parens, teterrima qua contaminabatur

(395) Recolantur quae diximus de Gregorio VII. quoad caelibatum Clericorum cap. II. sup. *de Romanis Pontificibus*.

(396) Exarato libro *de Fide Trinitatis*, *et de Incarnatione Verbi*.

contagione, Antuerpiam initio fere saec. XIII. liberavit (397).

In eo versatus est sub exitum saec. XII. error Folmari (398), quod solum Christi sanguinem sub specie vini, et solam ejus carnem sub specie panis, nec Filium hominis, sed carnem Filii hominis intelligeret: laude honestandus cum hanc sententiam abjecerit. Inter eos qui ita insaniere, insanissimum Eudonem, seu Eonem Britannia oriundum, Remensis Synodus an. 1148. custodiae mandavit, cum se eum omnino esse clamaret *qui judicaturus est vivos et mortuos*, et gregales suos Apostolos atque Angelos appellaret. Hi quoque varias, mortuo in vinculis magistro, scelerum paenas dedere (399).

Apostolicorum nomen corrupta alia hominum factio sibi indidit, quae cum sinceram doctrinam veramque Ecclesiam tenere gloriaretur Baptismum parvulorum, Sanctorum caelitum cultum, defunctorum suffragia, respuebat, et muliebri interea libidine sese inquinabat: Manichaeum quidquam redolens cum nuptiale foedus improbaret, et carnibus et lacte abstineret. Apud Agrippinam coloniam viguere, et S. Bernardum refutatorem perpessi sunt (400).

(397) Vidd. Bollandiani in Vita S. Norberti ad diem VI. Jun. T. I. Jun.

(398) Vid. Dominicus Bernino in *Historia di tutte l'eresie*. Roma 1707. T. III. pag. 218.

(399) Vid. Guillelmus Neobrigensis *De rebus Anglicis* lib. I. Paris. 1610.

(400) Serm. 66. in Cant.

Nihil est itaque tam incredibile, nihil tam absurdum, quod faciles ad pejora hominum mentes concipere et contendere, nihil tam sanctum quod suo ingenio violare nequeant. Ingens errorum quos innuimus multitudo satis declarat, nulli sacrorum dogmatum relligioni, nullis vetustae disciplinae legibus, nulli rituum majestati haereticos saec. XII. *multa febri phreneticos* pepercisse, et tamquam si offusa Christianae Reip. nox esset, ruentes in tenebris, omnia permiscuisse adeo, ut quid posterior haereticorum impietas ex tot monstris eligeret, non quod excogitaret atque inveniret, tunc temporis relictum sit. Illud etiam quammaxime viguit, ut mendaci divini eloquii interpretationi haereticorum impudentia et audacia inniterentur, cujusce rei indicio sunt Waldenses illius corruptionis et effluentis inde nequitiae omnis auctores et principes. Hisce ausibus queis Ecclesia impetebatur, non virtutem modo et pietatem, ut superius apparet, opposuit Deus, sed et doctrinam Christianae veritati vindicem, ut proxime insequens Caput de Ecclesiasticis Scriptoribus demonstrabit (401).

(401) Quoad alios errores hujus periodi vid. sup. cit. Bernino in *Historia di tutte l'heresie.*

CAPUT VII.

de Scriptoribus Ecclesiasticis (*).

Qui ignorantiae tenebras, caecas nubes atque asperas schismatum procellas in hac periodo conqueruntur, hi neque sibi neque cuiquam suadeant viros omnigena eruditione praestantes Catholicae Ecclesiae non affulsisse. Provvidentissimus siquidem Ecclesiae Deus eam hac aetate doctrinam excitavit, quae Religionem virtutemque commendaret, immo quae litteras barbarie profligatas exciperet, et in posteritatem omnem traduceret.

§. I.

Graeci Saeculo IX Scriptores.
Nicephorus Constantinopolitanus.

Ex iis qui inter Graecos effloruere clara sunt

(*) Ne miretur Lector plures hic quam in antecedentibus periodis enumeratos Scriptores cum eorum editionibus, notis etc., id enim praestitimus habita ratione operum quae vel maxima cum difficultate reperiuntur, vel in Bibliothecis omnino delitescunt vel inter alia volumina accensentur. Id quoque satisfiet ut notam eximamus illi aevo quod omnino ignarum ac plumbeum vocitatur, ab iis nempe quos ejusmodi volumina evolvere piguit, vel ignorantia detinet.

Nicephori, Methodii, et Theodonis Studitae nomina. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus catholicae doctrinae studio, litterarum cultum aequavit, utrumque autem egregie testatus est, cum sacrarum imaginum assertor, diuturno exsilio consumptus obierit anno 828; aetatis septuagesimo primo, et libros etiam aliquot exaraverit. Ex hisce praestant *Fidei suae Confessio* (402) quam an. 811. misit ad Leonem III. R. P., *Opuscula quatuor* adversus *Iconomachos* (403), *Historiae Breviarium* (404) a Mauricii Imp. caede ad Leonis Cazari et Constantini tempora, et *Chronologia tripartita* (405), ubi qui apud Hebraeos, Graecos, et Romanos potestate

(402) Nicephori Constantinopolitani Epistola ad Leonem III. Papam confessionem fidei continens graece legitur in actis *Graecis Synodi Ephesinae a Commelino editis*. Heidelbergae an. 1491. pag. 303. et latine ab eodem edit. an. 1604. pag. 342. graeco latina, Interprete Theodoro Peltano extat Tom. IX. Conc. Labb. col 291. et seq.

(403) Opuscula quatuor adversus Iconomachos lat. Interprete Francisco Turriano inveniuntur, Tom. II. Part. II. Lection. Antiq. Canisii Amstelaedami 1725. et Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugduni pag. 88. Lugd. 1677.

(404) Breviarium Historicum ab obitu Mauricii cum latina interpretatione et notis Dionysii Petavii editum est Venetiis apud Bartholomaeum Javarina 1739. fol. Compact. cum Nicephoro Bryennio Tom. VIII. Hist. Byzan. in fol.

(405) Chronologia Tripartita sive Chronographia graec. lat. Venetiis evulgavit an. 1729. una cum Georgii Syncelli Chronico Jacobus Goar Ordinis Praedicat. Congregationis Reformatae S. Ludovici et extat. pag. 315. T. V. *Hist. Byzantin.* Graece extat cum Chronico Eusebii edit. Scaligeri pag. 301. Amstelodami 1658. latine vero cum notis reperitur in Bibliotheca PP. Lugduni 1677. Tom. XIV. p. 72.

praecelluerint, recensentur, ac demum Canones (406) a Joanne Zonara relati.

§. II.

Theodorus Studites.

Eadem vitae sanctimonia, cui Ecclesia caelestes honores decrevit, Theodorus Abbas commendatur, at neque minus excellentia ingenii atque doctrinae. Huic *Studitae* nomen obvenit a praefectura Monasterii quod *Studium* a fundatore *Studio* appellabatur, gravissimaeque contentiones fuere adversus Leonem Armenum, et Michaelem Balbum Iconomachos, eosdem et Imperatores, quin adversus haereticos adulterii fautores; nobile demum martyrium quod senex anno 826., III. Id. Novembris confecit. Cujus vita a Michaele Studita illius discipulo conscripta dicitur; opera haec autem nonnulla: Sermones Catechetici 134. (407); liber *de honore et adoratione sacris imaginibus exhibenda* (408); *Ora-*

(406) Canones breviculi XVII. graec. lat. extant in Jure Graeco-Roman. Leunclavii Tom. I. pag. 195. Edit. Francofurti 1596. Et Tom. IX. Concil. Labb. col. 337. Canones Synodici Graec. Lat. Extant Tom. III. Monum. Eccl. Graec. Cotelerii pag. 445. Lutetiae Parisiorum 1686.

(407) Theodori Studitae Sermones catecheticorum graec. lat. habentur Tom. XII. Biblioth. Graecae Alberti Fabricii pag. 275. Hamburgi 1724.

(408) Epistolae et scripta dogmatica graec. lat. inter quae reperitur epistola ad Platonem de cultu sacrarum imaginum Tom. V. oper.

tio in adorationem vivificae Crucis (409), *Sermo in Dominicam IV. jejunii.* Sed et fragmenta apud eruditos collecta videas e Studitae Epistola IV. ad Naucratium (410), in qua de erroribus a daemone consertis et in omnem terrarum orbem productis copiose agit; item ex Epistola ad Gelasium ab eo monasterio profugum, in quibus perhonorifica erga Romanam Ecclesiam testimonia mireris.

§. III.

Methodius.

—

Methodio Constantinopolitano Antistiti egregia quidem Fidei confessio *homogetae* nomen addidit. Eandem invicto animo tuebatur Michaelis Balbi, et Theophili Imperatorum furori atque armis propositam, firmatamque in ea synodo, in qua Patriarcha sanctissimus Caelitum imagines in Graecam Ecclesiam omnino revocandas decrevit. Habemus pietatis monumenta evulgatis ab eo scriptis, neque desideratur Canon de poenitentia eorum qui in haeresim incidissent, editus a Jacobo Goar in Euchologio

Sirmondi, Parisiis 1696. pag. 215. et seq. ubi praemissa est ipsius Theodori vita.

(409) Canon., et oratio de cruce graec. lat. ext. Tom. II. Oper. Gretseri pag. 231. Ratisbonae 1734.

(410) Epistolae vero ad Naucratium et Gelasium extant in cit. Tom. V. oper. Sirmondi pag. 245. 323. 337. et alibi.

Graecorum. Methodii obitus anno 847. accensendus (411).

§. IV.

Photius.



Quae omnia apud homines plurimum valent, ea in Photio exornando mirum in modum consensere, generis claritas, divitiarum splendor, pollens apud Imperatorem gratia, tam excellens praeterea ingenium, tam praestans doctrina, ut quantus erat nihil nisi sapientia videretur. Aberat tamen ab eo sapientia, quam non naturae sed gratiae munus conciliat, efferebatur ambitione animus, nimis alta percupiens, eaque pessimarum artium magistra, humana divinaque omnia ausu nefario impetebat. Sane decennis Hierosolymitanae Sedis occupatio, oppressio Ignatii qui eidem justus pastor insederat, iterata denique usurpatio, atque innumerae fraudes, saeva facinora, pestifera errorum monstra, pertinax in Romanos pontifices odium, ingenii doctrinaeque ornamenta inquinarunt. Nemo sane iis magis effulsisset quam Photius, cujus haec sunt aeterni nominis opera. Percelebris imprimis Bibliotheca (412)

(411) Methodii Constantinopolitani Constitutio pro iis qui ad fidem Christianam revertuntur graec. lat. cum interpretatione et notis Jacobi Goar est iu Eucholog. seu Rituali Graecor. pag. 876. Lutetiae Parisiorum apud Simonem Piget 1647.

(412) Bibliotheca graec. lat. primum prodiit ex interpretatione, et cum scholiis Andreae Schotti Genevae an. 1611, tum Rothomagi

quae biscentum et octoginta auctores recenset, illustrat, nonnullorum etiam fragmenta colligit, quaeque eruditorum lucubrationes ac laudes excitavit; Epistolae 248. (413); Nomocanon (414) Titulis XIV. comprehensum, Canones videlicet Apostolorum et Conciliorum veterum (415) cum Romanis legibus collati; compendiaria Conciliorum septem generalium notitia. Quae omnia a judicio, eruditione, et eloquentia apud Scriptores omnes videas commendari: nonnulla etiam leviora opuscula passim in aliorum libros inducta reperies. Quis natalis, quis emortualis Photii annus, haud satis constat.

§. V.

Scriptores caeteri.

—

Operam suam tum sacris, tum profanis literis

an. 1653. Graecus textus cum notis Davidis Hoeschelii editus est Augustae Vindelicorum an. 1601 in fol., latina Schotti versio in eadem urbe edit. an. 1606.

(413) Epistolae cum Actuario graec. latin. interprete Richardo Montacchio pseudo-Episcopo Norvicensi Protestante, Londini in fol. an. 1651 ex officina Rogeri Danielis prodiere.

(414) Nomocanon graec. lat. cum commentariis Theodori Balsamonis, interprete Gentiano Herveto Aurelianensi, editus cum reliquis Balsamonis operibus Parisiis an. 1620. Latina versio prodiit an. 1561. quo etiam anno Basileae lucem vidit versio latina ejusd. Nomocanonis et scholiorum Balsamonis, interprete Henrico Agylaeo; pariter Parisiensis editio 1615. graec. lat. laudanda est cura Christophori Justelli una cum libello de Synodis.

(415) Acta septem Conciliorum Generalium in Epitomen redacta graec. lat. extant in tomis concil. gen. cum Nomocanone Justelli.

tribuerunt saeculo nono inter Graecos, Nicetas David a Paphlagonia oriundus, qui septuagenarius obiit anno 878. vitamque S. Ignatii Constantinopolitani cum orationibus nonnullis reliquit (416); Theodorus Abucara Archiepiscopus Cariae, qui tempore Basilii Macedonis Imp. CP. floruit, auctor opusculorum adversus Haereticos, Judaeos, et Saracenos (417); Petrus Siculus Legationibus pro Imperatoribus Orientalibus anno circiter 870. egregie perfunctus, egregie etiam doctus, qui *de varia et stolida Manichaeorum haeresi* historiam valde utilem graece conscripsit (418). Theophanes Episcopus a quo homiliae plures graeco deinde et latino simul idiomate prodierunt (419); Georgius monachus, antistes postea Nicomediensis, Photio synchronus qui concinnas orationes confecit (420).

(416) Graec. lat. interprete Matthaeo Radero ext. Tom. X. Conc. Labb. col. 681.

(417) Varia opuscula graec. lat. contra Haereticos, Judaeos et Saracenos, interpretibus Francisco Turriano, et Jacobo Gretsero extant in ejusd. Gretseri opp. Tom. 15. pag. 342. Ratisbonae 1761 latine autem Tom. 16. Bibliot. PP. Lugduni 1677. pag. 727.

(418) Ex MS. Codice Bibliothecae Vaticanae graec. cum latina versione edidit Matthaeus Raderus, typis Adami Sartorii Ingolstadii 1604. latine extat in Biblioth. PP. Lugduni Tom. 16. ut sup. p. 753.

(419) Theophanis Ceramei Archiep. Tauromenitani homiliae a Francisco Scorso Panormitano graec. lat. editae sunt Lutetiae Parisiorum ad signum navis an. 1644.

(420) Ext. in graec. lat. Biblioth. novo Actuario Francisci Combefisii pag. 995. et seq. Tom. I. Parisiis 1648.

§. VI.

Latini saeculo nono Scriptores.
Amalarius uterque.

Hi non vulgari ingenio praediti virtuteque spectati Ecclesiam illustrarunt. Alter Fortunatus floruit in Episcopali Sede Trevirensi initio saeculi noni, floruit et gratia Caroli Magni, a quo Constantinopolim Legatus proficisci jussus est: persoluto autem officio, e vivis cessit anno, ut volunt, 814., cum Carolo praeterea Librum *de Sacro Baptismate* inscripsisset (421).

Amalarius autem Metensis Diaconus, cujus scripta superiori Amalario nonnulli accensent, libros quatuor de Ecclesiasticis officiis (422), Ludovici Pii Imperatoris nutu an. 827. conscripsit; dedit et librum de *Ordine Antiphonarii* (423); e Patrum vero

(421) Quem non Alcuino sed Amalario tribuendum Sirmondus ostendit. Amalarii Fortunati epistola de caeremoniis Baptismi sub nomine Alcuini cum praecedenti tamen observatione Jacobi Basnagii extat apud Canisium Tom. II. pag. 542. Thesauri Monument. Eccl. Amstelaedami 1725.

(422) Amalarii Metensis vel ejusdem Amalarii Fortunati, sub enim ejus nomine inveniuntur libri quatuor de Ecclesiastico Officio apud Hittorpium pag. 101. de divinis Catholicae Ecclesiae officiis. Coloniae 1568. ext. etiam T. XIV. Bibliot. PP. Lugdun. pag. 934., ubi leguntur nomine Fortunati Metensis, supplementum autem, seu caput XLVIII. libri quarti in Analectis Mabillonii Parisiis 1723. p. 93.

(423) Qui pariter iisdem praecedentibus nominibus venit extat tam in dicto Tom. XIV. Biblioth. PP. pag. 1032, quam apud Hittorpium loc. cit. pag. 263.

sententiis formam *Institutionis Canonicorum et Sanctimonialium canonice viventium* elucubravit (424). Annus illi 840. emortualis videtur.

§. VII.

Agobardus.

Agobardus, natione Gallus, Lugdunenses infulas accepit anno 813. Adfuit Conciliis nonnullis, quae in Gallia celebrabantur, et ingenii laudem consequutus est opusculis pluribus quae apud Stephanum Baluzium (425) collecta, et adnotationibus aucta videas. Caeterum male audit apud multos Agobardi nomen, qui Lotharium et Pipinum Ludovico Pio parenti perduelles confoverit, ideoque a sede honoris sui aliquantum abfuerit, in eam deinde anno 840. reversus.

§. VIII.

Theodulphus Aurelianensis.

Insons licet illius criminis quod Agobardo, ut vidimus, inferri solet, majoribus tamen aerumnis afflictus est Theodulphus cui egregia erga eum Ca-

(424) Forma Institutionis Canonicorum, et Sanctimonialium quae data est in Concilio Aquisgranensi reperitur apud Labb. T. IX. Concil. col. 339. et seq.

(425) Agobardi opera cum notis Stephani Baluzii edita sunt Parisiis 1666. pariter extant Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugdunii a p. 243. ad 329. et in Bibl. Gallandi edit. Venet. 1779. T. XIII. pag. 405.

roli Magni voluntas Aurelianensem Pontificatum tribuerat. Depulsa tandem criminatione, et carcere solutus, in ipso ad Aurelianensem Urbem reditu morte interceptus est anno circiter 821. Hujus etiam scriptis curas suas quam diligentissime admovit Sirmondus; sunt autem *Capitula ad Praesbyteros Diaecesis suae* (426) quae plurimi apud omnes duci solent; *De ordine Baptismi ad Magnum Senonensem. De Spiritu Sancto ad Carolum M.*, ut carceris molestias falleret. Carmen pepigit quod pueri in die palmarum concinunt, aliaque poetica, ut prostant in Bibliotheca SS. Patrum (427). Quo anno natalem, quo supremum habuerit diem, adhuc incompertum.

§. IX.

Rabanus Maurus.

—

Hic in Germania ortus, adolescens in Fuldensi monasterio virtutum omnium tirocinium posuit, cumulatam deinde pietatis famam adeptus cum praesertim post praefecturas Ordinis sui, Mogunti-

(426) Extant Tom. IX. Concil. apud Labbeum a col. 183. ad 210. item Tom. VII. Miscellan. Baluzii pag. 21. Lutetiae Parisiorum 1715.

(427) Extant Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 2. ad 59. item T. II. opp. Sirmondi pag. 921. Parisiis 1696. Carmina extant quoque apud Mabillon. Analect. Vetera. Pariis 1723 pag. 410., et poemata Tom. II. Part. II. Thesauri Monument. Eccl. apud Canisium Amstelaedami 1725. pag. 59. et seq.

nae Ecclesiae Archiepiscopus renunciatus, in apertam lucem elatus est. Fuit autem Rabanus (428) (sententia Trithemii, ac doctorum praeterea omnium) profanis sacrisque litteris mirum in modum excultus, philosophicis disciplinis praeclarus, poesi insignis, rhetorica arte non mediocris, caelestium orbium non speculator modo sed descriptor, Graece demum, Latine et Hebraice doctus, qui *Theologorum apex*, *sidusque coruscans* a Baronio passim praedicatur, dignusque profecto cui princeps inter Germanos illius saeculi eruditos locus tribueretur. Morte oppressus an. 856. prid. Non. Febr. ingenii industriaeque monumenta plurima nobis reliquit, Etymologicum nempe opus ad Ludovicum Regem, et, quos coaevi omnes ad sidera extollunt, duos libros in laudem sanctae crucis partim prosa oratione, partim poetice; Commentaria in S. Scripturam, quibus homilias de Caelitibus permultas adjecit, libros praeterea de Clericorum institutione, de Ordinibus et Sacramentis Ecclesiae, de Disciplina Ecclesiastica, et alios qui interiorem pietatem redolent, et qui Canones paenitentiales, animadversiones in Regulam S. Benedicti, degenerum Sacricolarum paenas complectuntur. Dedit et alia poetica, et philologica (429).

(428) Seu Rabanus aut Rhabanus et Hrabanus.

(429) Rabani opera omnia a Jacobo Pamelio primum collecta, ac in lucem emissa sunt studio, et opera Georgii Colvenerii. Coloniae Agrippinae per Antonium Hieratum 1626. insuper libri tres in librum

§. X.

Valafridus, et Pasch. Ratbertus.

—

Uterque prodiit a Benedictinorum Ordine, qui scientias atque literas vel ab ea aetate in suo sinu aluit, impense excoluit, feliciter propagavit. Valafridus Rabani primum Auditor in Monasterio Fuldensi, Abbas deinde Angiae Divitis qui anno 849., e vita migrasse creditur, scripsit de *exordiis et incre-*

Josue extant Tom. IX. Collect. Monument. Martene Parisiis 1733. pag. 668.; libri tres de institutione Clericorum ad Heistulfum reperiuntur in citatis libris de divinis Catholicae Ecclesiae officiis Hittorpii Coloniae 1568. pag. 309 Opusculum « si liceat Chorepiscopis, Presbyteros, et Diaconos ordinare cum consensu Episcopi sui » Tom. X. Concil. Labb. col. 1359. Liber paenitentialis ex Canonicis Constitutionibus ad Heribaldum Tom. II. part. II. Thesaur. Monnment. Eccl. Canisii Amstelaedami 1725. pag. 293. et in suprad. Tom. II. part. II. Thesaur. Monumen. Eccl. Canisii pag. 313. refertur quoque Martyrologium. Liber paenitentium ad Othgarium, est cum canonibus Paenitential. Anton. Augustini Tom. III. Lucae 1772. et Tom. I. Biblioth. Ritual. Zaccariae Romae 1776. pag. 310.; liber contra eos qui repugnant institutis S. Benedicti extat Tom. II. Annal. Mabillon. edit. Lucae 1739. pag. 677., Hymni duo pariter extant in Tom. II. Card. Thomasii Romae edit. 1747. pag. 374. et 397. Glossae Latino-Barbericae de partibus humani corporis, et de Inventione linguarum ab Hebraea usque ad Theodiscam in Tom. II. Script. Rer. Alemannicar. Goldasti Francofurti, et Lipsiae prodit. 1730. pag. 66. et seq. De Praedestinatione Dei Epistolae adversus Gotheschalcum, I. ad Hincmarum Rhemensem, II. ad Notingum, III. ad Heberardum comitem inveniuntur Tom. II. opp Sirmondi Parisiis 1696. a pag. 1295. ad 1354. et liber de Chorepiscopis et dignitate eorum, ac de reverentia filiorum erga Patres, et subditorum erga Reges ad calcem concordiae Petri de Marca pag. 1359. et seq. edit. Parisiis 1704.

mentis rerum Ecclesiasticarum, de rebus a SS. Gallo et Othmaro gestis, neque poetica desiderari voluit, neque declarandae illustrandaeque Scripturae pepercit (430). Huic facile junges Paschasium (mendose legunt alii Paschalem) Ratbertum, si ordinem, si vitae doctrinaeque genus inspicias. Abbas enim Corbejensis in Diaecesi Ambianensi floruit virtute, floruit litteris et anno 851. extinctus haud pauca pie eruditeque scripta reliquit, prior fortasse qui tam copiose et diserte Corporis et Sanguinis Domini veritatem explanaret. Celebre de hoc dogmate Tractatum publicavit necnon et Commentaria in Jeremiam et Matthaeum (431).

(430) Ejus opus de rebus ecclesiasticis reperitur in Tom. XV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 181. ap. Hittorpium de divinis officiis, Coloniae 1568. pag. 391. Vita S. Galli extat in actis SS. Mabillonii Venetiis 1733. Tom. II. pag. 215. et in ejusdem operis Tom. IV. pag. 139. ext. vita S. Othmari. pag. 398. Vita S. Blaitmaici metrice exarata, eorumdem autem SS. Galli, et Othmari vitae inveniuntur in Tom. I. Script. Alemannic. Goldasti pag. 146. et 176. Francfurti, et Lipsiae edit. 1730. Poemata et carmina extant Tom. II. Part. II. Thesaur. Monument. Eccl. Canisii, Amstelodami 1725. pag. 176. et seq., ubi pag. 275. legitur sermo, seu tractatus de subversione Jerusalem, in Luc. Cap. XIX. In Tomo autem II. Scriptor. Francicor. Duchesnii Lutetiae Parisiorum 1636. pag. 338. inveniuntur versus de exilio Judith conjugis Ludovici Pii, et pag. 649., versus de Geroldo Comite. Expositio vero XX. priorum Psalmorum ext. in Tom. IV. Part. I. Thesaur. Anecdot. Pezii Augustae Vindelicorum, et Graecii 1723. pag. 474. Praeterea excellens est ejusdem Strabonis bibliorum sacrorum glossa ordinaria, quae cum Postilla Nicolai Lyrani, nec non additionibus Pauli Burgensis, ac Matthiae Thoringi replicis, opera Francisci Fevardentii, Joh. Dadraei, et Jacobi De Cuilly edita est Venetiis apud magnam societatem 1603., in fol. 7. Volum.

(431) Ejus opera curante Jacobo Sirmondio sunt edita Lutetiae

§. XI.

Lupus Abbas, et Anastasius Bibliothecarius.

—

Nobilis inter hujusce aevi Scriptores locus adsignatur Lupo, quem etiam Servatum, Trithemius aliique appellant. Fuit autem Abbas S. Petri ad Ferrarias in Senonensi Diaecesi, vitam (ut litteris suis monemur) duxit sub Ludovico Pio et Carolo Calvo, absolvisse autem creditur anno 852. Ab eo extant Epistolae 130., Liber *de tribus quaestionibus*, de arbitrii scilicet libertate, de praedestinatione, et de Sanguine Christi, Sermones, Ellogia etc. (432) Anastasius Romam sortitus patriam, Abbas, et Ecclesiae Bibliothecarius vixit Summis Pontificibus

Parisiorum apud Claudium Morellum 1618. Ext. etiam in Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 356. emendatiores libri de fide, spe, et charitate extant Tom. IX. Collect. Monument. Martene, Parisiis 1733. pag. 470. ubi pag. 367. ext. quoque liber de Corpore, et Sanguine Domini.

(432) Lupi Servati opera cum notis Stephani Baluzii Parisiis prodierunt apud Fr. Muguet 1664.: eadem sine notis ext. Tom. XV. Bibl. PP. Lugdun. pag. 1. et seq. Epistola de praedestinatione ad Hincmarum, et libellus de tribus quaestionibus extant in Tom. I. Scriptor. de Praedest. apud Mauguin Lutetiae Parisiorum 1650. quorum alter invenitur etiam T. II. operum Sirmondi, Parisiis 1696. p. 1227. et in II. Part. et Vol. II. cit. oper. apud Mauguin, sunt una cum libello de tribus quaestionibus, libellus sive epistola ad Regem Carolum, et Collectaneum de tribus quaestionibus integrum a pag. 13. ad 59. Epistolae autem CXXXII. extant Tom. II. Script. Franc. DuChesne pag. 726. ad 788. Lutetiae Parisiorum 1636., quamvis in citat. opere Baluzii non CXXXII sed CXXX. referantur.

Nicolao I., Hadriano II., Joanne VIII.; atque, ut Baronio placet, ad annum prope 886. Quod ad illius famam praestantius fuit, Pontificum Romanorum vitas usque ad Nicolaum primum exaravit, Acta Concilii VIII. Oecumenici, cui interfuit an. 869. ex parte latine conscripsit, ex parte in eundem sermonem, incultum profecto ipsi et asperum transtulit. Idem de Conciliis Oecumenicis VI. et VII. praestitisse compertum fuit. Joannis Eleemosynarii, Demetrii martyris gesta, atque, ut eruditi contendunt, alia plura litteris tradidit (433).

§. XII.

Hincmarus Rhemensis.

Illustri inter Francos loco progenitus, et ob virtutis famam, studio Caroli Calvi ad Archiepiscopalem Rhemensium Sedem Hincmarus an. 845. elatus est, a qua Ebbo in crimen conjurationis vocatus exciderat. Crebris, quae per ea tempora agitabantur, Conciliis versatus, Rhemensem Ecclesiam longo septem supra triginta annorum spatio administravit, extremum denique XII. Cal. Jan. an. 882.

(433) Anastasii Bibliothecarii Vitas Romanorum Pontificum edidit primum Marcus Velserus Moguntiae 1602.; hinc Franciscus Blanchinus Romae 1718. ad 35. quarum primus tomus rursus excussus fuit an. 1731. Joannes Vignolius eas edidit Romae 1724.; reperiuntur quoque Anastasii opera in collectione historiae Byzantinae et vitae RR. PP. inveniuntur in Muratorio Tom. III. Script. Rer. Italicarum edit. Mediolani 1723. pag. 94.

obivit diem. Multa eum ornarunt virtutum merita; eo autem erat zelo Ecclesiasticae disciplinae in sua praesertim diaecesi reparandae, tamque vehementer pro juribus Ecclesiae suae flagrabat, ut mansuetudinis quae pontificem maxime deceat, interdum oblitus sit. Contentiones cum Episcopis multis virisque principibus exercuit, et nihil omnino in Gallia tunc temporis agitabatur, quin adesset Hincmarus aut interesset. Et quae ipse gessit, quae propugnavit, quae indolem eorum temporum atque vicissitudines detegunt, e scriptis suis prolixis fortasse nimis ac saepe indigestis, colliges. Ex iis quae reperire licuit, edidit duobus Tomis an. 1645. Jacobus Sirmondus, ibique de Praedestinatione, de libero arbitrio, et de Trinitate contra Gotheschalcum et Praedestinatianos pertractatum videas, regulas quamplurimas et disciplinas Clericis, sacrisque officiis rite persolvendis; moralem ad Carolum Calvum Regem de Regis persona et ministerio institutionem, monita ad viros alios Principes, Epistolas denique in Episcoporum causis fere innumeris, quae in Gallia disceptabantur etc. (434).

(434) Hincmari Rhemensis opera edita sunt a Jacobo Sirmondo Lutetiae Parisiorum apud Sebastianum, et Gabrielem Cramoisy 1645. ut cl. auctor enarrat; capitula variis annis data presbyteris suae Paraeciae extant Tom. X. Concil. Labbei col. 1. ad 24. ac 1040. ibidem quoque sunt variae ejusdem epistolae scilicet col. 25. 163. 347. et sequen. 1372. et deinceps; a col. autem 1299. ad 1345. inveniuntur aliae octo epistolae datae in causa Hincmari Laudunensis, et in antecedentibus col. 1244. ad 1299. leguntur opuscula utriusque Hinc-

§. XIII.

Remigii ambo.

—

Veterem amplissimae Lugdunensium Sedis eximiamque gloriam auxit Remigius Archiepiscopus. Magnum enim illius consilium in Synodis quibus saepe interfuit, magnique labores; illud autem in credita sibi Diaecesi relligionis pietatisque incrementum, ut regio quoque testimonio laudari nobilitarique promeruerit. Qui munere suo egregie perfunctus an. 875. desideratus est. Verum quod est ad illius famam excellens, Augustini doctrinam de gratuito efficacique Divinae Gratiae munere plane assequutus, eandem strenue propugnavit, iis nempe ar-

mari in eadem causa edita cum notis Ludovici Cellotii; Epistolae ad Carolum Calvum Imperatorem altera est Tom. III. Spicileg. aliquot veterum Scriptorum Lucae D'Achery, Parisiis 1723. pag. 337., altera de auctoritate vitae S. Dionysii translatae ab Anastasio Bibliothecario in Analect. Mabillon. Parisiis 1723. pag. 212. Admonitio de potestate Regia, et Pontificia, et de utriusque regiminis administratione in Tom. I. Monarchiae S. Romani Imperii Goldasti, Hanoviae 1612. pag. 3. In Tom. II. Script. Franc. Du Chesne Lutetiae Parisiorum 1636. pag. 414. invenitur consilium de paenitentia Pipini Junioris olim Regis Aquitaniae; pag. 475. epistola ad Ludovicum II. Francorum Regem; pag. 484. altera ad Carolum III. Crassum Imperatorem; pag. 487. altera ad Episcopos Franciae de Potestate Regia, et Pontificia; In Tom. VII. Miscellan. Baluzii Lutetiae Parisior. 1715. pag. 47. ext. epistola ad Ludovicum III. Francorum Regem, et apud Bollandianos Tom. I. Octobris Antuerpiae 1765. pag. 131. refertur vita S. Remigii Rhemensis, et Tom. II. Septembris Venetiis 1756. pag. 538. acta S. Genebaudi, vel Genebaldi.

mis quae Jesu Redemptoris verba, Pauli Apostoli Epistolae, Ecclesiae supplicationes suppeditant. Iisdem usus in Valentino Concilio an. 855. stetit pro Lugdunensi Ecclesia adversus quatuor Capitula Augustinianae sententiae contraria. Quae itaque in eo esset ingenii praestantia, quae Theologiae peritia ostendunt Liber, qui inscribitur *de Tribus Epistolis*, Liber (435) item *Absolutio cujusdam quaestionis de generali per Adam damnatione et speciali per Christum ex eadem ereptione electorum*, Liber denique de veritate Sacrae Scripturae retinenda. Hisce omnibus eruditi quamplurimi non modo favent, sed etiam plaudunt.

Sed et alium tulit Gallia Remigium Monachum Antisiodorensem, qui declinante saeculo nono, cum in summam doctrinae existimationem pervenisset, a Fulco Rhemensi Episcopo accitus est, ut scholasticas in ditione sua disciplinas instauraret. Commentaria adjecit Psalmis ex Ambrosio et Augustino deducta, necnon et Prophetis duodecim; de Divinis Officiis, et De Missa praesertim pertractavit (436).

(435) Seu responsio Ecclesiae Lugdunensis nomine facta, extat apud Mauguin Parisiis 1650. Tom. I. Part. II. Vol. II. pag. 61. ubi pag. 148. adjungitur appendix seu solutio quaestionis de generali per Adam damnatione omnium, et speciali per Christum ex eadem ereptione electorum, et pag. 178. liber de tenenda immobiliter Scripturae sanctae veritate et sanctorum Orthodoxorum Patrum auctoritate, quae opuscula pariter inveniuntur in Tom. XV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 666. et seqq.

(436) Enarrationes in Psalmos Colon. edidit Eucharius Cervicornus an. 1536.

§. XIV.

Aimoini et Abbones.



De duobus Aimoinis valde diuque inter eruditos disceptatum est, cum nec ea quae ad vitam, et quae ad utriusque scripta pertinent, dilucide satis internoscerentur. Verum quod extra controversiam hodie positum videtur, Aimoinus alter quem *seniorem*, perspicuitatis gratia appellant, idemque Benedictinae Congregationis Parisiensis monachus effloruit (ut docte Philippus Labbeus nos admonet) anno circiter 870., confecitque libros duos de invento translatoque Vincentii Levitae et martyris corpore, libellos duos de miraculis sancti Germani Parisiensis Episcopi, aliorumque Sanctorum honori alia scripta tribuit (437). Hic probe distinguendus ab Aimoino *juniori* qui et ipse Benedictinae Familiae in Floriacensi Monasterio alumnus, consequenti saecu-

(437) Historia translationis S. Vincentii Levitae et Martyris legitur apud Bollandianos Tom. II. Januarii Venetiis 1734. pag. 460. item apud Mabillonium saeculo IV. Part. I. act. SS. Benedictin. Venetiis 1734. pag. 606., apud eumdem Mabillonium reperiuntur quoque in saecul. III. Part. 2. pag. 96. libelli duo de Miraculis S. Germani, et part. 2. saeculi IV. pag. 45. De translatione SS. Martyrum Georgii Monachi, Aurelii, et Nataliae et miraculis ea occasione factis. Praeterea Parisiis per Drovart 1602. opera Jacobi Du Breul editi sunt libri V. de gestis Francorum, quibus accedunt libri duo de inventione et translatione corporis S. Vincentii Levitae et Martyris, duo libri Abbonis de obsessa a Nortmannis Lutecia, et Chronicon Cassinense Leonis Marsicani, et liber miraculorum B. Mauri, aliaque opuscula.

lo *Historia Francorum*, Ecclesiasticam omnem historiam juvit (438). Eodem pacto ab eximio illo Abbone, qui saeculum Ecclesiae decimum illustravit, longe alius est Abbo S. Germani Parisiensis monachus, qui obsessam annis 885. et 887. a Normannis Lutetiam poetice descripsit, ac nonnullos etiam sermones composuit: utrumque orationis elegantiam desiderat (439).

§. XV.

Scriptores alii Latini.

Longo nimis sermone uteremur, si Scriptores hoc saeculo Ecclesiastici omnes huc inferri deberent; suntque multa in iis vel dubia admodum, vel incomperta, vel omnino exigua, quae praetereunda videbantur. Hi autem mentione donantur. Benedictus primus Ananiensis Abbas, severioris disciplinae

(438) Hujus historiae libri IV. extant in corpore Francicae historiae veteris typis Wechelianis Hanoviae 1613. a pag. 247. ad 380; ejusdem auctoris historia S. Benedicti ext. apud Mabillonium saec. IV. Part. II. Actor. SS. Benedictin. Venetiis 1738. pag. 368. et Part. I. saeculi VI. pag. 27. vita S. Abbonis Abbatis Floriacensis, et Martyris, et in praeced. saeculo II. pariter Venetiis 1733. pag. 344. historia metrica translationis S. Benedicti in Galliam.

(439) Vidd. sup. nota (437) nec non Du Chesne in Scriptor. Normannic. Lutetiae Parisiorum 1619. pag. 35. et in Script. Franc. Lutetiae Parisiorum 1636. Tom. 2. pag. 499; sermones autem quinque, quos idem Abbo scripsit, leguntur apud Lucam D'Achery Tom. I. Spicilegii pag. 336. et Tom. XIV. Biblioth. PP. Gallandii pag. 99. Venetiis 1781.

per Gallias et Germanias reparator, qui *Regularum Codice* occidentalium, et orientalium monachorum deinde sacrarum virginum instituta complexus, librum alium *Concordiam Regularum* reliquit (440). Ansegisus Abbas in Normannia qui *Capitula Caroli M. et Ludovici Pii ad saecularem et Ecclesiasticam politiam spectantia* collegit (441). Amulo Agobardi successor in Pontificatu Lugdunensi, vir utique consultissimus, cui Tractatus adversus Judaeos, de praedestinatione et libero arbitrio, collectaeque simul de hoc eodem argumento Augustini sententiae tribuuntur (442). S. Eulogius Cordubensis, Antistes Toletanae Ecclesiae, qui de Saracenorum persecutione scriptis *Memoriale Martyrum, Apologetico pro*

(440) Benedicti Ananiensis volumen, Concordiam Regularum appellatum ad facilitandum omnibus Monachis professionem Regulae Benedictinae, editum fuit Parisiis 1638. cum suis notis ab Hugone Minardo Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri; alium autem ejusdem librum, qui continet caenobiticas regulas ex MS. codice evulgavit Lucas Holstenius cum nonnullis a se adjunctis posterioribus regulis, Parisiis 1663.

(441) Ansegisi et Benedicti Levitae libri VII. continentes Caroli Magni, et Ludovici Imperatoris leges Ecclesiasticas et civiles collectas e Biblioth. Pithocana, editi sunt Parisiis apud Claudium Chappellet 1603. Iidem vero a Baluzio recogniti extant, Tom. I. capitular. Regum Francorum, Parisiis typis Muguet 1677. pag. 698.; scripsit quoque Ansegisus *Memoratorium* pro vestimentis, calceamentis atque alimonia Fratrum, quae ext. Tom. V. act. Mabillon. pag. 602. Venetiis 1734.

(442) Amulonis Epistola ad Gotheschalcum, et alia de praedestinatione, et gratia, et libero arbitrio ejusdem Amulonis opuscula sunt Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugdun. 1677 a pag. 332. ad 352. et cum operib. Agobardi, et Leidradi prodita sunt typis Muguet per Balutium, Parisiis 1666. pag. 135. T. II.

Martyrio, et exhortatione ad Martyrium invictae fortitudinis auctor Christianis fuit, idemque exemplar longe nobilissimum, illustris vitae in confessione fidei prodigus (443). Florus Lugdunensis Ecclesiae Diaconus, quem ab eruditionis existimatione *Magistrum* etiam cognominatum invenies, contra Joannem Scotum humani arbitrii debilitatem, et necessitatem Divini auxilii scripto propugnavit, et Pauli Epistolis uberrima Commentaria adjecit (444). Prudentius Hispanus, qui Galindus etiam audit, Episcopus Tricassinus Augustinianae doctrinae de Praedestinatione impense studuit, et contra placita Joan-

(443) Eulogii Cordubensis opera leguntur Tom. II. Patrum Toletanorum Matriti 1785. pug. 419., et cum scholiis Ambrosii Morales Tom. XV. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 242. et Tom. IV. Hispaniae illustratae Schotti, Francofurti 1608. pag. 213. Martyrium autem SS. Gregorii Diaconi, Aurelii, Felicis, Natalitiae etc. ext. apud Surium De probatis SS. historiis Tom. IV. Coloniae Agrippinae 1579. ad diem 27. Augusti pag. 936. Apud vero Du Chesne pag. 399. Tom. 2. Script. Franc. Lutetiae Parisiorum 1636. ext. Excerptum ex Epistola ad Wiliessindum Pampilonensem Episcopum.

(444) Flori liber de Praedestinatione adversus Joannis Scoti Erigenae definitiones ext. apud Mauguin, Parisiis 1650. Tom. I. Script. De Praedestinatione, et Gratia pag. 575., et cum notis Andreae Du-Vallii Tom. XV. Biblioth. PP. Lugd. pag. 611. ubi pag. 62. est quoque de actione Missarum ejusd. auctoris opusculum collectum ex MS. codice Balernensi ex verbis SS. Patrum Cypriani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, aliorumque, pag. 85. De Electionibus Episcoporum. Praeterea opusculum adversus Amalarium ab eodem conscriptum, extat Tom. IX. Collect. Vet. Monum. Martene Parisiis 1733. pag. 641. ubi pag. 649. ext. alterum opusculum de causa fidei apud Carisiacense Episcoporum Concilium habita, et pag. 666. Epistola ad Theodonis Villae Concilium adversus Amalarii libros.

nis Scoti Erigenae eandem subtiliter copioseque defendit (445). Habemus commentaria in nonnullos Scripturae libros ab Aponio (446), ab Haymo Episcopo, ab Angelomo Monacho, a Christiano Druthmaro (447), ab Ambrosio Autberto (448): quae ad

(445) Prudentii Tractatus de Praedestinatione contra Scotum Erigenam invenitur in cit. Tom. I. Scriptor. de Praedestinat. et Grat. apud Mauguin, Parisiis 1650. pag. 191. ubi Part. II. Vol. II. pag. 6. legitur praefatio Epistolae ad Hincmarum, et Pardulum Episcopos et pag. 176. ejusdem tractatoria, quam per Vicarium misit ad ordinationem Aeneae Parisiensis, quae refertur quoque in Tom. XV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 597. ubi pag. 467. legitur tractatus de Praedestinatione contra Joannem Scotum Erigenam et pag. 598. Epistola ad Hincmarum, et Pardelum Episcopos. Ulterius scripsit epistolam ad quemdam Episcopum fratrem suum ut in Analect. Mabillon. p. 418. Parisiis 1723., ac vitam S. Maurae Trecensis Virginis, ut Tom. VI. Septembr. Bolland. Antuerpiae 1757. pag. 275.

(446) Apponii Commentarium in Cantica Canticorum refertur Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 99. 1677.

(447) Druthmari Expositio in Matthaeum Evangelistam, ac Epitome in Lucam et Joannem extant Biblioth. PP. Lugdun. pag. 86. Tom. XV. Rarissima est autem editio Commentarii in Matthaeum, Argentinae 1514., repetita Hagenae 1530.

(448) Ambrosii Ansberti, sive Autberti commentaria in Apocalypsim leguntur Tom. XIII. Bibliot. PP. Lugdun. pag. 403. Insuper scripsit de conflictu vitiorum, ac virtutum, ut in Appendice ad T. VI. Opp. S. Augustini, Parisiis, typis Muguet 1685. pag. 219. pag. 709. Operum S. Isidori Hispalensis, Parisiis apud Sonnium 1601. sine tamen auctoris nomine; pariter sermonem in Assumptionem B. Mariae Virginis, ut in Appendice ad Tom. V. citat. Operum S. Augustini 1683. pag. 343. N. 208. Vitam S. Paldonis et successorum ejus et Abbatum Volturnensium, ut apud Mabillon. saecul. III. act. SS. Benedictin. Part. I. Venetiis 1734. pag. 401. ac librum de cupiditate, qui invenitur in T. IX. Collection. Veter. Monument. Martene p. 219. et sermonem in Transfigurationem Domini, ibidem pag. 249. ubi quoque, in antecedenti pag. 235. adest sermo in Purificatione S. Mariae.

sacrorum officia et ritus pertinent, illustrarunt Leidradus Antistes Lugdunensis (449), Usuardus Monachus (450) et Isaacus Bonus (451), fueruntque hac aetate plurimi, qui descriptis illustrium aut sanctorum virorum gestis, haud obscurum nomen reliquerint. Carolus Magnus inter Ecclesiasticos Scriptores a nonnullis censetur, insignis profecto optimarum artium restitutor, ac propagator, cujus nomine *Capitularia* sive *Edicta*, Epistolae de Ecclesiasticis rebus, ac Diplomata, et alii, ut vocant, *Carolini* libri prodiere (452). Nobiliorem vero exquisi-

(449) Leidradi Lugdunensis Archiepiscopi Epistola altera ad sororem et altera ad Carolum Magnum de Episcopatu suo extant T. XIV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 233. Liber autem de Sacramento Baptismi ad Carolum Magnum in Analect. Mabillon. Parisiis 1723. pag. 78. et altera epistola ad eumdem Carolum de ritibus baptismi ibidem, pag. 85., et idem liber cum epistolis invenitur etiam in Tom. XIII. Bibl. PP. Galland. Venetiis 1779. pag. 389.

(450) Usuardi Martyrologium quo Romana Ecclesia, ac permultae aliae utuntur cum additionibus ex Martyrologiis Romanae Ecclesiae, et aliarum, et adnotatione auctorum qui de Sanctorum vita, confessione, vel martyrio conscripserunt, editum est Lovanii per Hieronymum Wellaeum 1573. Ejusdem martyrologii optimae sunt editiones Lubecae 1473., Florentiae 1486., Papiae 1487., Coloniae Jo. Koelhoff 1490. vel Paris. Guidi Mercatoris 1490.

(451) Isaaci Boni Lingoniensis Episcopi Canones leguntur apud Labbeum Tom X. Concil. col. 29. ad 60.

(452) Caroli Magni Capitularia varia extant Tom. I. Capitular. Regum Francorum Baluzii pag. 190. Parisiis apud Muguet. et sequen. item Tom. VIII. Concil. Labbei col. 487. et 589., et Tom. IX. col. 6. ad 31. et col. 55. et 231. ad 259. et 265. et 373., et Tom. VII. Collect. Vet. Scriptor. Martene Parisiis 1733. pag. 5. ad 16., in Collect. Romana Holstenii 1662. Part. 2. pag. 177. Capitulare vero de non adorandis Imaginibus contra VII. Synodum Nicaenam Tom. I. Con-

tae doctrinae et singularis industriae gloriam ade-

stit. Imperialium Goldasti Francofordiae 1615. pag. 23. Ejusdem Caroli Diplomata pro Ecclesiis et Monasteriis Belgii ext. Tom. I. Oper. Diplomat. Miraei, Lovanii 1723. pag. 245. et 495. et seq. pro Monasteriis Galliae Tom. I. Collect. Vet. Script. Martene, Parisiis 1724. pag. 31. et seq. et Tom. I. Thes. Anecdot. ejusd. Lutetiae Parisiorum 1717. pag. 10., pro Ecclesiis Italiae Tom. I. Ital. Sacr. Ughelli Venetiis 1717. pag. 50. et 412. Tom. II. pag. 91. et 199. et 243. Tom. IV. 1719. pag. 70. et 74. Tom. V. 1720. pag. 36. 174. 263. 326. 704. 1095. Tom. VIII. 1721. pag. 37. Epistolarum volumen quas Gregorius III., Stephanus III., Zaccharias I., Paulus I., Stephanus IV., Hadrianus I. ad Carolum Martellum, Pipinum, et Carolum Magnum miserunt, studio ipsius Caroli Magni collectum refertur ab Gretsero Tom. VI. Ratisbonae 1735. pag. 679. a Muratorio Tom. III. part. II. Script. Rer. Italicarum, Mediolani 1734. pag. 73. et leges Longobardicae ibidem Tom. I. Part. II. 1725. pag. 94., in Monumentis Dominationis Pontificiae seu Codice Carolino edit. a Cajetano Cenni Romae 1761. Variae quoque Epistolae habentur ipsius Imperatoris, inter quas ad Albinum, seu Alcuinum, in Lazii Fragment. Caroli Magni, et aliorum de Ritibus Ecclesiae veteris Antuerpiae 1560. pag. 31., et apud Hittorpium de divinis Catholicae Ecclesiae officiis, Coloniae 1568. pag. 99., ad Athelardum Cantuariensem Archiepiscopum Tom. I. Concil. Wilkins, Londini 1737. pag. 154. ad Elipandum, et caeteros Hispaniae Episcopos Tom. IX. Concil. Labbei col. 91. ad Fastradam Reginam de Victoria Avarica Tom. II. Script. Hist. Franc. Du Chesne Lutetiae Parisiorum 1636. pag. 187. et pag. 694. ad Pipinum Filium Italiae Regnantem, et Tom. III. oper. Sirmondi, Parisiis 1696. pag. 403. ad Garibaldum Geodiensem Episcopum de instruendis populis ante baptismum Tom. VII. Collect. Monument. Martene, Parisiis 1733. pag. 19. ad Hiltibaldum Coloniensem Episcopum de gratia Septiformis Spiritus, in Analect. Mabillon. p. 74. Parisiis 1723. ubi in antecedenti pag. 73. est ejusdem Caroli praefatio in Homilia V. Pauli Diaconi, et subsequenti pag. 75. Epistola ad Odilbertum Mediolanensem Episcopum de baptismo; ad Leonem III. Papam altera Tom. IX. Concil. Labbei col. 172. altera in citata Collect. Roman. Holstenii 1662. Part. II. pag. 194. ad Offam Merciorum Regem tres, in d. Tom. IX. Concil. Labbei col. 174. ad 176. altera in jam citato Tom. I. Concil. Wilkins pag. 158.

ptus est Alfredus Anglorum Rex, qui Judaeorum perfidiam dedita opera refutavit, sapientissimorum virorum sententias digessit, Ecclesiasticos libros aliquot e latina in Saxonicam transtulit linguam, Davidicos quoque Psalmos daturus ni eum mors, saeculo nono exeunte, praeripuisset (453). Neque inter Scriptores hujus saeculi silendus est Claudius e Scotia, ut ajunt, oriundus, et Taurinensis Episcopus, qui magnam Bibliorum partem Commentariis suis illustravit (454).

Gotheschalcus vero Mon. Orbacensis, et Joannes Scotus Erigena licet occasionem contentionum, et sibimetipsis aerumnarum gravissimarum fecerint (quod animadvertimus in Cap. de Doctrina Ecclesiae) ad Ecclesiasticos hujus saeculi Scriptores referendi sunt. Alter vim omnem ingenii, quae magna in eo erat, editis scriptis *Confessione Fidei, Epistola ad Ratramnum* etc. in praedestinatione subtiliter ver-

(453) Aelfredi seu Alfredi Magni leges Ecclesiasticae Latine, et Anglo-Saxonice leguntur in Lambardi Apxaionomia Cantabrigiae 1644. pag. 15. ad calcem Hist. V. Bedae, et Tom. I. Concil. Wilkins, Londini 1737. pag. 186. eaedem latine Tom. XI. Concil. Labbei col. 553., Paraphrasis Saxonica Historiae Anglorum Vener. Bedae cum Historia Bedae edit. ut supra, Cantabrigiae 1644. Praefatio in Pastorale S. Gregorii Magni in vita Aelfredi Joannis Spelman pag. 196. Oxonii 1678.

(454) Enarratio in Epistolam S. Pauli ad Galatas ext. Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 139. Praefatio expositionis in Epistolam ad Ephesios in Analectis Mabillonii pag. 91. Parisiis 1723. ibidem pag. 96. Praefatio in libros Informationum litterae et Spiritus super Leviticum; et Tom. II. Annal. Mabillon. Lucae 1739. pag. 67. Praefatio Commentarii in Evangelium Matthaei.

suteque explicanda consumpsit, ob quae et damnationem apud Concilia nonnulla, et carcerem demum, Hincmaro jubente, perpessus an. 870. confectus est (455). Alterius quoque ingenium illustre, et uberrima doctrinae copia; at plurima novitatis studia, quae a suis scriptis emittuntur. Sunt autem *Libri quinque de Naturis*, Liber de *Praedestinatione contra Gotheschalcum*, Liber *de Visione Dei*, et, qui adeo exagitatus est, Liber *de Corpore et Sanguine Domini.* Nonnulla quoque S. Maximi Mon. et Dionysii Areopag. latinitate donavit (456).

(455) Gotheschalchi fragmentum libelli, et professionis Rabano in Placito Moguntinensi oblato, simul et confessio brevior, et altera prolixior continentur in Tom. I. Scriptor. de Praedestinatione et Gratia apud Mauguin Lutetiae Parisiorum 1650. a pag. 6. ad 25., et ibidem in II. Part. et Vol. II. pag. 3. extant quoque fragmenta omnia libelli per ipsum oblati in Placito Moguntinensi; Epistola autem ad Ratramum Monacum Corbejensem circa dogmata Praedestinatianorum metrice cum notis Ludovici Cellotii ext. in ejusdem Cellotii Historia Gotheschalchi pag. 414. Parisiis 1655.

(456) Joannis Scoti libri V. de divisione naturae quibus accedit appendix ex Ambiguis S. Maximi Graec. lat. editi sunt Oxonii e Theatro Scheldoniano 1681. liber de divina Praedestinatione habetur apud Mauguin Tom. I. Scriptorum de Praedestinatione, et Gratia Lutetiae Parisiorum 1650. pag. 103., Carmen, et epistola ad Carolum Calvum p. 40. et 41. in Sylloge Epistolar. Hibernicarum Usserii Parisiis 1665.

§. XVI.

Graeci Saeculo X. Scriptores.
Simeon Metaphrastes.



Saeculum Ecclesiae decimum inter caetera, quae in hac periodo concluduntur, malorum asperitate ferreum, bonarum artium ignorantia plumbeum recte existimaveris. Verum quia infoecunda quandoque tellus flosculos etiam egerminat, ita non incelebres tulit aetas Scriptores, quos paucis pro instituto operis complectimur.

Inter Graecos huic saeculo dabimus Simeonem Metaphrastem (457), idque cum Bollando qui in

(457) Simeonis Metaphrastis oratio in lugubrem Lamentationem SS. Deiparae pretiosum Corpus Domini nostri Jesu Christi amplexantis graec. latin. interprete Leone Allatio ext. cum Allatio de Simeonum scriptis Parisiis typis Piget 1664. pag. 245. ubi pag. 254. eodem interprete graec. pariter, et latin. sunt aliquot Epistolae, et anteceden. pag. 132. referuntur graece IV. Poemata. Apud Bollandianos autem Tom. I. Januarii Venetiis 1734. pag. 359. legitur latine vita S. Luciani Presbyteri, et Martyris, Tom. II. Januarii pag. 470. interprete Gentiano Herveto, latine referuntur acta S. Clementis Episcopi Ancyrani, et Martyris, ibidem pag. 517. S. Joannis Eleemosynarii Patriarchae Alexandrini, et pag. 567. Vita S. Timothei Episcopi Ephesini, et Martyris; Tom. I. Februarii pag. 24. Vita S. Ignatii Episcopi Antiocheni et Martyris, Tom. II. Februarii pag. 541. Vita S. Euphrosynae Alexandrinae, Tom. II. Aprilis pag. 121. interprete Daniele Papebrochio acta Martyrii SS. Carpi Episcopi Thyatirensis, Papyli Diaconi, Agathonicae Sororis, et aliorum quae graece ibidem sunt ad calcem pag. 968. Tom. III. Aprilis pag. 23. eodem Gentiano Herveto interprete, latina acta SS. Acepsimae Episcopi, Josephi Presbyteri, Acithelae Diaconi, quae graece pariter ibidem sunt ad calcem

multis variisque sententiis illius aetatem videtur assecutus. Eum generis claritas, aulica munera, Leonis Sapientis regiique filii Constantini Porphyrogeniti gratia ornarunt, quae omnia eximiae tribuebantur virtuti et mirifico, quo ferebatur, Ecclesiam juvandi studio. Porro ut aliorum animos ad pietatem, constantiam, fortitudinem aliasque virtutes incederet, sanctorum vitas in singulos menses Graece conscripsit, quae per Lipomanum latinae

pag. 2. Tom. V. Junii pag. 265. graec. latin. Vita S. Sampsonis Xenodochi, Tom. II. Septembris pag. 511. graec. latin. acta SS. Romuli, Eudoxii et Sociorum MM. Tom. VI. Septembris pag. 225. interprete Sirleto, acta S. Matthaei Apostoli, Tom. VII. Septembris pag. 191. acta SS. Callistrati, et Sociorum MM. Tom. III. Octobris p. 24. graec. latin., acta S. Charitinae Virg. et Mart., ibidem p. 871. acta SS. Sergii et Bacchi MM., Tom. IV. Octobris pag. 96. interprete Lipomano, Passio S. Demetrii Mart. Praeterea vitae CXXII. Sanctorum genuinae latine habentur apud Surium in vitis Sanctorum Coloniae Agrippinae 1576. et vita S. Joannis Evangelistae Graec. latin. interprete Joanne Hentenio ad calcem Tom. II. Operum Oecumenii Lutetiae Parisiorum 1631. pag. 838., et ibidem pag. 853. eodem interprete Vita S. Lucae Evangelistae; Vita S. Joannis Chrysostomi graec. Tom. VIII. oper. edit. Savilii Etone 1612. pag. 373. Vita S. Dionysii Areopagitae Graec. latin. incerto interprete T. II. S. Dionysii Lutetiae Parisiorum 1644. pag. 323.; quarum vitarum Catalogus legitur apud Guiliel. Cave Tom. II. Basileae 1745. Histor. Literar. pag. 89. Tribuuntur quoque Metaphrasti Orationes XXIV. de vita, et moribus ex libris S. Basilii Magni decerptae graec. latin. quae inveniuntur in Append. ad Opera S. Basilii Magni edit. Paris. 1730. pag. 469. Tom. III., quamvis rectius haec tamquam junioris Simeonis sive Logothetae opera existimanda essent; ejusdem item Metaphrastis sunt trimetri jambici in sanctissimam Eucharistiam qui extant graec. latin. in poetis Graecis Christianis, Lutetiae Parisiorum pag. 238. 1609.

ad nos pervenerunt; in quibus hominem ex ingenio magisquam ex historiarum memoria elocutum, vix credibilia, dum religioni faverent, inconsulto arripientem, cuncta oratione (unde Metaphrastes) exaggerantem non intemperantes dumtaxat Critici, sed saniores etiam, in hisce Bellarminus, redarguunt. Ad hasce vitas aliae ab anonimis Scriptoribus accessere, in quibus nonnulla a verisimilitudine aliena, nonnulla interdum anilia, easque adscititias a genuinis accurate Allatius detraxit.

§. XVII.

Leo Sapiens.

—

Leo Basilii Macedonis filius et imperii haereditate praeditus an. 885. a studio multiplici, et a variis, quas coluit impense, doctrinis, Sapientis titulum sibi comparavit. Pleraque illius opera sunt Orationes Sacrae, quas Gretserus et Combefisius typis consignandas curarunt. Dedit Epistolam ad Omarum Saracenorum Regem, in qua multa disserens de veritate Christianae Fidei, gentilem illi superstitionem invisam facit. Plura quoque alia exaravit, *Canticum ex meditatione extremi judicii*, vitam Jo. Chrysostomi, Regias Constitutiones, orationem paraeneticam ad bene beateque vivendum Baronii Annalibus insertam, aliaque levidensia. Verum sapientiae illius ac pietati officit quod in Spiritus Sancti processionem a Filio cum Photianis conspirasse

eruunt ab Homilia praesertim « *in Divinum Spiritum*, » quam Scipio Maffaeius evulgatam et, *qua Photiana est*, refutatam exhibuit an. 1751 (458).

Leoni an. 919. in imperii illius fastigio successit Constantinus filius, qui et Porphyrogeneta, cui *Pandectae* historico-politicae, Vita Basilii Macedonis, et Historia imaginis Salvatoris e Syria translatae tribuenda sunt (459).

(458) Leonis Sapientis Homiliae IX. Greco-Latin. Interprete Gretsero retulit idem Gretserus in Tom. XV. suorum operum p. 277. Ratisbonae 1741. et Tom. II. pag. 102. refertur oratio in exaltatione S. Crucis graec. latin.; ejusdem quoque XI. Orationes latinae ex interpretatione Combefisii reperiuntur Tom. XVII. Bibliothec. PP. Lugd. p. 22. ubi p. 44. extat Leonis Epistola ad Omarum Saracenorum Regem de Fidei Christianae veritate, et mysteriis, deque variis Saracenorum haeresibus et blasphemiis; in ipsa autem Biblioth. PP. Lugdun. Tom. XXII. pag. 763. invenitur quoque ejusdem Imperatoris Canticum Compunctionis ex meditatione extremi Judicii, quod latine Jacobo Pontano Interprete, extat etiam inter Orationes Simeonis Junioris de fide, et moribus, Ingolstadii 1603. pag. 412. Praeterea in Baronii Annal. ad ann. 911. N. 5. pag. 559. T. XV. Lucae 1744. legitur oratio parenetica ad bene beateque vivendum, quam idem Sapiens Imperans scripsit, et Fredericus Metius est interpretatus; verum in Tom. VIII. Oper. edit. Savilii, Etone 1612. pag. 267. ext. Oratio Encomiastica graeca S. Joannis Chrysostomi, et in Tom. XXIV. Venetiis 1729. Histor. Byzant. pag. 291. interprete Jacobo Goar graec. latin. Notitiae Graecorum Episcopatuum; ibidem praecedenti Tom. XXIII. pag. 155. reperiuntur oracula seu vaticinia XVI. de futuro Constantinopolis statu graec. latin. ex recensione Lambecii, cum figuris, et antiqua graeca Paraphrasi excerpt. Codini de Antiquitat. Constantinopolit. Insuper ab Jo. Meursio edita est Tactica, sive de re militari graec. lat. cum notis Lamii, ut in Tom. VI. ejusdem Operum, ut in pag. 529. Florentiae 1745.

(459) Constantini Historia de vita, et gestis Basilii Macedonis graec. latin. interprete Combefisio, extat in Scriptor. post Theopha-

§. XVIII.

Scriptores alii inter Graecos.

—

Graecis hoc saeculo Scriptoribus adnumerari solent Marcus Eremita, aut Ascetes, cujus innocen-

nem pag. 98. Tom. XXII. Hystoriae Byzant. Venetiis 1729. cui praecedit Chronicon a Leone Armenio usque ad Michaelem Teophili filium, ipsius Constantini jussu conscriptum. Narratio autem de Imagine Christi Edessena, ejusque Constantinopolim translatione graec. lat. eodem Combefisio interprete, legitur in Allatii Originib. Constantinopolit. Parisiis 1664. pag. 75., et in Tom. XIV. pag. 120. Biblioth. PP. Galland. Venetiis 1781. Scripsit quoque idem Constantinus alia opera inter quae recensentur de Caeremoniis Aulae Byzantinae libri duo qui graec. latin. cum interpretatione, et Commentariis Jo. Henrici Leichii, et Jo. Jacobi Reiskii, Lipsiae editi sunt apud Joannem Fridericum Gladisthium 1751, Rationem expeditionum bellicarum Imperatoris, et memoriale pro castris, interprete Jo. Alberto Fabricio, ut Tom. VI. Bibliot. graecae ejusdem pag. 623. Hamburgi 1714., pariter librum de administrando imperio graec. latin. qui cum interpretatione et notis Joannis Meursii extat Tom. VI. Operum Meursii pag. 929. Florentiae 1745. ubi pag. 1209. refertur quoque liber Tacticus, terra, marique pugnantium ordinationem continens graec. latin., interprete Joanne Lamio, et pag. 1410. Strategicon de variarum Gentium moribus, et quomodo unaquaeque eorum pugnat, et quomodo ei pugnando resistere oportet, eodem Lamio interprete; et pag. 1419. De Thematibus Imperii Orientalis et Occidentalis libri duo; et p. 1470. ejusdem Imperatoris Novellae constitutiones, quae constitutiones numero XIII. graec. latin. cum versione, et castigationibus Joan. Leunclavii extant in Jure Graeco Romano ejusdem Tom. I. pag. 103. et seq. et Tom. II. pag. 139. et seq. Francofurti 1596. item dicti libri duo de Thematibus Imperii Orientalis et Occidentalis sunt etiam T. I. Imper. Oriental. Banderii pag. 1. Venetiis 1729. ubi pag. 45. ex emendatione, et cum notis Anselmi Banderii legitur alter supracitatus liber de Administrando imperio, insertus in Historia Byzantina T. XXVI.

tiam magna cum vitae asperitate conjunctam, auctores satis probabiles collaudant, cujus multa, ut vult Bellarminus, Theologica opuscula fidelium institutioni ac pietati data sunt (460). Aretam Presbyterum Caesariensem, licet nonnulli septimo aut octavo Ecclesiae saeculo tribuerint, nos decimo huic accensendum esse putamus, Apocalypsis explanatorem minime obscurum, Scriptoremque disertum de Translatione Eutymii Patriarchae Constantinopolitani (461).

Moses Barcepha Syrorum Episcopus, reique Christianae curator apud Seleuciam Parthicam auctor, fertur illius libri qui de Paradiso inscribitur, et ex Syriaca in Latinam linguam translatus est ab Andrea Masio Bruxellensi, ac praeloquio ditatus ubi plura de Nestorianis, Maronitis aliisque gentibus disseruntur (462). Eutychius Alexandrinae Eccle-

(460) Marci Eremitae opuscula graec. latin. habentur Tom. VIII. Biblioth. PP. Galland. pag. 1. et seq. Venetiis 1772. quorum aliqua, opuscula scilicet theologica inveniuntur latine Tom. V. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 1084., insuper capitula de lege Spirituali ext. inter Orthodoxagrapha, Basileae 1555. pag. 568. et sermones de Jejunio, et Melchisedech Graec. Latin. Interprete Balthassare Maria Remondini, editi sunt Romae per Antonium De Rubeis 1748.

(461) Aretae Presbyteri Caesariensis explicatio in Apocalypsim ex Commentario Andreae Casariensis Graec. Latin. interprete Jo. Hanterio reperitur cum Oecumenio Tom. II. pag. 636. Lutetiae Paris. 1631. latine autem Tom. IX. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. p. 741., praeterea apud Surium T. VI. Coloniae Agrippinae 1581. ad diem XV. Novembris habetur ejusdem Aratae oratio de SS. Martyribus Samona, Guria, et Abibo.

(462) Moses Bar-Cephae Commentarius de Paradiso ex Syriaco in Latinum translatus ab Andrea Masio legitur Tom. XVII. Biblioth.

siae, cujus Antistes curam gerebat, peculiarem historiam contexuit (463).

Oecumenium qui plurima ex Veteri Testamento, innixus praesertim Chrysostomo, enucleate explanavit hic collocant nonnulli (464); consultius vero qui id de Svida celeberrimo Lexici auctore affirmant. Quo in Lexico etsi non pauca perturbata et confusa Ludolfus Kusterus animadverterit, uberem tamen eruditionis copiam studiosis suppeditari intelligimus (465).

PP. Lugdun. pag. 457. Scripsit quoque liturgiam, quae et cum aliis liturgiis extat in collectione liturgiarum Orientalium Renaudotii Parisiis 1716. pag. 391.

(463) Eutychii Contextio Gemmarum, ab Eduardo Pocokio Arab. et Latin. Londini 1642., et Oxonii 1658. edita est, Ecclesiae vero Alexandrinae origines ex arabico in latinum translatae, et commentario illustratae a Joanne Seldeno, Londini apud Richardum Bishopum 1642.

(464) Oecumenii Commentaria in Acta Apostolorum, in omnes Epistolas S. Pauli, et Epistolas Catholicas, una cum supradicti Aretae explanationibus Lutetiae Parisiorum ex Interpretatione Joannis Hentenii, correcta a Friderico Morello apud Claudium Sonnium 1631., duobus Tomis edita sunt.

(465) Svidae Lexicon graec. latin. cum versione latina Aemilii Porti, Coloniae Allobr. 1619. et accedentibus notis Ludolphi Kusteri, Cantabrigiae typis Academicis 1705. vulgatum fuit; praeterea ejusdem Svidae Excerpta, eodem Aemilio Porto interprete, leguntur Tom. I. Histor. Byzantinae pag. 164. Venetiis 1729. Lόnge aliud est a Lexico opus illud Svidae, quod Lugduni Batavorum inter libros Isaaci Vossii et in vaticana Bibliotheca, Fabricii testimonio, asservatur.

§. XIX.

Latini hujus Saeculi Scriptores.
Odo Cluniacensis.

—

De hoc non pauci fere coaevi memoriae prodiderunt, postquam S. Martini Turonensis Canonicus fuisset, Cluniacensi deinde Ordini adscriptum, egregiam monasticae disciplinae per omnem Galliam reparandae operam ad vitae exitum (qui fuit an. 942.) impendisse. Accedit, iisdem testibus, quod magna illi inesset ingenii vis, neque poetica, ut iis temporibus facultate destitueretur qua Sanctorum caelitum laudes non modo vitae exemplis, sed carmine etiam et hymnis celebraret; verum et de vita S. Geraldi Aurelianensis Libros quatuor dedit, Tractatum praeterea de *reversione B. Martini Turonensis a Burgundia*, et de eodem Martino Apostolis comparato. A Martino Marrier, Parisiensi Monacho, quamplurimi Odonis morales libri in Job, a Sirmondo autem libri collationum tres deprompti fuere (466).

(466) Odonis opera ext. Tom. XVII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 250.; varia autem opuscula, scilicet de vita S. Geraldi Auriliacensis Comitis, libri IV. de Reversione B. Martini a Burgundia, Tractatum quo B. Martinus par dicitur Apostolis, Sermones IV. Collationum libri III. Versus, et Hymni habentur in Biblioth. Cluniacensi Marrier Lutetiae Parisiorum 1614. pag. 66. et seq. Insuper Hymnus in honorem S. Martini invenitur quoque Tom. III. Annal. Benedictin. Mabillonii pag. 659. Lucae 1739. et Sermo in Festo translationis S. Benedicti Tom. II. Act. SS. Benedict. Mabillon. pag. 348. Venetiis 1733.

§. XX.

Frodoardus.

—

Frodoardus postquam Canonicus Rhemensis, et Parochus Culmisiacensis alienae saluti plurimum adlaborasset, suae vacans in monasterium secessit, ubi exitu vitae consentaneo defunctus est an. 966. Hic in *Chronico* Gallicarum rerum illius temporis notitiam inchoatam plerumque et confictam exhibuit, idque operis quod extat a Petro Pithaeo inter coaevos Scriptores an. 1558 typis consignatum est. Habemus latine a Sirmondo editam historiam Rhemensis Ecclesiae, quam ab ejus tabulariis ab actis Sanctorum, et Pontificiis Epistolis Luitprandus crassa forsan minerva congessit (467).

Sermo autem in festo S. Martini Tom. V. Thesaur. Anedoct. Martene pag. 617. Lutetiae Parisiorum 1717.; et Sermo de S. Maria Magdalena Tom. V. Julii Bolland. Venetiis 1748. pag. 218.

(467) Flodoardi sive Frodoardi Rhemensis Chronicon ab an. 919. ad 966. extat Tom. II. Script. Francor. Du Chesne pag. 590. Lutetiae Parisiorum 1636. Historiae autem Ecclesiae Rhemensis libri IV. cum scholiis Georgii Colvenerii leguntur in Tom. XVII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 500. Ejusdem auctoris fragmentum poematis de Romanis Pontificibus reperitur in Tom. IV. Venetiis 1734. Act. SS. Benedict. Mabillonii pag. 514. et in Tom. III. Part. II. Rer. Italic. Muratorii Mediolani 1734. pag. 67. 78. 89. 116. 176. 190. 283. ad 288., 291. 294. ad 301. 305. 307. 311. ad 321. et 324., nec non in Tom. II. Act. SS. Benedict. Mabillon. Venetiis 1733. habentur pag. 26. vita S. Columbani carmine descripta, pag. 119. carmen de S. Attala Abbate Bobiensi, pag. 156. carmen de vita S. Bertulphi Abbatis, p. 328. fragmentum carminis de Translatione S. Benedicti; item in Tom. III.

§. XXI.

Luitprandus.

—

Luitprandus rerum gerendarum magisquam literarum prudentia celebritatem est assecutus. Ticinensis Ecclesiae Diaconus, Antistes deinde Cremonensis a Berengario II., cui obtemperabat Italia, et ipse a secretis fuisse dicitur, legatus est anno 946. ad Constantinum Porphyrogenitum Orientis Imperatorem, deinde ab Othone Aug. ad Nicephorum Phocam, et quae homini tot muneribus perfuncto contigerint, in suis operibus persaepe meminit. Legationem suam ad Nicephorum Phocam descripsit libello qui primo in lucem editus est Ingolstadii an. 1600. alia de Romanorum Pontificum gestis, et *chronica* et *adversaria* quae Luit prandi nomen praeferunt eidem supposita fuisse existimantur. Quod est praecipuum atque indubium opus, res ab Europae Imperatoribus et Regibus gestas exordio ab Arnulfi Imperatoris temporibus sumpto sex libris expressit, in quibus multum historicae fidei demunt temporum ruditas, invidia et adulatio, queis auctor indulgebat; parum perspicuitatis, elegantiae nihil (468).

Maii apud Bollandianos Venetiis 1738. pag. 716. Carmen de S. Paschali Papa, et Tom. I. Octobris Antuerpiae 1765. pag. 172. Translat. Corporis S. Rhemigii Rhemensis Episcopi; demum in Miscellan. Baluzii Tom. IV. Parisiis apud Muguet 1683. pag. 553. nonnulla ejusd. Epitaphia edita referuntur.

(468) Luitprandi Opera omnia edita sunt a Hieronymo de la

§. XXII.

Atto Vercellensis.

Inter Gallos, quos Hugo subjectae sibi Italiae Episcopos dedit, pernobilis fuit locus, sedes nempe Vercellensis Attoni, quem incorrupta fidei integritas, consilii gravitas, literarum peritia commendabant, et Lothario, qui Hugoni in imperio successit, pergratum fecere. Viget illius fama apud posteros ob ea quae rudi indoctoque saeculo, neque inerudite, neque indocte in Epistolas Pauli, et Decretalibus ipse Epistolis conscripsit, tum praesertim ob librum uti habet titulus, *de Pressuris Ecclesiasticis.* Ex ejus operibus nonnulla e Vaticano Codice in Tomum octavum Spicilegii typis mandarat Dacherius; omnia deinde absolutissima editione evulganda curavit an. 1768. Carolus Burontius Del Signore (469).

Higuera cum notis Laurentii Ramirez Antuerpiae ex Typograph. Plantiniana Balthasaris Moreti 1640. Historia, ejusque Legatio ad Nicephorum Phocam cum notis Henrici Canisii, et Muratorii apud eumdem Muratorium ext. Tom. II. Part. I. Rer. Italic. Mediolani 1723. p. 417. in cujus Part. II. ibidem edit. 1726. pag. 1079. sunt quoque lectiones variantes ad praedictam historiam addendae, libri autem VI. quos Luitprandus scripsit Rerum ab Europae Imperatoribus gestarum editi sunt Lutetiae Parisiorum 1641. ext. Tom. III. Script. Franc. Du Chesne pag. 562.

(469) Attonis Vercellensis Episcopi opera praefatione, et Commentariis a Carolo Burontio Del Signore; Vercellis per Josephum Panialem 1768. Tom. II. fol. publici juris facta fuere, quamvis Capitulare inveniatur quoque in Spicilegio D'Achery Tom. I. Parisiis 1723. pag. 402. ubi pag. 414. quoque adest Libellus de Pressuris Ecclesiasticis et pag. 431. et seq. ejusdem Epistolae.

§. XXIII.

Ratherius et Fulcuinus.

—

Ratherii fortuna nil profecto asperius, nil insignius. Laubiensis Monachus ad Veronensem Pontificatum evehitur Regis Hugonis gratia, in quam cum paullo post offendisset, pulsus ab honoris sede, in vincula et tenebras abripitur. Inde aliquantulum divagatus, ad Leodiensem Episcopatum assumitur, et coorta populi seditione, exsulat, donec in pristinam sedem Veronensem redintegratur. Verum hominum pertesus, Lerbiense monasterium repetit, mortalibusque aerumnis an. 964. aufertur. Hasce omnes fortunae injurias doctrinarum excellentia neque repressit neque prohibuit, concitavit fortasse, ut nonnulli visum est, immodica, qua ferebatur, in Clericorum populique mores corrigendos acerbitate. Sane qua animi sollicitudine inter tot Ecclesiae mala exederetur indicio sunt illius scripta, quae multa in Ecclesiasticam disciplinam et historiam confecit, evulgaruntque anno 1765. Ballerinii fratres: de iis autem judicium attulerat Mabillonius (de Sanct. Ord. Bened. Saec. 5.) cum Ratherii vitam multis antea laudibus exornasset (470).

(470) Ratherii opera omnia praefatione, vita auctoris Admonitionibus, notisque illustrata a Petro et Hieronymo fratribus Ballerinis Veronae typis Marci Moroni 1765. excussa sunt; varia autem ejusdem opera etiam in cit. Tom. I. Spicileg. D'Achery pag. 345. habentur,

Laubiensis ejusdem monasterii alumnus Fulcuinus, deinde Abbas, quidquid e suorum procuratione supererat temporis, litteris impendebat, nonnullosque edidit studiorum fructus, inter quos *Chronicon Abbatum Laubiensis Caenobii*, (legitur enim apud Dacherium in Spicilegio) *opusculum de miraculis S. Ursmari*, et Vitam Folcuini Jarvanensis Episcopi, quam Actis Benedictinorum Caelitum Mabillonius inseruit. In sinu Laubiensium suorum Folcuinus Abbas an. 990. interiit (471).

§. XXIV.

Gerbertus.

—

Hic Gerberti magisquam Silvestri II. nomine innotuit, quo nomine, extremo vitae tempore eidem uti licuit. Ignobili in Averniis loco natus, amaeniores litteras, severioresque disciplinas excoluit, in mathesi, ad quam ingenium a natura comparatum sortitus fuerat, primo versatus est, mirifice postea

sicuti et Epistola Synodica ad Presbyteros, et Ordines caeteros per Diaecesim constitutos in Tom. XI. Concil. Labbé col. 811. et Praeloquiorum libri VI. Tom. IX. Veter. Script. et Monument. Martene Parisiis 1733. p. 785. ubi p. 965. et seq. sunt quoque Epistolae III. Acta vero S. Ursmari Abbatis ab eodem conscripta refert Mabillonius Tom. III. Venetiis 1734. Act. SS. Benedict. pag. 215.

(471) Fulcuini opus, Abbatum Laubiensium gesta continens refertur in Tom. II. Spicileg. D'Achery Parisiis 1723. pag. 730. et ejusdem historia miraculorum S. Ursmarii Episcopi Laubiensis in Tom. II. Aprilis apud Bolland. pag. 563., et vita S. Folcuini Episcopi Tarvennensis in Tom. V. cit. Act. SS. Benedict. Mabillon. pag. 587.

excelluit. Gratiam iniit apud Ottonem II. quam studiorum commendatione et societate tuebatur, Bobiensis Abbas ab eo deinde renunciatus. Ottone extincto, cum se se in Galliam recepisset, plurimum valuit illius judicium in iis quae ad praefecturam studiorum pertinerent, et Rhemensem Pontificatum, laborum praemium est consecutus. Id tamen haud illi injuriis aerumnisque vacuum, quas cum declinaret, Ravennam petiit, hujusque Urbis nobilissimae infulas, Ottone III. suffragante, accepit. Imperatore adnitente, in Romanam Sedem elatus, quatuor licet annis devectaque aetate Silvester II. in Pontificatu vixerit (saeculo autem XI. exoriente decessit) haud imparem ostendit animi magnitudinem, quam in moribus restituendis, eruendisque simoniacorum corruptelis egregie praestiterat. Verum quod est ad illius laudem illustrius in ea optimarum artium ignoratione, expolitus perdoctusque evasit, et cum literarum monumenta tenebris obruerentur, libros quotquot potuit, eosque latinae eloquentiae praeceptores collegit, et exemplaribus refectis in universitatem omnem propagavit. Sed et ipsum habemus epistolarum plurium scriptorem satis disertum, auctorem praeterea illius opusculi, cui titulus: *Disputatio Christianorum et Judaeorum Romae habita*, tum Commentarii *in locum aliquem Porphyrii*, *Geometriae* denique et *Rithmomachiae* (472).

(472) Gerberti opera apud varios Scriptores inveniuntur, Apologia enim pro Synodo Rhemensi in Appendic. Dissertation. De Causis

§. XXV.

Latini Scriptores caeteri.

—

Alios quoque haud illaudatos hujus saeculi scriptores meminimus, Adrevaldum Floriacensem Benedictinum, qui Librum *de Corpore et Sanguine Domini* Scoto opposuit, et Benedictum Monachorum parentem, et Aigulfum Abbatem scripto

Majoribus Jo. Gerbais Lugduni apud Canier 1685. pag. 68., Epistola ad Adelboldum Episcopum Trajectensem de causa diversitatis erearum in Trigono Æquilatero in Tom. III. Part. II. Thesaur. Anecdot. Pezii Augustae Vindelicorum et Graecii 1721. pag. 82. et ibidem p. 5. ejusdem Geometria, sicuti in Tom. I. Part. II. pag. 133. libellus de corpore, et sanguine Domini et pag. 149. alter libellus ad Ottonem III. de Rationali, et ratione uti; Sermo de informatione Episcoporum in Tom. XIV. Biblioth. PP. Gallandii pag. 133. Venetiis 1781. et in Analect. Mabillon. pag. 103. Parisiis 1723. ubi quoque pag. 103. Praefatio ad Ottonem Imperatorem, et pag. 102. Epistola ad Constantinum Monachum Floriacensem de spherae constructione; Epistola autem ad Sallam Episcopum Urgellensem in Marca hispanica Petri de Marca Parisiis 1688. pag. 957. et pag. 958. altera ad Odonem Episcopum Gerundensem; Professio fidei ext. Tom. XI. concilior. Labbei col. 994. ubi quoque col. 999. et 1035. Epistolae variae; Judicium, sive Placitum, Ravennae in Monasterio Classensi habitum, cum adnotationibus Ludovici Antonii Muratorii in Tom. V. Symbolar. litterar. Florentinar. Gori Florentiae 1749. pag. 1. Litterae CLXI. in Tom. II. Scriptor. Francior. Du-Chesnii Lutetiae Parisiorum 1636. pag. 789. et 828. et in Tom. XVII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 669. Privilegium Abbati, et Monachis Vizeliacensibus in Tom. II. Spicileg. D'Achery pag. 501. Parisiis 1723. Vita, et passio S. Adalberti Martyris, edita, et notis illustrata ab Abrahamo Bzovio, Romae typis R. C. A. 1629. Compact. cum vita ejusd. Silvestri ipsius Bzovii. Vita Silvestr. II. ap. Labbeum p. 1033. T. XI. Concil.

celebravit (473), Reginonem Abbatem ex eodem Ordine, qui libros duos a Christo nato ad an. 908. chronicos, et Tractatum de Disciplinis Ecclesiasticis et Christiana religione elucubravit (474): Vitichindum, in Germania natum et monasticae disciplinae ab adolescentia addictum qui non modo ob libros tres de rebus Saxonicis, sed et aliis operibus, quae Hen. Meibomius protulit, non mediocrem famam sibi comparavit (475). Hosce tulit Benedictinorum institutio et disciplina, quae litterarum atque artium educatrix et custos, nullo praeconio aequari potest. Caeterum Radulphos plures Ecclesiasticos scriptores saeculo huic dedissemus, nisi posteris eos aetatibus probabiles admodum Critici adsi-

(473) Etiam Adelbertus vocatur. Quae scripsit de Corpore et Sanguine Domini contra Joannem Erigenam Scotum exhibentur apud D'Acherium Tom. I. Spicilegii Parisiis 1723. p. 150. Vita autem S. Aigulfi Abbatis Lexinensis, et Martyris ab eodem exarata apud Mabillonium Tom. II. Act. SS. Benedict. Venetiis 1733. pag. 627. ubi pag. 338. praecedit historia translationis S. Benedicti, et Scholasticae in Galliam ab ipso Adrevaldo pariter digesta, quae invenitur quoque apud Bollandianos ad diem 21. Martii Tom. III. Venetiis 1736. pag. 302. ubi in Tom. I. Septembris ibidem 1756. pag. 747. item refertur jam dicta S. Aigulfi vita.

(474) Reginonis Chronicon legitur inter Scriptores Rerum Germanicarum Pistorii Tom. I. Part. I. Ratisbonae 1726., et liber de Ecclesiasticis disciplinis, et Religione Christiana una cum Rhabani Archiepiscopi Moguntini epistola ad Heribaldum Episcopum Antissiodorensem apud Baluzium Tom. I. Parisiis per Franciscum Muguet 1671.

(475) Witichindi Annalium libri tres cum notis leguntur apud Meibomium Tom. I. Rerum Germanic. Helmaestadii 1688. pag. 621.

gnassent (476); idem de Stephano Augustodunensi Episcopo intelligas, qui de Altaris Sacramento egit (477). Illos autem brevitatis ergo ommittimus, qui vitas sanctorum virorum exararunt, Nothkerum monachum (478), Stephanum Lobiensem Abbatem (479), Odilonem monachum S. Medardi (480),

(476) Radulphos inter qui hoc saeculo vixisse videtur est Flaviacensis, qui Commentaria in Leviticum scripsit, quaeque extant Tom. XVII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 47.; alter enim Radulphus de Rivo Tungrensis Decanus auctor libri de Canonum observantia, qui apud Hittorpium de divinis officiis Catholicae Ecclesiae Coloniae 1568. pag. 529. et in Tom. XXVI. dictae Biblioth. PP. Lugdun. pag. 289. valde posterior habendus est, cum opus ediderit ita inscriptum: « Gesta Pontificum Leodiensium ab Engelberto a Marka, usque ad Ernestum Bavarum, » nempe usque ad an. 1389. circiter; habetur in Tom. III. Gest. Pontificum Leodiens. cura Chapeavilli excus. Leodii 1616. pag. 1.

(477) Stephani Augustodunensis sive Aeduensis opus de Sacramento altaris habetur Tom. XX. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 1872.

(478) Notkeri Balbuli Monaci Sangallensis Martyrologium legi potest apud Canisium Tom. II. Part. III. Thesaur. Monument. Eccl. Amstelaedami 1725. pag. 85. et Tom. XIII. Biblioth. PP. Galland. Venetiis 1779. pag. 760. Praeterea ejusdem recensenda est Notatio de Illustribus viris, seu interpretibus divinarum Scripturarum quae reperitur in d. Tom. XIII Biblioth. PP. Galland. pag. 755. in Fabricii Biblioth. mediae, et infimae latinitatis pag. 308. Tom. V. Patavii 1754. et in Tom. I. Part. I. Anecdot. Pagii Augustae Vindelicorum et Graecii 1721. pag. 1. ubi pag. 17. extat quoque ejusdem auctoris liber sequentiarum, quae in Missis dici solebant.

(479) Stephani Lobiensis, et Leodiensis Episcopi gesta quae scriptis mandavit S. Lamberti Episcopi et Martyris, leguntur apud Chapeavillum in Gesta Pontificum Leodiens. Leodii 1612. Tom. I. p. 351. et in Tom. V. Septemb. Bolland. pag. 581. Venetiis 1770.

(480) Odilonis S. Medardi Svessionensis Monachi scripta de translatione reliquiarum S. Sebastiani Martyris, et S. Gregorii Papae in idem S. Medardi caenobium, ext. Tom. V. Act. SS. Benedict. Ma-

Bernerum e caenobio S. Rhemigii Rhemensis (481), Joannem Italum (482), Fridegodum Anglum (483), Adsonem Luxoviensem Abbatem (484), Gerardum Presbyterum (485), Hartmannum Monachum S. Galli (486) etc. Liberales quoque disciplinas inliteratis illis temporibus neglectas excoluit Germana quaedam sanctimonialis Rosweita, vel Rosweidis, quae vitas sanctorum Willibaldi Episcopi, et Vunebaldi

billon. pag. 360. Venetiis 1734. et ibidem pag. 393. ejusdem epistola ad Ingrannum de translatione Corporum SS. Martyrum Tiburtii, Marcellini, Petri, et Sociorum.

(481) Berneri, S. Hunegundis Humolariensis vitam refert Mabillonius in saeculo II. act. SS. Benedictin. Venetiis 1733. pag. 977. qui in sequenti Tom. VII. pag. 214. eorumd. SS. Benedictin. actor. saeculi V. edidit ipsius Berneri opusculum de translatione corporis S. Hunegundis.

(482) Joannis Itali, S. Odonis Abbatis vita extat in supracit. Tom. VII. act. SS. Benedictin. Mabillon. pag. 148.

(483) Fridegodi, vita S. Wilfridi Episcopi Eboracensis carmine reperitur Tom. III. act. SS. cit. Mabillon. pag. 150., et supplementum ibidem Tom. V. pag. 679.; vita autem S. Audoeni in Annal. Eccles. Franc. Le Cointe Tom. I. Parisiis 1665. pag. 754. et Tom. IV. Augusti Bolland. pag. 810. Venetiis 1752.

(484) Adsonis qui et Hermiricns appellatur Luxoviensis Abbatis, vita S. Waldeberti Abbatis Luxoviensis legitur in cit. oper. Mabillon. Act. SS. Bened. Tom. IV. Venetiis 1734. pag. 409. et apud Bolland. Tom. I. Maji pag. 277. item Venetiis 1737.

(485) Gerardi vel Gebehardi Augustani vita S. Udalrici Episcopi Augustani recognita, et expolita a Gebhardo Episcopo Augustano invenitur in operibus Marci Valseri p. 591. Norimbergae 1682. item et in citat. oper. Mabillon. Act. SS. Bened. Tom. VII. pag. 413.

(486) Hartmanni de Sancta Wiborada Virgine et martyre reclusa apud S. Gallum vita, habetur apud eumdem Mabillon. cit. Tom. VII. act. SS. Bened. pag. 43.

Abbatis prosa oratione est prosequuta, atque inclyta Gangulphi, Dionysii, Pelagii aliorumque martyria, resque Othonis Aug. gestas (487) cecinit.

§. XXVI.

Graeci Saeculo XI. Scriptores. Michael Psellus.

—

Eos facile praetereuntes, qui graeco schismati auctores se se praebuerunt (hosce inter Georgius Cedrenus historiarum scriptor (488)), quorum ignominiam doctrinae commendatio nec delet profecto nec minuit, alios peculiari mentione dignos censemus, quorum castigatiores extitere literae, nec mediocris saepe etiam magna celebritas nominis.

Praestitit Graecis fere illius saeculi omnibus, sapientissimus, et philosophorum *supremus* a Zonara aliisque appellatus, Michael Psellus, in cujus disciplinam Michael Ducas Aug. Constantini Ducae filius traditus est. Floruit autem an. 1071. et insequentibus, ac libris plurimis, quorum nonnulli in manus pervenere, cum reliqui adhuc lateant, sacras literas juvit. Commentaria enim in Cantica Cantico-

(487) Rosweitae vitae SS. Wunebaldi primi Abbatis Heidenheimensis et Willehadi primi Bremensis Episcopi leguntur pariter apud Mabillonium cit. oper. Tom. IV. pag. 160. et seq. ac 364. et seq.

(488) Cedreni compendium Historiarum Graec. latin. cum versione latina Gulielmi Xylandri, ejus notis, ac Jacobi Goar, et Caroli Annibalis Fabroti, Venetiis apud Bartholomaeum Javarina 1729. duobus tomis editum est.

rum perfecit, a Jo. Meursio graece edita an. 1617., de Trinitate Sanctissima, *de energia et operatione daemonum* pertractavit. Cum sacra profanam eamque cumulatissimam doctrinam conjunxit, et philosophiam universam egregie complexus, Isagogem *in sex Philosophiae modos*, *Compendium quinque vocum et decem praedicabilium*, commentaria *in octo libros Physicorum*, *in quatuor mathematicas disciplinas* aliaque id genus a se extare voluit. De quo etiam egit Leo Allatius, ac de ejus scriptis disceptavit (489).

(489) Michaelis Pselli Paraphrasis in Canticum Canticorum politicis versibus e Gregorio Nisseno Graec. Latin. interpret. And. Schotto, et Franc. Zino apud Meursium pag. 290. Tom. VIII. suorum operum Florentiae 1746. invenitur, quae eodem Schotto interprete, una cum ejusdem Pselli Dialogo de Daemonum energia, seu operatione contra Manetem et Euchitas ex interpretatione Petri Morelli refertur Tom. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 579. et 589., et in Tom. III. Opusc. Philosoph. itala versione sub titulo: « *Della Natura delli Dimoni, e Spiriti Folleti, dal greco in latino, e di latino in volgare tradotta. Vinegia* 1545. » Opus vero aliud quod scripsit De omnifaria doctrina, quaestiones, ac responsiones ad Michaelem Ducam Graec. latin. Interprete Jo. Alberto Fabricio extat apud eumdem Tom. V. Biblioth. Graec. pag. 69. Hamburgi 1712. Habentur et alia laudati Michaelis opera, inter quae memoratu digna sunt de lapidum virtutibus, quod Graec. latin. cum notis Phil. Jacob. Maussau, et Jo. Steph. Bernard Lugd. Batavorum apud Philippum Bonk 1745. evulgatum est; pariter et Metaphrasis libri secundi Posteriorum Analyticorum Aristotelis ab Emmanuele Mangumio interpr. relat. in T. I. Oper. Aristotel. Part. III. edit. Venetae apud Juntas 1574. in calce tandem, et Synopsis legum versibus jambis, et politicis quae graec. latin. cum interpretatione, et notis Francisci Bosqueti, et observationibus Cornelii Siebenii legitur Tom. I. Thes. Juris Civilis et Canonici Meerman. Hagae Comitum 1751. pag. 37.

§. XXVII.

Theophylactus.

—

Quam in Bulgariam conseruit fidem Theophylactus Acridae Antistes (cujus vita Alexandri II. temporibus conjuncta est) eandem scriptis asseruit. Hoc autem inter ejus laudes praecipuum, quod Jo. Chrysostomi lectione mirifice delectatus, hujusce opera in proprium succum, ut ajunt, sanguinemque convertere nisus sit, ac epitome specie retulerit. Eadem profecto studiorum via et ratione inita, non modo in minores Prophetas, sed in Evangelia omnia omnesque Paulli epistolas commentaria composuit, quae graece (aliqua ex iis tantum latine) deinde simul et latine typis mandata fuere. Dedit epistolas etiam 75., orationem venerandae Cruci supplicem, regiaque ad Constantinum Porphyrogenitum instituta; quae omnia Chrysostomi sententiis instructa, arma utique aptissima fuere Perronio Cardinali adversus Sacramentarios: utinam et contra Graecos nobis aeque comparata fuissent (490).

(490) Theophylacti opera omnia Graec. latin. Venetiis apud Josephum Bertelland 1754-1763. quatuor tomis typis mandata sunt, quorum plura alibi quoque divisim reperiuntur nempe, Allocutio de iis, in quibus Latini accusantur, in Fasciculo Anecdotor. Joh. Aloysii Mingarelli Canonici Regularis Romae vulgat. 1756. pag. 259.; Argumenta contra Latinos de processione Spiritus Sancti in Tom. I. Graec. Orthodoxae Allatii pag. 215. Romae 1652., Oratio de Cruce Graec. latin. in Tom. II. Gretseri pag. 290. edit. Ratisbonae 1734. In-

§. XXVIII.

Olympiodorus.

Olympiodorum sunt qui Peripateticae scholae alumnum, deinde monachum, sunt qui Constantinopolitanae Ecclesiae Diaconum affirment. Utcumque sit (nec pauci praeterea nono eum Ecclesiae saeculo adsignant) *Commentarium in Ecclesiasten Salomonis* triplici sensui, atque, ut Sixtus Senensis habet, erudite et concinne accommodavit: idque operis in lucem prodiit Parisiis an. 1624. in Bibliotheca vet. Patrum. Nec parum laudis accedit Olympiodoro ab iis, ut vocant, Catenis, quas in librum Job confecit, quaeque Lugduni et Venetiis impressae omnium manibus in praesentia pervolvuntur (491).

stitutio Regia ad Constantinum Porphyrogenitum, interprete Petro Possino, compact. cum Anastasio Tom. VII. Histor. Byzantin. Venetiis apud Javarina 1729. et latine in Tom. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 563. ubi etiam pag. 532. latine redditae a Vincentio Marinerio referuntur Theophylacti epistolae, et interprete Jo. Meursio in Meursii Operibus Tom. VIII. pag. 787. Florentiae edit. 1746.: demum de risu et vociferationibus fragmentum ext. Tom. V. citat. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 1214.

(491) Olympiodori enarrationem in Ecclesiasten Salomonis interpretatus est Zenobius Accajolus, et extat tam inter Orthodoxographa Basileae edit. 1555. pag. 937., quam in Tom. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 490. Commentarius autem in Job ext. in Catena Nicetae in Job: Londini 1637. Excerpta vero historica ex Photio Graec. lat. interprete Andrea Schotto in Tom. I. Histor. Byzantinae pag. 145. Venetiis 1729.

§. XXIX.

Scriptores alii inter Graecos.

Debito honoris testimonio haudquaquam fraudandus est Joannes Xiphilinus, Trapezunte oriundus, arctissimo vivendi genere, Constantinopolitanorum infulis, queis an. 1066. ornatus dicitur, et Evangelicis concionibus perillustris. Ex hisce nonnihil in lucem prodiit; reliquum luce utique, Labbei sententia, dignissimum adhuc desideratur (492). Habuit idem saeculum Joannem Scylitzem, sive ut ab ejus officio vocant, Curopalatem, cujus historia initia sumit ab illius fine, quam Theophanes conscripsit; perducitur autem ad annum 1081. quo Alexius Comnenus Imperator factus est. Hoc opere haud parum usum fuisse volunt eumdem Georgium Cedrenum (493).

(492) Xiphilini oratio in tertiam jejuniorum hebdomadam, seu in crucis adorationem Graec. lat. ext. T. II. cit. Oper. Gretseri p. 258. et latine in pariter citat. T. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 572.

(493) Scylitzes Joannis excerpta ex Breviario historico graec. latin. cum notis Fabrotti, et Goari leguntur in citato compendio historiarum Cedreni Tom. II. pag. 631.; praefatio autem ad suam synopsim historiarum quam Montfauconius est interpretatus graec. latin. habetur in Biblioth. Coislinian. ejusdem pag. 207., Parisiis 1715., suggestio vero ad Alexium Comnenum Imperatorem, sub nomine Curopalatis, de ambiguitate quadam in edicto de sponsalibus recens promulgato, tollenda, inserta est in Jure Graec. Romano Leunclavii Tom. I. pag. 132. Francofurti 1596.

§. XXX.

Latini Saec. XI. Scriptores.
S. Fulbertus et Dithmarus.

—

Non protectores modo opitulatoresque, sed sacrae eruditionis cultores se se hoc saeculo multi praestiterunt inter Romanos Pontifices, Leo IX. imprimis et Gregorius VII. Graecorum errores perstrinxerat Leo, insigni ad Michaelem Antistitem Constantinopolitanum Epistola, si modo epistolam dicas quae compositissimi instar libri esse possit (494).

(494) Leonis IX. epistolae plures, ac bullae quas edidit, apud varios Scriptores evulgatae reperiuntur, sicuti et ejusdem diplomata, ac privilegia; et revera non pauca extant in Ital. Sacr. Ughelli Venetiis edit. ab 1717. ad 1722. Tom. I. pag. 120., 449., 1361. Tom. III. pag. 68. 358. 626. Tom. IV. pag. 446. Tom. V. pag. 761. 1217. Tom. VII. pag. 379. Tom. VIII. pag. 78. et Numero XXXV. in Bullario Romano Tom. I. pag. 360. et seq. Labbaeus quoque in Concil. Tom. XI. a col. 1319. ad col. 1371. XIX. ejusdem epistolas collegit. Insuper in Tom. VII. act. SS. Benedictin. Mabillon. edit. Venetiis 1733. pag. 865. legitur Bulla Canonizationis S. Gerardi Episcopi Tullensis, et in Tom. VIII. eorumdem actorum pag. 150. Epistola ad Wilbertum Mutinensem Episcopum super veneratione S. Symeonis Eremitae, et pag. 637. Epistolae duae pro Ecclesia S. Remigii Rhemensis; in ejusdem autem Mabillonii supplement. sive Append. de re diplomatica pag. 99. Neapoli 1789. Privilegium pro Canonicis Ecclesiae Virdunensis. Praeterea apud D'Acherium in Tom. III. Spicilegii pag. 349. Parisiis 1733. habetur confirmatio Privilegiorum Monasterio Corbejae, et pag. 398. Epistola ad Francos, qua eos ut sui Apostoli Rhemensis festum celebrent, hortatur; et apud Balutium in oper. Servati Lupi pag. 527. Parisiis 1664. Bulla pro Monasterio Casae Dei apud Arvernos; Privilegium vero ab eodem Pontifice Richerio Abbati Casi-

Gregorium autem veterum Patrum, Gregorii praesertim Magni sententiis, instructum ac munitum adversus Haereticos Christianosque illis persimiles processisse, nemo non agnovit, qui illustres admodum conscripsit Epistolas, et dignus profecto cui Commentarium tribueretur in Psalmos paenitentiales, quem alii Gregorii Magni Doctoris foetum esse contendunt (495).

Fulberti vita cum initio hujus saeculi conjungitur, et a liberalium artium peritia, ab insigni erga Mariam Virginem praesertim religione, a pastorali officio in Carnotensi sede egregie persoluto, mirificum in modum enituit; et an. 1028. IV. Id. Apr. immortali aevo excepta est. Quae Fulbertus literis commendavit docto sanctoque viro dignissima apparent, permultae scilicet Epistolae, liber de officiorum Ecclesiasticorum varietate, aliaque opuscula (496).

nensi collatum, retulit Montfaucon in Diar. Italic. pag. 326. Parisiis 1702. altera autem duo pro Ecclesia Babenbergensi ext. Tom. II. Corp. Historic. Eccardi pag. 90. Lipsiae 1723.; tandem in Tom. I. Supplement. Mansi ad concilia pag. 1283. Lucae 1748. epistola ad majoris Ecclesiae Lucensis Canonicos a Pontifice missa invenitur.

(495) Gregorii Papae VII. quamplura ex variis codicibus deprompta sive epistolae sint, sive decreta, vel privilegia, vel alia quaelibet referuntur in Bullar. Roman. Tom. II. Romae edit. 1739. a pag. 25. ad 60., in citata Italia Sacra Ughelli Tom. I. pag. 1363. Tom. II. pag. 16. Tom. III. pag. 79. 83. 361. 364., apud D'Achery Tom. III. Spicileg. pag. 413., apud Labbé Concil. Tom. XII. p. 340. L. 9. et in Operibus Christiani Lupi Tom. V. pag. 161.

(496) Fulberti Carnotensis Episcopi opera cum notis Caroli De Villicos ext. Tom. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 3. et seq.,

Dithmarus avitae domus splendorem (Sigefridum quippe Saxoniae Comitem an. 976. parentem habuerat) cum Monachorum obscuritate immutavit, a qua tamen, connitente Henrico II. Aug., in Merseburgensem pontificatum, an. 1018. est evocatus. Hic autem non pietati modo, sed et literis aliquantum vacaverat, deditque libros chronicos septem ab Henrico Humili ad Henrici Pii tempora deductos queis nec raro editis, Criticorum judicium haud plane suffragatur (497).

§. XXXI.

Humbertus.

Catholicae veritati valde consultum est contra

sparsim autem inveniuntur Epistolae historicae LXV. Tom. IV. Script. Franc. Du Chesne pag. 172. et seq. Hymni, inter opera Cassandri, pag. 234. Sermo in Festo Assumptionis B. Mariae in Append. ad Tom. V. Oper. S. Augustini num. 208. pag. 343. Vita S. Autberti Episcopi Cameracensis, mutila tamen, apud Surium ad diem 13. Decembris pag. 989. Tom. VI. Coloniae Aggrippinae 1581. Epistola de Episcopis ad bellum procedentibus in Tom. I. Thesaur. Anecdot. Martene pag. 130. Tractatus in Cap. XII. Actuum Apostolorum in T. XIV. Biblioth. PP. Galland. pag. 177., et in ejusdem pag. 190. Epistola de bonis Ecclesiarum religiose distribuendis, quae pariter est in T. III. Spicileg. D'Acherii pag. 387.

(497) Dithmari Chronici libri VII. una cum Historia de ejusdem vita, et familia auctore Reinero Reineccio, Francofurti typis Andreae Wecheli 1580. vulgati sunt, quam autem ipse Dithmarus de S. Brunone Episcopo et Sociis Martyribus narrationem scripsit ex ipsius Chronico desumptam invenies apud Bolland. Tom. II. Februarii pag. 798. Venetiis 1735.

Graecos ab Humberti libris. Quorum auctor monasticis disciplinis in Tullensi caenobio S. Mansueti addictus, cum doctrinae laude floreret, a Leone IX. Romam accitus, Episcopus Sylvae candidae, et inter PP. Cardinales electus est, missus praeterea Constantinopolim an. 1051. ubi cum Graecorum perfidia, voce ac scripto certavit. Id autem in ea legatione illustrissimum est, quod Nicetam coram Constantino Aug. Monomacho tam arcte ac presse dicendo conflictavit, ut hostis libellum suum de azymo et nuptiis Sacerdotum anathemate et flammis ipse aboleret. Michaelis Caerularii et Leonis Achridani calumniis de azymo, et de jejunio Sabbati dedito libro respondit: scripsit contra Nicetam, et quae in Michaelem Patr. Const. ab Apostolicae Sedis Apocrisiariis peracta fuissent, accurate expressit (498).

(498) Humberti adversus calumnias Michaelis Caerularii Patriarchae Constantinopolitani, et Leonis Episcopi Achridani liber extat Tom. III. Part. I. Lect. Antiq. Canisii pag. 277. et seq. una cum altero libro adversus Nicetam Pectoratum, et brevi relatione rerum Constantinopoli ab Apostolicae Sedis Legatis gestarum, quae omnia pariter extant et in Biblioth. PP. Lugdun. Tom. XVIII. pag. 389. et seq. in Biblioth. PP. Galland. Tom. XIV. 192. et seq. et apud Baronium in Appendice ad Tom. XVII. Annal. pag. 646. et seq. et ibidem in Annal. ad ann. 1054. N. XIX. pag. 95. edit. Lucae 1745., ejusdem autem libri tres quos composuit adversus Simoniacos leguntur in Tom. V. Anecdot. Martene pag. 633.

§. XXXII.

Petrus Damiani.

—

Novercalibus ac fraternis deinde odiis oppressus Petrus Damiani Ravennatensis difficilia habuit et aspera vitae initia. At ab uno inter fratres (cujus nomen Damianum postea retinuit) peramanter denique susceptus, et in optimarum artium disciplinam traditus is brevi evasit, qui doctores edocere posset, a discentium multitudine quae ad eum confluebat, obsederetur, et fama apud omnes, atque opibus magis in dies ac magis incresceret. Verum ut Deo liberius vacaret, sanctissimam vitae rationem in Eremo Fontis Avellanae iniit, omni voluntarii cruciatus genere, infinitis omnigenae virtutis exemplis est persequutus, et variis in Perusino et Camerti agro, monasteriis exstructis, aliis capessendam proposuit. Divinos autem libros in eremo delitescens cum diurna nocturnaque manu versaret, quantum antea profanis, tantum sacris postea excelluit literis. Eum licet invitum, reluctantemque, Stephanus IX. Hostiensi Ecclesiae Cardinalem Episcopum addixit; quem eximia virtutum incrementa, amor populi atque observantia rectorem optimum comprobarunt. Post obitum Stephani, Mediolanum missus ad simoniacam labem tollendam, reprimendosque Nicolaitas, cives illic omnes in Romanum Pontificem elatos, vi orationis flexanima sedavit, et Apo-

stolicae Sedi submisit. Sacricolas Simoniaca ad unum omnes consuetudine obfirmatos ad officium perducere studuit. Legationes alias obivit, in graviora illius temporis negotia et consilia adhibitus, ut ex literis, quas ad Pontifices crebras conscripsit, quamfacillime percipitur. Monastico recessui, quod multoties efflagitaverat, restitutus Faventiae an. 1072. octogenarius ad Superum sedes evocatus est. Ad Epistolas, quae octo volumina efficiunt, sermones item plurimi Christianis festis, sanctisque viris recolendis accedunt; hisce opuscula alia quamplurima junguntur, de Fide Catholica, de virtutibus quae sacrorum Ministros et Monachos praesertim deceant, de piis exercitationibus, hisque poetica nonnulla inconcinna atque inculta, et Sanctorum vitas inseruit. Habes in eo eruditionis copiam, eamque vim sermonis, qua stimulos ad omnem virtutem addit; verum haud ita firmo et subtili judicio praeditus videtur, ut inania et inverisimilia semper praetereat (499).

(499) Petri Damiani opera omnia cum notis Constantini Cajetani, sumptibus Aegidii Tompere Parisiis 1663., et Venetiis apud Josephum Corona 1743. edita sunt, sejunctim autem varios apud scriptores habentur, et praesertim in Tom. IV. Gretseri pag. 66. Epistostola contra eos, qui Scoparum remediis detrahunt, et paenitentiales disciplinas irrident, in Biblioth. Cluniacensi Marrier pag. 315. Vita S. Odilonis Abbatis Cluniacensis, et pag. 477. Epistolae IV. ad Hugonem Abbatem Cluniacensem; in Tom. I. Januarii pag. 71. Bolland. Venetiis 1734. eadem S. Odilonis Vita, in Tom. II. ejusdem Januarii pag. 333. vita S. Mauri Caesenatis Episcopi; in Tom. II. Februarii pag. 104. Venetiis 1735. vita S. Romualdi Abbatis; in Tom. VII.

Ab hoc probe distinguas velim (quod aliquibus necdum claruit) Petrum de Honestis, idque cum Rossio (hist. Ravennat.) et Gabriele Pennotto, L. 2. Hist. Trip. Canonicorum Regularium, in quorum numero floruit, eximia utique pietatis laude, Auctor Portuensium Constitutionum, ut ex membranaceo Codice Congregationis nostrae declaratur (500).

§. XXXIII.

Lanfrancus et Guitmundus.

—

Lanfrancus patria Papiensis, nobilissimis nata-

Julii pag. 25. Venetiis 1749. acta SS. Lucillae, Florae et Socior. Martyr. et ibidem pag. 151. Sermo de S. Rufino Martyre, In Tom. I. Vit. SS. Surii pag. 48. cit. edit. Coloniensis 1576. ad diem 1. Januarii, jam dicta vita S. Odilonis, et in ejusdem Surii Tom. VII. edit. 1581. pag. 1044. et seq. Sermones III. in dedicatione Ecclesiae, et p. 1050. et seq. Tractatus de quibusdam miraculis, et Apologeticus de contemptu saeculi. In Operibus S. Hilarii pag. cxxxix. sermo de translatione S. Hilarii Episcopi Pictavensis, in Tom. II. Monarchiae Goldasti pag. 43. et seq. edit. Francofordiae 1614. Tractatus de Correctione Episcopi, et Papae, et Disceptatio Synodalis inter Romani Imperii Advocatum, et Romanae Ecclesiae Defensorem de electione Pontificis Romani. In Tom. VIII. citat. Act. SS. Benedict. Mabillon. pag. 248. praelaudata S. Romualdi Abbatis vita, et in Tom. IX. pag. 150. vita S. Dominici Loricati, et pag. 158. altera B. Rudulphi Episcopi Eugubini, et Petri ejus fratris; tandem in Tom. II. superius citat. Ital. Sacr. Ughelli pag. 594. Gesta B. Ruphilli Popiliensis Episcopi.

(500) De Honestis Petri, quam dedit ad regulares suos scriptam regulam, ad calcem dict. operum B. Petri Damiani edit. Constantini Caietani Paris. 1663., et Tom. IV. Oper. edit. Venetiis 1743. p. 139. invenies.

libus ortus, et ad humanitatem omnem institutus cum in Beccense monasterium se se abdidisset, impedire non potuit, quin ad eum tamquam ad magistrum doctrinarum prope omnium incomparabilem undique concurreretur. Deinde, instante Guillelmo Normannorum Duce, Monasterii S. Stephani Cadomensis Antistes creatus, sapientia consiliorum suorum rectrice et domina, plane ostendit quid in apertiori campo esset praestiturus. Sublatus itaque e monachorum angustiis, in amplissimam Cantuariensium Sedem, ab ea tamquam e specula universae Britannorum Ecclesiae ejusque rationibus egregie prospexit, et ad rempublicam, obtestante Rege, interdum traductus, eximiam illi operam navavit. Fato concessit an. 1089. IX. Cal. Jun. cum jam de auditoribus suis, quorum nomina praedicabantur, jure gloriari posset. Qui Berengarium disputando adeo convicerat, ut librum in Eucharistiam auctor ipse flammis immitteret, insignem quoque *de veritate Corporis Domini* Tractatum reliquit, quo Berengarianos, eorumque asseclas postea omnes erroris pessimi pudendum esset. Opus hoc, typis saepe impressum, mendis omnibus abstersit Vilmerius Can. Regularis S. Martini apud Lovanienses. Alia scripsit Lanfrancus, praesertim vero Commentarium in Epistolas D. Paulli, Adnotatiunculas in Cassianum, statuta monastica Benedictina, Epistolas (501) etc.

(501) Lanfranci Cantuariensis Episcopi opera omnia a Luca Dacherio illustrata Venetiis apud Josephum Corona 1745. vulgata sunt.

Oppugnatorem alium, eundemque strenuum habuere Berengarii errores Guitmundum Antistitem Aversanorum, cujus obitus circa annum 1080. statuitur. Tres enim ab eo prodiere Libri de Corpore et Sanguine Domini, quibus Catholica veritas ab adversariorum cavillationibus expeditur. Quin et Trinitati Augustae, et Christi Domini humanitati testimonium scripto reddidit, quod apud SS. Patrum Bibliothecam consules (502).

§. XXXIV.

Anselmus Ep. Lucensis.

—

Hic Mantuam sortitus patriam virtutibus et doctrinis omnibus ab ineunte aetate quammaxime studuit, unde factum est, ut meritorum commendatione ab Alexandro II. R. P. an. 1071. Lucensi Ecclesiae Antistes daretur. Apostolicae Sedis jura cum

Quaeque item inveniuntur in Tom. XVIII. Bibliot. PP. Lugd. p. 617. Sermo vero sive ejusdem sententiae leguntur quoque in Tom. I. Spicil. D'Achery pag. 442. Epistola autem ad Gothricum Regem Dublionae, altera ad Texdelvacum Hiberniae Regem, altera ad Domnaldum Hiberniae pariter Episcopum habentur apud Jacobum Husserium Veter. Epistolar. Hibernicar. Sylloge pag. 48. et seq.; praeterea quod scripsit adversus Berengarium de Sacramento Eucharistiae reperitur etiam inter Orthodoxographa pag. 1279.

(502) Guitmundi Cardinalis libri tres de veritate Corporis Domini in Eucharistia, Confessio de Trinitate, Christi humanitate, Corporis ac Sanguinis Domini veritate, Oratio ad Guillelmum primum Anglorum Regem extant T. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 440. et seq.

magno animi ardore susciperet, Gregorium VII., tamquam Pastorum exemplar excoluit, et duobus Libris adversus Germanos obtrectatores et Wibertum Pseudo-Pontificem egregie defendit. Bibliorum Libros diu noctuque versans, memoriter, ut volunt, complexus est, deditque explanationes in Jeremiam Prophetam, et in Psalmos nonnullos. Insignem quoque Canonum Collectionem in Vaticanis et Barberinianis Codicibus descriptam Lucensi Anselmo adjudicant, Natali ab Alexandro repugnante, P. Andrea Rota in Vita Veronae edita an. 1733. P. Mansius in notis ad Natalem eundem, et Ballerinii fratres. Cum ab immobili erga Romanam Sedem fide clericorum Lucensium offensionem atque invidiam subiisset Mantuam concessit, ibique in caelestem omnium patriam translatus, commemoratione virtutum ac prodigialibus operibus effulget (503).

(503) S. Anselmi Lucensis libri duo contra Wibertum Antipapam pro Gregorio VII. ejusque collectanea extant Tom. III. Thesaur. Monument. Eccles., Canisii Amstelaedami 1725. Part. I. p. 372. et seq. ac Tom. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 602. et seqq. et Tom. IV. Biblioth. Pontificiae Roccaberti pag. 41. Meditationes in Orationem Dominicam, in Ave Maria, super Salve Regina, et de gestis D. N. Jesu Christi, et de ejus passione apud Waddingum in vita S. Anselmi pag. 143. et seq. ac in Biblioth. PP. Lugdun. 1677. Tom. XXVII. pag. 436. et seq. quarum nonnullae scilicet super Ave Maria, Orationem Dominicam, ac Salve Regina sub nomine S. Bonaventurae leguntur Part. III. Stimuli Amoris S. Bonaventurae cap. XVI., XVII. et XIX. pag. 77. 81. 87. Tom. XII. oper. edit. Venet. 1755. Epistolae duo, ac Orationes duae in usum Comitissae Mathildis apud Rotam *Memorie di S. Anselmo* pag. 359. et seq. Fragmenta collectionis canonum in collect. Romana Holstenii Part. I.

§. XXXV.

Anselmus Cantuariensis.

—

Anselmus Augustae Praetoriae inter Alpes natus ex iis adolescentibus fuit, quos Lanfranci fama in Normanniam perduxit: quo tanto virtutum et doctrinarum omnium magistro non regularis modo instituti in Beccense Monasterio tyrocinium posuit, sed lucubrationes meditationi ac precationibus contexens, is brevi evasit, quem vel scientissimi ea aetate homines praedicarent. Cum monasterio illi diu praefuisset, ostendissetque simul quantum judicii, prudentiae, alacritatis et ardoris ad majora utique afferre posset, ad Sedem Cantuariensem totius Angliae principem, Henrico III. et Urbano II. Rom. Pontifice aeque adpetentibus, an. 1093. assumptus est. Eandem Ecclesiam cum plurimae opinioneque majores calamitates et angustiae premerent, infesta nempe Regis consilia, et depravata Clericorum studia, laborum, fortitudinis, et constantiae materiem Antistiti sanctissimo praebuerunt, qui nihil non suscepit, nihil non conatus est, ut exoptatam diutius pacem et tranquillitatem revocaret. Judicii doctrinaeque suae auctoritate RR. Pontifices persaepe usi sunt,

pag. 215. et Part. II. pag. 214. Libri autem XIII. collectionis Canonum MSS. in Cod. Vaticano 1363., et Barberino 1381, cujus exemplar ext. in nostra Bibliotheca S. Petri ad Vincula. Epistola demum ad amicum, qui curam pastoralem abiicere meditabatur, sine tamen authoris nomine Tom. I. Thesaur. Anecdot. Martene pag. 210.

tum ad revincendas illius temporis haereses, tum ad dilapsos Sacricolarum mores retrahendos: Graecorum praesertim errores Anselmus voce et scripto repressit: ipse curis, vigiliis atque aerumnis confectus, anno a suscepta Cantuariensi Ecclesia decimo sexto, aetatis vero suae sexto et septuagesimo, Londini mortalem conditionem cum Caelitum gloria et laudibus commutavit. Quae scripto elocubravit Anselmus eximiam rerum divinarum doctrinam, intimam metaphysicae scientiam, quantam nemo illius aevi, pauci superiorum aetatum consequuti sunt, singularem denique pietatem testantur. Acute igitur et subtiliter egit *de Veritate, de libero arbitrio, de casu Diaboli, de Deo homine, de Spiritu Sancto*, et de Christianae Fidei Sacramentis, gentiles et haereticos rejiciens; scripsit paraenetica ut humanarum rerum contemptum, et divinarum desiderium excitaret; pia quoque multa de Genitrice Dei, precationes ad Christum et ad Caelites devotissimas, in quibus etiam metaphysicam, quae summa in eo erat, soliditatem identidem admireris. Plura eidem diu adscripta videas, quae melior critices aliis adjudicavit. Anselmi opera permulti illustrarunt, quos inter Jo. Pichardus Can. Reg. Parisiensis an. 1612., Gabriel Gerberonius an. 1675. item Parisiis, recentioribus deinde studiis Maurini Monachi an. 1721. Alia postea prodiit Venetiis editio operum D. Anselmi an. 1744. (504).

(504) Alterius B. Anselmi Cantuariensis nempe Episcopi opera

§. XXXVI.

Bruno Cartusianorum Parens.

—

Hunc, quem posteritas omnis solitarii arctissimique vitae generis institutorem mirata est, coevi omnes in magna doctrinae opinione ac laude habuerunt. Coloniae natus anno circiter, ut volunt 1060, ingenio, memoria, ac discendi ardore Bruno a pueritia eluxit eaque praesertim virtutis et continentiae indole quae voluptates omnes respueret. Cum Philosophiam et Theologiam Parisiis accepisset, et Scripturam Sacram apprime calleret, Canonicus Reg. quoque Rhemensis in Campania, consilium iniit de omni rerum humanarum cura cogita-

omnia prae citatis scriptoribus cura, et studio Theophili Raynaudi Lugduni per Laurentium Durand 1630 edita sunt; singulariter autem leguntur, liber Meditationum pag. 107., de contritione cordis p. 131.: in Append. ad Tom. VI. S. Augustini; Tractatus Asceticus Tom. I. Spicilegi Dacherii pag. 443. ubi Tom. III. pag. 433. Epistolae IX., quae etiam in Miscellaneis Baluzii Tom. IV. pag. 471. et Tom. V. pag. 306. ac 342. inveniuntur; Epistola ad Alexandrum III. in editione Gerberonii vitiata, suae fidei restituta Tom. II. Angliae Sacrae Wharton pag. 178. Epistola ad Fulconem Episcopum Beluacensem Tom. XII. Concil. Labbei pag. 797. Epistolae tres T. III. Anecdoct. Martene pag. 273.; Epistolae quinque in sylloge Epistolar. Hibernicar. Usserii pag. 61. et seq.; Orationes duae ante perceptionem Corporis, et Sanguinis Domini in Analect. Mabillon. pag. 448. Oratio ad Beatam Virginem cum meditatione, et laude ejusdem p. 1089. Oper. Richard. a S. Laur. Passio SS. Guigneri, sive Fingaris, Pialae, et sociorum Tom. III. Martii Actor. SS. Bolland. Venetiis 1736. p. 456. et in Florilegio Sanctorum Hiberniae Messinghami pag. 210.

tioneque abjicienda, ac Numinis per paenitentiae labores conciliandi. Quamobrem inter asperrima Gratianopolitanae Diaecesis juga quo an. 1086. cum sociis nonnullis se se abdiderat, perarduae omnique aevo admirabilis disciplinae fundamenta jecit. Neque parum adjumenti ex ea solitudine ad literas accessit, cum exscribere Codices monachis illis sollemne fuerit. Nec quiete illa diu Brunoni frui licuit; nam ab Urbano II., cujus praeceptor fuerat, Romam accitus in gravissima consilia adhibitus est. Solitudinem unde repetiit apud Calabros, in qua, obitu sanctissimo, Prid. Non. Oct. an. 1101. decessit. Ex ejus scriptis praecipua videntur quae in omnes Psalmos et in Epistolas Ap. Pauli omnes elocubravit. Plura etiam, Expositiones nempe sacrae, Sermones, Epistolae, etc. ab eo in Brunonem alium Astensem qui Signiensi Episcopatu, doctrinaque saec. XII. floruerit, ab eruditis transferuntur. Omnia in utroque Brunone pietatis et sanctimoniae plena; at sermonis claritatem et elegantiam necquiquam requiras (505).

(505) S. Brunonis Carthusiani fidei confessio quam scripsit, in Analect. Mabillon. pag. 447. refertur; commentarius siquidem in quatuor Evangelia, qui cum notis Petri Lazzeri, Romae per Marcum Palearinium 1775. editus est, alteri S. Brunoni Astensi scilicet Signiensi Episcopo tribuendus videtur, cujus opera cum scholiis Mauri Marchesii habentur Tom. XX. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. p. 1294. Epistola ad Petrum Portuensem Episcopum Tom. I. Vet. Script. Martene pag. 627., Vita S. Leonis Papae IX. Tom. III. Part. II. Script. Rer. Italicar. Muratorii pag. 346.

§. XXXVII.

Ivo Carnotensis.

Ivo seu Yvo in agro Bellovacensi natus ab eximia Lanfranci disciplina multiplicis doctrinae laudem retulit. Praepositus Ecclesiae S. Quintini Canonicor. Reg., Carnotensis deinde Antistes ab Urbano II. creatus an. 1092. licet multis pro Ecclesia curis et laboribus distraheretur, animum tamen a literarum studiis numquam abduxit. Anno enim 1115. vel insequenti cum ad superos elatus esset, haud pauca doctrinae testimonia reliquit. Eximium commendatur opus quo Patrum Decreta in unum collegit et *Decretum Ivonis* audit. De Christianae Ecclesiae Sacramentis et de annuis Festis copiose eruditeque Sermonibus XXII. pertractavit (506).

(506) Quae omnia Ivo literis consignaverat admotis studiis Francisci Jureti, et Jo. Baptistae Soucheti, cura Joannis Frontonis, Parisiis apud Laurentium Cottereau 1647. duabus partibus in I. Vol. impressa sunt; praefixa est Ivonis vita ab eodem Frontoni descripta. Prior hujusce voluminis pars Decretorum librum amplectitur, qui ad fidem MS. Bibliothecae S. Victoris Parisiensis exemptis mendis notisque additis, Lovanii cum Joannis Molinaei Gandensis an. 1551. editus fuerat. Pars altera epistolas Ivonis continet CCLXXXVII. a viris clarissimis Jureto et Soucheto illustratas: earumque prima epistolarum editio Parisiis opera Petri Pithou an. 1585. prodierat. Praeter Decretum Ivonis habet Soucheti editio sermones hujus, et breve chronicon de Francorum Regibus. Alia exaravit Ivo partim edita, partim in bibliothecis nonnullis Flandricis et Gallicis delitescentia: alia eidem falso tribuuntur. Ejusdem Sancti Epistolae LVI. Historicae extant Tom. IV. Script. Francor. Du Chesne pag. 217. Epistolae tres

§. XXXVIII.

Scriptores alii inter Latinos.

Haud obscuris sane literis praediti sunt hoc saeculo Harigerus e Benedictino Ordine, qui historiam de Leodiensibus Episcopis, librum de Corpore et Sanguine Domini, et vitas Sanctorum nonnullas confecit (507); et ex eodem vitae instituto Burchar-

Tom. XII. Concil. Labbé pag. 800. 826. 932., Epistolae duae ad Bernerium Abbatem Bonaevallis, et Guilelmum Archiepiscopum Rothomagensem, in notis, et addendis Dacherii ad Guiberti Abbatis opera pag. 664. et 689. De Ecclesiasticis Sacramentis, et officiis apud Hittorpium de divinis officiis pag. 465. Excerpta Chronica de gestis quorumdam Regum, et Imperatorum usque ad Ludovicum Pium, in corpore Francicae Historiae Veteris Hanoviae 1613. Part. I. p. 1. ubi quoque pag. 51. ejusdem Chronicon de Regibus Francorum, Sententia in Praepositos, Exactores, et de juribus Ecclesiae Hienvillae in Parochia Tuteacensi, in Tom. II. pag. 551. et 553. Monument. ad Theodori Paenitentiale Jac. Petiti.

(507) Harigeri Leobiensis Abbatis gesta Pontificum Tungrensium, Traiectensium, et Leodiensium a beato Materno primo Leodiensium Episcopo, usque ad beatum Remalcum Episcopum vigesimum septimum leguntur in gestis Pontificum Tungrensium Joannis Capeavilli Leodii 1612. Tom. I. pag. 1. et seq. Ejusdem Tractatum in Sacramento de Eucharistia evulgavit Anonymus in Appendicem Miscellaneae historiae Gotheschalchi praedestinatiani Parisiis 1655. typis Cramoisy p. 548. Ludovicus Cellotius; Praeterea vitam S. Berlendis Virginis Merbeccae in Belgio, quam scripsit Herigerus refert Mabillonius in I. Part. saeculi III. Actorum SS. Benedictinorum Venetiis edit. 1734. pag. 13. quae auctore Anonymo habetur apud Bollandianos Tom. I. Februarii Venetiis 1735. pag. 378. apud eosdem T. II. Aprilis pag. 558. extant nonnulla ejusdem Harigeri fragmenta de S. Ursmaro.

dus Vangionum Antistes qui libros viginti quinque Decretorum ex Conciliis, ex Pontificibus, et SS. Patribus reliquit, regularis disciplinae instaurator, castimoniae et paenitentiae exemplar (508). Deoduinus seu Theoduinus Leodiensium Episcopus scriptor insignis Epistolae ad Henricum Galliae Regem « *de Corpore et Sanguine Domini*, » quam aliis adscriptam Mabillonius auctori suo vindicavit (T. IV. Analect.) (509). Hermannus Contractus, Augiensis Monachus anno 1054. vita defunctus, qui chronicam enarrationem a primo omnium parente Adamo ad an. 1052. perduxit, et ut volunt, sacra carmina panxit, necnon et antiphonas « *Salve Regina, Alma Redemptoris* » (510). Illius Chronicum fideliter pro-

(508) Burchardi libri XX. ex consiliis, et orthodoxorum Patrum decretis, tum etiam diversarum nationum synodis, ceu loci communes congesti, in quibus totum Ecclesiasticum munus luculenta brevitate, et veteres Ecclesiarum observationes complectitur, Parisiis ap. Johannem Foucherium 1549. editi sunt. Statuta Canonica de officio Clericorum, ex Burchardi opere, incerto collectore habentur Tom. III. Lection. Antiquar. Canisii pag. 396.

(509) Deoduini, seu Theoduini Leodiensis epistola de corpore, et sanguine Domini adversus Brunonem Andegavensem Episcopum et Berengarium invenitur in Analect. Mabillon. pag. 446. eadem sed mutila in Tom. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 531. et sub Durandi Leodiensis Episcopi nomine apud Baronium ad annum 1035 Num. 2. Tom. XVI. Annal. pag. 615. Lucae 1744.

(510) Contracti Hermanni Chronicon evulg. legitur inter scriptores German. Pistorii Tom. I. pag. 117. inter Scriptor. German. Pistorii Tom. I. pag. 117., inter Scriptor. German. Wistisii Tom. I. pag. 231. in Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 348. Tom. XVIII., et auctius Tom. III. Part. I. Lection. Antiquit. Canisii pag. 191. Ejus-

sequutus est usque ad an. 1065. Bertoldus Constantiensis egregii exempli Sacerdos, et Romanae Sedi obsequentissimus, quam variis pro Gregorio VII. opusculis, a Jacobo Gretsero editis, propugnavit (511). Eandem causam elegantiori stylo egit Lambertus Monachus Hirsfeldensis in Moguntina Diaecesi, edita ab orbe condito ad an. 1077. historia (512). Libros alios chronicos dedere Odorannus Monachus Benedictinus (513), Glaber Rodulfus (514) et Maria-

dem autem liber de Mensura Astrolabii, et alii libri II. de utilitatibus Astrolabii Tom. II. Part. II. Thesaur. Anecdoct. Pezii pag. 94. et 108.

(511) Bertoldi Costantiensis Presbyteri sive Bernoldi, vel Bernaldi opuscula de sacramentis excommunicatorum, apologeticum de excommunicatione facta a Gregorio VII., epistolas, ac responsiones collegit Gretserus in Tom. VI. suorum operum Ratisbonae 1735 p. 25. et seq.

(512) Lamberti Schaffnaburgensis, Hirsfeldensis in Diaecesi Moguntina alumni de rebus gestis Germanorum historia extat apud Pistorium Tom. I. pag. 306. Script. Rer. Germanicarum.

(513) Odoranni Chronicon ab an. 675. ad 1032. habetur in T. II. Script. Franc. Du Chesne pag. 636. Ejusdem autem historia translationis SS. Saviniani, Potentiani, et Sociorum Martyrum in Senonense S. Petri Caenobium in Tom. VIII. cit. Act. SS. Benedictin. Mabillon. pag. 226.

(514) Rodulphi Glaberi S. Germani caenobii Antisiodorensis primum, postea Cluniacensis Monachi Historiae Francorum libri IV. ab anno 900., vel potius ab anno 1000. qui fuit Roberti Regis XIII. ad annum 1045. reperiuntur inter veteres Scriptores Historiae Francorum Pithoei pag. 1. Francofurti 1596. Vita autem S. Guilielmi Abbatis S. Benigni Divionensis in citat. Tom. I. Januarii Bollandii p. 58. et in pariter citat. Tom. VIII. Actorum SS. Benedictinor. Mabillon. pag. 284.

nus Scotus Hibernus item Monachi ac Bonizo (515): Historiam septentrionalis plagae Ecclesiasticam descripsit Adamus Canonicus Bremensis (516); monasteria autem Angliae Ingulphus Londinensis (517). Quoad sacros Scripturae libros attinet, Canticum Canticorum paraphrasi vertit Willeramus monachus Fuldensis qui an. 1070. inclarescebat (518)

(515) Mariani Scoti Chronicorum libri tres leguntur in cit. T. I. Script. Rerum. Germanicarum Pistorii pag. 448.

Bonizonis Sutrini primum deinde Placentini Episcopi libri IX. de persecutione Ecclesiae ext. Tom. II. Scriptor. rer. Boicarum. Oefelii pag. 780. Augustae Vindelicorum 1763. Libellus autem de Sacramentis ad Gualterium Leonensis caenobii Monachum ext. T. III. antiquitatum italicar. medii aevi Muratori pag. 599. Mediolani 1740. Epistola ad Joannem Abbatem ext. Tom. II. Bibliothecae Lambecii pag. 606. Vindobonae 1769. Exemplar *Decreti* Bonizonis MS. fol. ext. in nostra Bibliotheca S. Petri ad Vincula.

(516) Adami historia Ecclesiastica continens religionis propagatae gesta, quae a tempore Karoli Magni usque ad Henricum IV. acciderunt in Ecclesia non tam Hamburgensi, quam Bremensi, vicinisque locis septemtrionalibus cum ejusdem libello de situ Daniae et reliquarum trans Daniam regionum, cura Erpoldi Lindenbruch, Lugduni Batavorum apud Franciscum Raphelengium 1595. edita est. Praeterea vita S. Libentii Archiep. Bremensis extat apud Bollandianos citat. Tom. I. Januarii pag. 180. et in dicto Tom. VIII. Act. SS. Benedict. Mabillonii pag. 115.

(517) Ingulphi Londinensis quondam Monachi Fontanissensis, alius Abbatis Croylandensis in Anglia historia monasterii Croylandensis extat in Scriptor. rer. Anglicar. post Bedam pag. 850. Francofurti Typis Wechellianis 1601. Item et vita Turketuli Abbatis Crulandensis ext. Tom. VII. Actor. SS. Benedict. Mabillonii pag. 496.

(518) Willerami Praefatio in Cantica Canticorum legitur in T. I. Veterum Scriptor. Martene pag. 507. Paraphrasis vero metro-rhythmica latina, et vetus German. Prosaica in Cantica Cantic. in T. II. Commentar. Biblioth. Vindobon. Lambecii pag. 555.

aliique in eodem genere crasse licet atque inconcinne versati sunt. Ecclesiae autem ritus attigit cum aliis Berno Augiensis Abbas Libro *de Officio Missae* (519), dum Guido Aretinus Benedict. familiae alumnus et musicae perstudiosus, aequabiles mirosque concentus in Christianis sacris effecit, librumque in eam rem evulgavit *Micrologum*, quod autem nomen nonnulli auctoris cujusdam nomen dixere (520). Sanctorum autem Caelitum gestis scripto concelebrandis innumeri hac aetate animos adjecere, quos inter meminimus Notgerum Teutonicum eundemque Leodiensium pontificem (521), Osbernum Mon. Cantuariensem, qui vitam S. Dunstani duobus libris contexuit (522), Tangmarum

(519) Bernonis Augiensis Abbatis libellus de quibusdam rebus ad Missam spectantibus habetur Biblioth. PP. Lugdun. 1677. p. 56. et seq. Vita autem S. Uldarici Augustae Vindelicorum Episcopi apud Surium die 4. Julii Tom. IV. pag. 77. Colon. Agripp. 1579.

(520) Guidonis Aretini epistolas duas de Musica refert Baronius ad annum 1022. N. 21. 22. 23. Tom. XVI. pag. 534 edit. Lucensis 1744. Micrologus vero, sive de Ecclesiasticis observationibus opusculum, an ejusdem authoris sit, consuli potest Jacobus Pamelius in observation. quas praemittit eidem opusculo in Tom. XVIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 469.; insuper hoc idem opus extat apud Hittorpium de divinis officiis pag. 434.

(521) Notgeri, seu Notkeri, vel Nodgeri vita S. Hadelini, vel Hadalini confessoris legitur apud Bollandianos Tom. I. Februarii Venetiis 1735. pag. 372. et Tom. II. citat. Actor. SS. Benedict. Mabillon. pag. 972., altera S. Landoaldi Archipresbyteri apud laudatum Surium ad diem 19. Martii Tom. II. pag. 314. apud quem ad diem scilicet 3. Septembris Tom. V. pag. 32. altera S. Remacli invenitur.

(522) Osbernus plurium Sanctorum vitas scripsit, praesertim S. Bregwini Archiepiscopi Cantuariensis quae ext. Tom. II. Angliae

Saxonem (523), Gualdonem Mon. Gallum (524), Drogonem Belgam Morinorum Episcopum (525), Guibertum Archidiaconum Tullensem, qui Leonis IX. Pont. Max. socius et comes, hujus vitam duobus libris complexus est (526); Folcardum Mon.

Sacrae pag. 75. S. Elphegi Archiepiscopi Cantuariensis, ut in cit. T. II. Angliae Sacrae pag. 122. et dicto Tom. VIII. Act. SS. Benedict. Mabillon. pag. 102., et Tom. II. Aprilis Bollandianorum pag. 631.; historia praeterea translationis ejusdem S. Elphegi extat in citat. oper. Wharton. pag. 143. Mabillon. pag. 111. Bolland. pag. 643., S. Dunstani vita legitur in cit. Tom. II. Wharton. pag. 88. et Tom. VIII. Act. dicti Mabillon. pag. 639. et Tom. IV. Maii Bolland. 359. ubi pag. 672. Mabillon. et pag. 376. Bolland. liber Miraculorum ejusd. S. Dunstani editus est; vita demum S. Odonis Cantuariensis ibidem oper. Wharton. pag. 78., Mabillon. pag. 286. ac Tom. II. Julii Bolland. pag. 67. legitur.

(523) Tangmari vita S. Bernardi habetur apud citat. Mabillon. Tom. VIII. Act. SS. Benedictin. pag. 179.

(524) Gualdonis Corbejensis Monachi poema de vita S. Anscharii Archiepiscopi Hammaburgensis reperitur citat. Tom. VI. Actor. SS. Benedict. Mabillon. p. 116. et Tom. I. Februarii Bollandii p. 427.

(525) Drogonis Monachi Burgensis vita S. Godelevae Chistellanae Virginis, et Martyris habetur apud Bollandianos Tom. II. Julii pag. 402. Historia autem Translationis S. Lewinae V. et M. quae tamen una cum subsequentibus operibus potius tribuuntur alteri Drogoni Bergensi, reperitur in Tom. IX. pag. 114. Actor. SS. Benedict. Mabillon. et Tom. V. Julii Bollandii pag. 613. pariter vita S. Oswaldi Regis in Anglia, et Martyris sub nomine tamen Dragonis Winnocibergensis in Flandria in Tom. II. Augusti citat. Bollandian. p. 94., et liber miraculorum S. Winnoci Abbatis Woromholtensis ejusdem Drogonis, sive Dragonis Bergensis in Tom. III. dict. Act. SS. Benedict. Mabillon. pag. 303.

(526) Guiberti, seu Wiberti, aut Wiperti Tullensis Archidiaconi vita S. Leonis IX. Papae cum notis Mabillonii extat Tom. III. Rer. Italic. Muratori pag. 378. et saeculo VI. Act. SS. Benedict. Mabil-

Cluniacensem (527), Gerardum Ab. S. Vincentii Laudunensis (528), Desiderium Ab. Cassinensem (529), Ursionem Altimontis Ab. (530) et Paulum Benriedensem Can. Reg. S. Augustini (531), quorum alter Marcellum, alter Gregorium VII. RR. PP. posteritati commendavit. Porro in Gregorii VII.

lon. part. II. pag. 47., et Tom. II. Aprilis Bollandii pag. 648. et apud Surium die 19. Aprilis.

(527) Folcardi Sithivensis vita S. Audomari Episcopi Morinensis legitur apud Surium die 15. Septembris, vita autem S. Bertini Abbatis Sithivensis, et apud eumd. Surium ad diem 5. Septembris, et in Tom. III. Act. SS. Benedict. Mabillon. p. 93., et Tom. II Septembris Bollandian. pag. 604. Praeterea, sub nomine Folcardi Bertiniani monachi, venit et vita S. Joannis Episcopi Floraciensis, quae et in dict. Tom III. Act. SS. Benedict. Mabillon. pag. 410., et Tom. II. Maii Bollandii pag. 168.

(528) Gerardi Corbeiensis S. Vincentii Laudunensis Abbat. qui et Sylvae Majoris vocatur ob a se instructum caenobium, vita S. Adelardi Corbejensis Abbatis extat Tom. I. Januarii Bollandian. pag. 111. et apud Mabillon. Tom. V. Act. SS. Benedict. pag. 325.

(529) Desiderii prius Cassinensis Abbatis, dein Papae sub nomine Victoris III. dialogorum libri tres de miraculis S. Benedicti, aliorumque habentur apud Mabillon. Tom. VI. Actor. SS. Benedict. pag. 434., et cum praefatione Jo. Baptistae Mari in T. XVIII. Biblioth. PP. Lugd. 1677. pag. 835., Privilegium vero Urso Ravellensi ab eodem dato in Tom. I. Ital. Sacr. Ughelli pag. 1182. et Oratio ad Episcopos in Synodo Beneventana apud Baronium ad annum 1087. Num. 9. pag. 581. Tom. XVII. et apud Labbeum T. XII. Concil. pag. 710.

(530) Ursionis Altimontensis Abbatis acta S. Marcelli Papae et Martyris ext. Tom. II. Januarii Bollandianorum pag. 9.

(531) Pauli Bernriedensis liber de rebus gestis Gregorii VII. Pontificis, et vita B. Herlucae Virginis cum notis Gretseri reperiuntur in Tom. VI. oper. ejusdem Gretseri pag. 119. et seq. Ratisbonae 1735.

defensionem non Benriedensis modo, sed scriptores hujus et alterius saeculi non pauci incubuerunt, quos inter citatus Bertoldus Constantiensis, cum alii e contra, Benno Cardinalis imprimis, sanctissimo Gregorii VII. nomini offecerint (532).

§. XXXIX.

Graeci Saec. XII. Scriptores.
Zacharias Episcopus et Euthymius Zigabenus.

—

Inter eos, qui doctrina apud Graecos saec. XII. praestiterunt, censetur a Sixto Senensi et ab aliis Zacharias Ep. Chrysopoleos, cujus ortus et obitus quem annum attigerint, incompertum adhuc habemus. Vixit cum Paschalis II. Ecclesiae praeesset, et quatuor Commentariorum libros in Evangelicam concordiam composuit (533). Hic autem a Zacha-

(532) Cardinalis Bennonis vita, et gesta Hildebrandi, qui Romanus Pontifex salutatus est nomine Gregorii VII. edita sunt in Fasciculo Gratii pag. 78. edit. Londini 1690. per Criswell, studio Edwardi Brown Parochi Sundrigiae in agro Cantiano, ad calcem Chronicae Slavorum Helmoldi, apud Wechelum 1581. Francofurti opera Reineccii vulgat.

(533) Zachariae Chrysopolitani commentarii in Ammonii Alexandrini Concordiam Evangelicam ext. Tom. XIX. pag. 732. Biblioth. PP. Lugdun. Alterius autem Zachariae Scholastici scilicet Mytilinensis Episcopi disputatio de mundi opificio adversus philosophos, ac synthagma adversus Manichaeos Graec. latin. interpretibus Gilberto, Genebrardo ac Francisco Turriano referuntur in Tom. XI. Biblioth. PP. Gallandii pag. 266. et seqq.; latine vero in Tom. IX. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 794. et seq., sejunctim autem prima graec. latin. ex versione Joannis Tarini, ex ejusdem et Casparis Barthii

ria illo Mitylenensi Episcopo longe discriminandus est, quem mundi aeterni, et duorum principiorum refutatorem ad superiores aetates pertinuisse tradunt.

Utriusque autem famam superavit Euthymius Zigabenus qui, Alexio Comneno imperatore, inter Graecos monachos, quorum magna vigebat doctrinae opinio, adnumerabatur. Erroribus omnibus obviam fuit opere rite nuncupato: « *Orthodoxae fidei Panoplia dogmatica adversus omnes haereses*, » ubi luculentissimas patrum sententias in medium affert, et turpia Muhamedanorum placita vehementer redarguit. In Psalmos etiam, et decem Scripturae Cantica, necnon et in Evangelia perspicuas valde ac solidas *Commentationes* reliquit (534).

notis cum Aenea Gazaeo de Immortalitate animae pag. 161., italo sermone ex graeco ab Jo. Antonio Vulpio translata in variis ejusdem Vulpii operibus pag. 1. secunda vero latine in Tom. I. Lection. Antiquit. Canisii pag. 428.

(534) Euthymii Zigabeni S. Basilii Monachi orthodoxae fidei Panoplia, Commentarii in omnes Psalmos, et decem cantica, et in quatuor Christi Evangelia, interpretibus Francisco Zino, Philippo Saulo, ac Joanne Entenio extant Tom. XIX. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 1. et seq.; ejusdem autem monumenta quaedam, sive caput Panopliae de dogmatibus Ismaelitarum, eorumque confutatio, victoria, et triumphus de Massalianis, specimen Catenae ad IV. Evangelistas ex cap. XXVI. S. Matthaei, specimen scholiorum in Psalmos, expositio Symboli habentur in Tom. XIV. Biblioth. PP. Gallandii Venetiis 1781. pag. 277. et seq. Praeterea eadem commentaria in Psalmos edita quoque sunt Tom. IV. Oper. Theophilacti p. 325. et seq. et apud Petrum Landris Lugduni 1573. Panoplia Orthodoxae fidei apud Sebastianum Barptol. Honor. Lugduni 1556., Victoria, et Triumphus de Massalianorum secta, qui et Phundaitae, et Borgomili, nec

§. XL.

Joannes Zonaras.

Joannes Zonaras gratiam ac munera queis in aula Constantinopolitana valebat cum monachorum secessu commutavit, floruitque, ut videtur, circa an. 1120. Quo anno mortalem conditionem exuerit, nescii profecto sumus. Annales ab orbe constituto ad an. 1118. confecit, et tres in partes dispertivit, quarum prior Judaeorum historiam usque ad Hierosolymitanum excidium persequitur, altera de rebus Romanorum gestis ab urbe condita ad Constantin. M. Aug. breviter agit, tertia Imperatorum facta usque ad Alexium Comnenum describit (535).

non Euchitae, Enthusiastae, Encratitae, et Marcionitae appellantur Graec. Lat. Jacobo Tollio Interprete, inter Tollii Insign. Itinerar. Ital. pag. 106. Praefatio tandem enarrationis in Psalmos Graec. Lat. in variis sacris le Moyne Tom. I. pag. 150.

(535) Opus ejusmodi fabulis aliquoties consertum, neque sermonis dignitate exornatum graece et latine Basileae prodiit an. 1557. interprete Hieronymo Wolfio Petingensi idemque Parisiis, cura Duchangii et Du Fresnoy an. 1686. et Venetiis apud Bartholomaeum Javarina an. 1729. editum est. Ad alia quoque animum appulit Zonaras, deditque commentarios in canones Apostolorum et conciliorum veterum et aliquorum Patrum epistolas. De Matrimonio duorum sobrinorum liber, ac canon in Deiparam inveniuntur in Monument. Cotelerii primus pag. 483. Tom. II., secundus pag. 465. Tom. III. Commentaria in Canones LXXXV. Apostolorum Graec. latin. quos Joannes Quintinus Haeduo interpretatus est. Paris. apud Andream Wechelum 1558. vulgata sunt. Expositio Canonicarum Epistolarum SS. Pa-

§. XLI.

Anna Comnena.

—

Quidquid nitoris et elegantiae ab Annalibus Zonarae exposcimus, id primaria illius temporis faemina, cumulate praestitit. Anna Comnena Alexii Imp. Constantinopolitani et Irenes Aug. filia doctrinarum prope omnium amore incensa, cum literis omnino viveret, res ab Alexio Comneno patre suo gestas libris quindecim descripsit, et *Alexiadas* nuncupavit: qui integri profecto libri cum notis David Haeschelii, latinaque versione Pet. Possinii Parisiis prodierunt, et in Byzantinam Bibliothecam postea illati sunt. Opus sermonis dignitate et splendore illustre magni fieret, nisi immodica erga parentem Annae Comnenae studia veritatem saepe saepius obscurassent. Alexii nomen Latini deprimunt, ipsa ad sydera extollit: illi veteri erga Graecos simultati, haec amori quo in parentem ferebatur, plus aequo concessit (536).

trum, in operibus graec. latin. S. Gregorii Neocaesariensis, Parisiis apud Joannem Sonnium edit. 1622., Scholia demum in Canones Apostolorum, et conciliorum, in Pandectis Beverezii Tom. I. pag. 7.

(536) Annae Comnenae Alexias, seu de rebus ab Alexio Imperatore, vel ejus tempore gestis ext. Tom. XIII. Historiae Byzant; prodiit etiam Venetiis apud Bartholomaeum Javarina 1729.

§. XLII.

Michael Glycas.

—

Glycas Siculus vitam egit Constantinopoli sub Alexio et Joanne Comnenis Augg. scripsitque circa an. 1120. *Annales*, ut vocantur, *Quadripartitos*, in quibus non historiam modo sed philosophica etiam et theologica attigit. Sermonem priori parte habet de operibus sex dierum, altera de rebus gestis a constitutione ad reparationem mundi, tertia a Christo ad Constantinum M. Aug., postrema de Imperatoribus Byzantinis usque ad obitum Alexii Comneni. Plura e fontibus haud satis integris deduxit, plura longius diffudit; exquisitas nihilominus temporum notitias praebuit. Primus Annales latine reddidit Jo. Leunklavius, postea Ph. Labbé eosdem inter Byzantinos Historicos Parisiis evulgavit an. 1660. Alii ipsius Glycae foetus, Disceptationes scilicet nonnullae, et Explicationes Biblicae apud Bibliothecas Vaticanam, Gallicam, Viennensem, et Augustanam apparuerunt; Epistolas plures dignovere Allatius, Lambecius, Jacobus Pontanus, et Cl. Lamius, qui decem latine edidit in I. et II. Tomo operis ita inscripti: « *Deliciae Eruditorum* » (537).

(537) Annales a mundi exordio usque ad obitum Alexii Comneni habentur etiam inter Byzantinos historicos Venetiis apud dictum Bartholomaeum Javarina 1729. editos; Disputationes autem duae,

§. XLIII.

Theodorus Balsamon.

Huic excellentem ea aetate doctrinae copiam omnes tribuunt, qui Cancellarius primum Constantinopolitanae Ecclesiae, ad Antiochenam deinde Sedem sublatus, ita Graecis studuit, ut ex eorum malitia praeconceptoque in Romanam Ecclesiam odio, scripta fere omnia polluerit. Fuere haec autem: Commentaria, eaque amplissima, in opus illud Photii, quod inscribitur *Nomocanon*: id operis Manuelis Aug. nutu aggressus, in Romanam praesertim Cathedram intendit, ementitosque Canones non paucos defendit, quibus, dum Graeci extollerentur, ea deprimenda esset. Dedit et Collectionem Canonum Apostolorum et Conciliorum, quibus alios a pluribus SS. Patribus deductos adjecit. Caetera a Balsamone conscripta intulit Joan. Leunklavius in libros V. et VII. Juris Graeco-Romani, in quibus omnibus totum acerbitatis suae virum Theodorum

an in peccatum lapsis condescendendum, an potius increpandi, et utrum audiendi docentes hominem a principio caducum corpus habuisse, latine, interprete Jacobo Pontano non solum ante Annales praedictos, sed et leguntur in Tom. XXII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 619. Item apud Meursium Tom. VIII. pag. 261. refertur ejusdem Glycae ad Gregorium Acropolitam epistola, utrum caelum rotundum sit, nec ne juxta D. Chrysostomum quam ipse Jo. Meursius in latinum e graeco transtulit.

evomuisse patet. Qui hujus vitae anni dandi sint, incompertum habemus (538).

§. XLIV.

Scriptores caeteri inter Graecos.

—

Haud obscuram famam sortiti sunt inter Graecos scriptores Philippus Solitarius, qui in opere ita inscripto: « *Dioptra,* » pie admodum de re Christiana sancteque egit (539); Constantinus Manasses *Synopsim historicam* ab ortu mundi ad Alexii Comneni imperium carmine, ut vocant, *politico* exaravit, quam Leunklavius latinitate donavit (540): Con-

(538) Balsamonis Commentarius in canones Apostolorum et conciliorum exhibetur in Pandectis Beveregii Tom. I. pag. 1.; commentarius vero alter in Nomocanonem Photii non solum reperitur cum citat. Photii Nomocanone, sed in Tom. II. Biblioth. Canonic. Voelli pag. 785. ubi pag. 1217. quoque collectio Ecclesiasticarum collectionum cum Leunklavii, et Fabrotti notis, epistola autem ad Antiochenos de jejuniis, ac altera ad Theodosium Abbatem de Monachis Rasophoris in Monument. Eccl. Graecae Cotelerii Tom. II. pag. 492. et Tom. III. pag. 473. Responsa tandem ad varias quaestiones Juris Canonici, ad interrogationes Marci Patriarchae Alexandrini, meditata, seu responsa ad varios casus in lib. II. V. ac VII. Juris Graec. Roman. Leunklavii et Bonefidi pag. 237. ac 263.

(539) Philippi Solitarii Dioptra rei Christianae ad Callinicum monachum, interprete Jacobo Pontano, cum notis Jacobi Gretseri ext. Tom. XXI. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 553.

(540) Constantini Manassis Annales de Graecis, latine prodiere per Jo. Lewenclajum Basileae apud Eusebium Episcopium iidem inscripti *Breviarium historicum* ab exordio mundi usque ad Nicephorum Botoniatem versibus graece, cum interpretatione prosaica Joannis Leunklavii, accedentibus libello variarum lectionum, cura Leonis Allatii, et Caroli Annibalis Fabrotti; nec non et Glossario graec.

stantinus Hermenopolus, qui medio hoc saeculo magistratus Thessalonice gessit, deditque *Epitomen Canonum*, *Confessionem de opinionibus haereticorum et de Fide orthodoxa*, et *Promptuarium Juris Civilis* (541); Arsenius monachus in monte Athos cujus fortunam usque ad Ecclesiae Constantinopolitanae infulas Imperatorum aura provexit, eademque dimovit. Porro Grecae Ecclesiae Canonum collectionem, ut appellavit, *Nomocanon*, posteritati tradidit, addiditque leges civiles quae illis consentirent (542): Theorianus cui Armenios Catholica doctrina imbuendos credidit Emmanuel Comnen. Aug. cuique debetur opus *Dialogus orthodoxi cum Catholico* (543): Joannes Cinnamus a quo Joannis

Barbar. studio ejusdem Fabrotti, Venetiis typis Bartholomaei Javarina 1729. Tom. XVI. Hist. Byzant. editi sunt; insuper iidem inscripti *Synopsis Historica* versibus exarata ex interpretatione Leunklavii graec. latin. cum notis Joannis Meursii, extant Tom. VII. Oper. Meursii pag. 340.

(541) Constantini Hermenopoli Epitome canonum legitur graec. latin. in Tom. I. collect. Juris Graec. Roman. Leunklavii Francofurti edit. 1596. ubi quoque pag. 547. ejusdem Constantini confessio de Opinionibus haereticorum, et de fide Orthodoxa, quae cum legatione Manuelis Comneni Basileae 1578. prodiere. Scripsit praeterea promptuarium Juris civilis graece impressum, Parisiis 1540., et latine a Mercero versum Lugduni 1556.

(542) Arsenii Monachi divinorum canonum synopsis inserta est Tom. II. Biblioth. Juris Canonici Veteris Gulielmi Voelli, et Henrici Justelli Lutetiae Parisiorum 1661. pag. 749.

(543) Theoriani Orthodoxi legatio ad Armenos habetur in Tom. XXII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 796. Disputatio autem cum Nierse Catholico Armeniorum graec. latin. apud Mansi Tom. II. Supplementi ad Concilia Labbé pag. 577.

Comneni et Emanuelis Augg. gesta descripta sunt (544), et Joannes Phoca, qui *parvulam historiam* composuit (545).

§. XLV.

Latini Saec. XII. Scriptores. Gofridus Card. Gilbertus Ab.

Illustris ad nos usque pervenit Gofridi seu Gaufridi fama, qui patria Andegavensis, et in Vindociense monasterio ab adolescentia versatus, ejusdemque Abbas, ita tamen principibus viris ac supremo Ecclesiae Antistiti se se probavit, ut inter PP. Cardinales ab Urbano II. adlectus fuerit. Magnos pro Apostolica Sede labores, duodecim per Alpes itinera, ternam captivitatem perpessus usque ad an. 1130. inter mortales fuit, cujus vitam Cl. Sirmondus exaravit, qui et ejus opera an. 1610. Parisiis edidit. Sunt autem: libelli ac sermones pie conscripti, ut ex Scripturae, et SS. Patrum fontibus deducti: Epistolae in libros quinque distributae ad Pontifices et eorum Legatos, ad Episcopos, Abbates etc. (546).

(544) Joannis Cinnami, de rebus gestis Imperat. Grammatici Historiar. lib. VI. seu de rebus gestis a Joanne et Manuele Comnenis Imp. CP. cum notis Du Fresne, et Du Cange Venetiis ex Typographia Bartholomaei Javarina 1729. vulgati sunt.

(545) Joannis Phocae parvulam historiam suis in Simmictis Coloniae Agrippinae 1653. apud Judocum Calcovium edit. Leo Allatius evulgavit.

(546) Goffridi Cardinalis tituli S. Priscae opera cum notis Jaco-

Gilbertus Mon. Westmonasteriensis, et Abbas sacras disciplinas ab Anselmo Cantuariensi accepit, et per Academias Galliae et Germaniae magna cum laude professus est. Disputationem cum Judaeo quodam Moguntiae habitam publici juris fecit, eique tribuuntur etiam opuscula *De Statu Ecclesiae*, et in Prologos D. Hieronymi. Verum inter hunc, et Gilbertos alios distinguendum est, Londoniensem, Pictaviensem, Porretanum, de Oilandia (547).

bi Sirmondi habentur in Tom. III. Opp. Sirmondi pag. 613. et in Tom. XXI. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 1., epistolae duae ad Hugonem, altera ad Pontium Abbates Cluniacenses ext. in Bibl. Cluniac. Marrier p. 489. et 561. item et Epistola ad Ulgerium de Altarium redemptionibus vetitis in Concilio Claromontano in Tom. XII. Concil. Labbé pag. 918.

(547) Gilberti Westmonasteriensis sive Gislaberti disputatio Ecclesiae et Synagogae sive disputatio Judaei cum Christiano de fide, habetur inter Opera S. Anselmi, opera Cerberen Lutetiae Parisiorum edit. 1721. pag. 512. Eidem tribuitur quoque vita S. Herluini Abbatis Beccensis quae invenitur cum operibus Lanfranci Cantuariensis pag. 303. et Tom. IX. Act. SS. Mabillon. pag. 344. Siquidem libellus de statu Ecclesiae, epistola ad Anselmum Cantuariensem Episcopum, Epistola ad Episcopos Hiberniae de usu Ecclesiastico, quas Usserius refert in Veterum Epistolarum sylloge Parisiis 1665. p. 54. et seq. quaeque a nonnullis huic Gilberto assignantur, spectant ad alterum Gillebertum, sive Lunicensem Episcopum; Item tamquam illius opera minime confundenda sunt, vel quae edidit Gillebertus de Hoilandia Abbas Swinshetensis, nempe sermones in Canticum Salomonis, Tractatus ascetici, et Epistolae IV., quae leguntur in Tom. II. Oper. S. Bernardi pag. 1. 165. et 189., vel quae scripsit Canonicus Regularis Foliat Gilbertus Londoniensis dein Episcopus, scilicet Epistolae VII. ad Alexandrum III. Thomam Cantuariensem, et Henricum II. Angliae Regem, quas vulgavit Christ. Lupus cum epistolis S. Thomae Cantuariensis Tom. X. suorum Oper. pag. 84. 122. 131. 132. 264. et expositio in Cantica Canticorum edidit Londi-

§. XLVI.

Rupertus et Guibertus Abb.

—

Rupertum Tuitiensem, et Abbatem Ordinis Benedictini, qui sub Paschali II. vixit, sacrae disciplinae per omnem vitam detinuerunt, qui cum, Lothario III. imperante, ad superos an. 1135. emigrasset, erudita piaque scripta reliquit. Ex hisce praecipua memorabimus, libros nempe duos supra quadraginta *de Sanctissima Trinitate, et operibus ejus*, Commentaria in XII. Prophetas Minores, in Libros Job, in Cantica Canticorum, in Ecclesiastem, in Evangelium Joannis, in Apocalypsim. Libros etiam duodecim *de Divinis officiis*, libros tresdecim *de Victoria Verbi*, et alios. Ubi sacros libros interpretatur minuto nimis, ac dialectico dicendi genere utitur, ac parum castigate de Eucharistiae Mysterio locutus videtur (548), in cujus tamen fide se se cum Ecclesia omni acquiescere declarat (549).

ni 1638. Patricius Junius, vel quae elocubravit alter Gilbertus Porretanus, Pictaviensis Episcopus, praesertim videlicet sex Principiorum liber editus in T. I. Oper. Aristotelis p. 62. Epistola ad Matthaeum Abbatem S. Florentii, quae in Tom. I. Thes. Anecd. Martene p. 427. Assertiones damnatae in Concilio Rhemensi anni 1148. quae in T. XII. Concil. Labbé pag. 1651., ac Errores de quibus in Tom. I. Collect. Judic. Eccles. Argentrè pag. 38.

(548) Vid. Bellarminus de Sacramento Eucharistiae cap. 11. et 15.

(549) Ruperti Abbatis S. Heriberti Tuitiensis Opera omnia Parisiis, sumptibus Chastellain 1638. in lucem prodierunt; praeterea singillatim Annulus, sive dialogus Christiani, et Judaei de fidei sacra-

Guibertus mon. Flaviacensis ex ordine Benedictino S. Alberto Divinarum Scripturarum doctore usus est. Abbas B. Mariae de Novigento in Laudunensi Diaecesi an. 1104. renunciatus, dies totos doctis laboribus continuans ad an. 1124. pervenit, quo e vita discessit. Scripsit de se ipso gestisque suis Guibertus, adjecitque laudes haud paucas L. Dacherius, et ipse Benedictinorum signis merens, et illius operum an. 1651. evulgator. In quibus declarantur Osea, et Jeremias, agitur de Incarnatione adversus Judaeos, de Virginitate, et de laudibus Reginae omnium Virginis, tum de veritate Corporis ac Sanguinis Dominici adversus Berengarii placita, et de reliquiis Sanctorum, quas a suppositis atque ementitis, caute admodum secernendas hortatur. *Gesta Dei per Francos*, Hierosolymitanam videlicet historiam libris novem complexus, plura alia quae variis in Bibliothecis lateant, composuisse putatur (550).

mentis reperitur inter Opera S. Anselmi Cantuariensis editionis Gerberon Lutetiae Parisiorum 1721. pag. 524. De vita vere Apostolica Dialogorum libri V. Tom. IX. Collect. Monument. Martene p. 970. Vita S. Heriberti Coloniensis Archiepiscopi Tom. II. Martii Bollandian. pag. 475.

(550) Guiberti opera omnia cum Appendice, in qua Hermanni Monachi libri tres de miraculis S. Mariae, sive de Reparatione Laudunensis Ecclesiae, de gestis Bartholomaei Episcopi, ac de origine, et incremento Praemonstratensis Ordinis, nec non Additamentis, in quibus vitae tres S. Geremari, B. Simonis Comitis, et S. Salabergae Abbatissae, Hugonis Rothomagensis libri tres dogmatum Christianae fidei, et Roberti de Monte accessiones ad Sigebertum, omnia cura, et studio Lucae D'Achery Parisiis per Joannem Billaine 1651. edita sunt; ejusdem autem Historia Hierosolymitana extat

§. XLVII.

S. Bernardus Abbas.

—

Cum multi sanctimoniae, doctrinae, et rerum gestarum gloria saec. XII. Ecclesiae illuxerint, omnium splendorem Bernardus devicit. Summo genere natus an. 1091. in pago Fontanensi haud procul a Divione, mirifica praeditus virtutis et continentiae indole, in Cisterciensi Monasterio, quo optima Benedicti instituta deducta fuerant, arctiorem vitae disciplinam suscepit auspicio prorsus singulari ac divinitus oblato: qui enim fratres consilii propositique deturbatores ac prope eversores persenserat, eosdem mira animorum conversione, sibi comites ac sodales expertus est. Anno aetatis vigesimo quarto, meritorum magnitudine Abbas Claraevallensis electus, nobilissimam dedit religiosorum virorum sobolem, famaque in dies crebrescente, quidquid in Ecclesia Dei aut in profanis imperiis emineret brevi ab illius sermone, tamquam ab oraculo totius orbis celeberrimo, pependit. Quod tum maxime patuit, cum schismate Petri-Leonis saeviente, distractisque omnium sententiis, Bernardi auctoritas fidelium animos confirmavit, ipsumque demum pseudo-Pontifi-

etiam apud Bongars. *Gesta Dei per Francos* Tom. I. pag. 467., et sermo in illa verba Sapientiae : *Sapientia vicit malitiam*; in T. II. Oper. S. Bernardi pag. 714.

cem Innocentio subdidit. Guillelmum Aquitaniae Comitem Pictaviensi Episcopo, et Ecclesiae conciliavit: ausibus Anacleti repressis, Mediolanenses sedavit an. 1134.: Metensium tumultus an. 1153. composuit. Neque minus alacritatis atque ardoris in erroribus depellendis; quandoquidem insectatorem Bernardum sensere Petrus Abaelardus, et Gilbertus Porretanus, quorum alter in Senonensi Concilio an. 1140., alter in Rhemensi an. 1148. victricibus illius sententiis, damnati sunt. Neque Henrico asseclae Petri de Bruys, neque Arnaldistis dissoluta licentia frui licuit. Cum barbarorum immanitas Christi Domini sepulcrum, salutis humanae monumenta, et Christianum populum acerbissime divexaret, Bernardus Pontifici obtemperans, Fidelium animos atque arma, *quasi tuba in Sion*, in teterrimos Christiani nominis hostes concitavit; qua de causa aspera per Italiam, Galliam et Germaniam itinera, infiniti labores, pericula innumera, et, quod ad illius gloriam excelsius, prodigiorum fama universa terrarum implens, et hominis gesta commendans. Qui laboribus obrutus ad supernam caelitum gloriam avolavit an. 1153. IV. Id. Aug. In eo quae disjuncta ac contraria videntur mirum in modum, copulata sunt; summa nempe demissio cum singulari famae, dignitatisque praestantia, regum gratia et consuetudo cum incitato, flagrantique regularis disciplinae studio, lenitas incredibilis, cum gravitate, et, negotiis numquam otiosis, doctrinarum prope

omnium peritia. Harum insignes peperit fructus, in quibus deductam prorsus e caelo sapientiam, inhaerentem penitus atque insitam Scripturam sacram et, si dicere fas sit, ipsius ore loquentem, suavissimum ac mellitum sermonis genus mirantur omnes, permulti student, nullus est assecutus. Eum Doctoribus caeteris antetulisse videtur vel ipse Lutherus (551), plane autem commendant Calvinus (552), Heinsius (553) aliique. Plurima Doctor ipse, ut vocant, Mellifluus, scripto consignavit, ingentem Epistolarum numerum quibus morum institutionem et Ecclesiae disciplinam adjuvit, *Tractatum de Consideratione* quo Eugenium III. R. P. discipulum jampridem suum de supremi illius Officii dignitate ac pondere gravissime admonet. Eximia quoque morum et regularis observantiae documenta praebet in operibus suis: « *De Conversione ad Clericos; Apologia de vita et moribus religiosorum; De praecepto et dispensatione; De nova militia; De gradibus humilitatis et superbiae* » Christi Domini, Sanctorum Festa ac Deiparae praesertim, quam in omni vita excoluit, sermonibus haud paucis est prosequutus; Cantica Canticorum Commentariis auxit, et Petro Abailardo librum veterum Patrum sententiis refertum opposuit. Haec cum aliis operibus supposititiis et dubiis quam saepissime lucem

(551) Colloq. Convivial. cap. de Patrib.
(552) L. IV. Instit. c. 11. §. 10.
(553) Orat. 3.

aspexerunt; qua in re utilem adjecit operam Horstius Par. Coloniensis: editionem alteram inchoavit Cl. Mabillonius, absolutissimam deinde an. 1690. Parisiis praestitit, et S. Doctoris vita exornavit (554).

§. XLVIII.

Petrus Ven. et Guillelmus Rhemensis.

Bernardo coaevus, ut ejus Epistolae ostendunt, summo et ipse genere in Arvernia exortus, sub signis Benedicti Patris inter Cluniacenses professus et Abbas electus, Petrus omnium existimatione ac praeconio Venerabilis, depravatas illius Ordinis consuetudines revocandas curavit, idemque cum sacras literas excoluisset, ingentem doctrinae famam adeptus est. Annos quinque supra triginta suprema Cluniacensium praefectura functus, et Caelo potitus an. 1157, libros haud paucos reliquit adversus Judaeorum pervicaciam, errores Petri de Bruys, de parvulorum baptismate, de auctoritate Vet. Te-

(554) S. Bernardi opera conjunctim pluries edita sunt, et praesertim Coloniae per Jo. Hoeiloff 1482. Parisiis a Joanne Merlone Horstio 1642. accuratius vero a Jo. Mabillonio 1690. ac 1719. sejunctim autem, sermones per P. Schöffer Moguntiae 1475., et incerto auctore Bruxellis 1481. et nitidius eodem anno Spirae per Petrum Drach; Postillae majores Delphis 1480., super Cantica Canticorum Papiae a Nicolao de Girardengiis 1482., Epistolae et Opuscula ac de circumstantiis adventus Domini Bruxellis 1481. De honestate vitae a Petro Schoffer circa annum 1470. Moguntiae, Planctus B. M. V. Gotic. 1486., de consideratione ad Eugenium Papam una cum speculo S. Bonaventurae B. M. V. Augustae 1477.

stamenti, Actorum Apostolorum, Christianae Ecclesiae etc. de Sacrificio Missae, de mortuorum expiationibus, Epistolas plurimas etc. Multum etiam operae insumpsit Muhamedanae sectae refutandae, quae late tunc temporis dominabatur (555).

Benedicti instituta inter Cistercienses secutus Guillelmus Rhemensis, qui medio circiter saeculo duodecimo effloruit, multa pie scripsit, de amore Divino, de Deo contemplando, de vita solitaria necnon et Tractatum de *Sacramento Altaris, Disputationem contra Pet. Abailardum.* Attigit praeterea Cantica Canticorum et Pauli Epistolas (556).

(555) Petri Venerabilis Epistolarum libri sex, cum octo de novis additis, Epistola ad Petrum de Sancto Joanne contra eos, qui dicunt: « Christum numquam se in Evangelio aperte Deum dixisse, » Tractatus adversus Judaeorum inveteratam duritiem, Epistola ad S. Bernardum Abbatem Claraevallensem. *De translatione sua, qua fecit transferri ex Arabico in Latinum, sectam, sive haeresim Saracenorum an.* 1143., cum summula brevi, *contra haereses, et sectam diabolicae fraudis Saracenorum, sive Ismahelitarum,* Epistola sive tractatus *adversus Petrobrusianos haereticos,* Sermo de Transfiguratione Domini, libri duo de miraculis Rythmi, Prosae, Versus, et Hymni, Statuta Congregationis Cluniacensis, insimul habentur in Bibliotheca Cluniacensi Marrier col. 622. ad 1376. Lutetiae Parisiorum 1614.

(556) Guillelmi Rhemensis opera extant in Biblioth. Cisterciensi Tissieri Tom. IV. Tractatus de contemplando Deo, de natura, et dignitate Amoris, liber I. vitae S. Bernardi Abbatis, et in Tom. II. Oper. S. Bernardi pag. 246. 256. et 1076. inveniuntur, immo postremus ext. etiam Tom. IV. Augusti Bollandian. pag. 256.; orationes insuper, seu meditationes, et de amore Dei libellus legitur et in Biblioth. PP. Lugdun. pag. 1142. Commentarius in Cantica Canticorum ex scriptis S. Ambrosii collectus in Tom. I. Oper. S. Ambrosii pag. 1546. edit. Noury. Excerpta ex libris S. Gregorii Papae super Cantica Canticorum in Tom. XIV. Biblioth. PP. Galland. pag. 394.

§. XLIX.

Petrus uterque Blesensis et Cellensis.

Petro Blesensi cognomen fecit oppidum quoddam de Blois in Gallia ubi vitam ingressus est. Qui divinis humanisque literis Parisiis liberaliter institutus, cum operam suam Guillelmo Siciliae Regi navasset ab Henrico II. Angliae Rege expetitus, Bathoniensis Archidiachonus, et deinde Londinensis magna rigidae virtutis, ac non vulgaris sapientiae fama, saec. XII. decedente, ut volunt, e vita emigravit. In cujus libris frequens Scripturarum, sententiarumque usus, contractus sermo et agnominationibus fortasse molestus. Egit Petrus de Transfiguratione Domini, de Conversione D. Pauli, de Fide, de Paenitentia, de instituendo Episcopo, et de aliis pie admodum necnon vehementer, ubi de reparandis Christianorum moribus occurreret sermo. Ingens quoque epistolarum, et sermonum numerus eundem auctorem habet (557). Neque vitae sanctimonia, et studiorum ratione a Blesensi plurimum abfuit Petrus in Gallia ortus, cui Monasterium Cel-

(557) Petri Blesensis opera omnia cum notis Petri de Gassanvillet Parisiis per Simeonem Piget 1667. evulgata sunt, ext. in Biblioth. PP. Lugdun. 1677. Tom. XXIV. pag. 1., ejusdem autem epistolae duae et in Tom. I. Thesaur. Anecdot. Martene pag. 639. et in Tom. XIV. Biblioth. PP. Gallandii pag. 633. epistolae vero selectae ad Siculos in Tom. I. Biblioth. Siculae Carusii pag. 487.

lense ab eo administratum cognomen adjecit: qui monasterio etiam S. Remigii, et, Jo. Sarisberiensi vita defuncto, Carnotensi Ecclesiae praefuit usque ad an. 1187. qui fuit ejus emortualis. Opuscula confecit « *de Panibus*, *de Tabernaculo*, *de Conscientia*, *de Disciplina claustrali*, Sermones *de Tempore*, et *de Sanctor. Festivitatibus*, *Epistolas etc.* (558)

§. L,

Guerricus, et Joachim Abb. Cistercienses.

—

Hunc Tornacensem ante Canonicum Cisterciensis Ordo alumnum habuit, Bernardus autem Claraevallensis discipulum, eundemque anno, ut putant, 1157. vita functum, posteris commendarunt, *Sermones de tempore et Sanctis*, *et Epistolae.* Magna fuit erga Deum pietate, suavitateque orationis singulari, quam mellifluam a Magistro hausisse judicatur (559).

(558) Petri Cellensis opera omnia ext. Tom. XXIII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 636. sejunctim autem epistolarum libri IX. cum notis Jacobi Sirmondi prodiere Parisiis sumptibus Sebastiani Cramoisy 1613. ext. etiam in Tom. III. Oper. Sirmondi pag. 1605. item Epistolae duae et de Disciplina claustrali in Spicileg. Dacherii T. III. p. 452. et 544. Epistolae VI. in Bibliotheca Clunaciensi Marrerii Lutaetiae Parisiorum 1614. pag. 1422. et seq.

(559) Guerrici Abbatis sermones per annum ext. in Appendice S. Bernardi pag. 928. Tom. II. Parisiis 1719. et Tom. XXIII. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 163. Hujus sermones post varias editiones emendavit Horstius, et de iis vid. in Biblioth. Coloniensi Tom. XIII. ep. Jo. Costerii Can. Reg. S. Augustini.

Accensebatur Ordini eidem Cisterciensi sub finem hujus saec. Joachim, qui ortum e Calabria duxerat, et Florensi monasterio praefuit. Hic cum incredibili ferretur in S. Scripturam studio, Isaiae, Hieremiae et Apocalypsis explanationes, Veteris et Novi Testamenti Concordiam aliaque non pauca reliquit. At licet in magna esset doctrinae et virtutis existimatione, offendit in Catholicam veritatem, edito adversus Magistrum sententiarum libro, quem Concilium Lat. IV. notavit. Pervagata quoque sunt, sub ejus nomine, vaticinia quaedam de Romanis Pontificibus quibus aut fidem adjicere, aut demere inutilis omnino labor videtur (560).

§. LI.

Scriptores alii Saec. XII.

—

Scriptores alii, licet inferioris notae, huic saeculo inter Latinos dandi sunt, Odo Episcopus Cameracensis, qui Canonem Missae *quatuor*, ut vo-

(560) Joachimi Abbatis commentaria in Isaiam, Hieremiam, Apocalypsim, Venetiis et Parisiis evulgata sunt; Concordia Testamenti Veteris, et Novi, Venetiis 1519., liberculus autem ille cui titulus: « *Profezia dell'Abbate Gioachino*, *e di Anselmo Vescovo di Marsico*, *con l' imagini in disegno intorno a Pontefici passati*, *e ch' anno a venire*: *con due Ruote*, *ed un oracolo Turchesco figurato sopra simil materia*: *aggiuntivi alcuni maravigliosi Vaticinii*, *e le Annotazioni del Regilsemo*; » qui eidem Joachimo vulgo tribuitur Patavii 1625., et Venetiis per Christophorum Tomasini 1646. prodiit.

cantur, *distinctionibus* illustravit (561); Franco Ab. Bened. auctor opusculi cujusdam *de Gratia Dei* (562); Alulfus mon. a quo exstant *Gregoriale* opus ex verbis Gregorii Papae concinnatum, et Scripturae sacrae commentarium (563); Berengosius Ab. quem perhibent auctorem librorum trium *de inventione S. Crucis*, ac Sermonum aliquot (564); Ernulfus Ep. Roffensis, scriptor solutionum quarundam de Corpore et Sanguine Domini (565); Eadmerus item Anglus, cujus libri de B. Virgine, ejusque virtu-

(561) Odonis Cameracensis Opuscula sacra, scilicet Expositio in Canonem Missae; de Peccato originali libri tres; de Adventu Christi Filii Dei Dialogus; de Blasphemia in Spiritum Sanctum lib. unus; Homilia de villico iniquitatis reperiuntur in Tom. XXI. PP. Lugdun. pag. 221. et seq. quorum postremum opus ext. Tom. V. Thesaur. Anecdot. Martene pag. 853.

(562) Franconis Affligeniensis Abbatis De Gratia, seu Beneficentia Dei libri XII. Epistola, quod monachus, abjecto habitu, non possit salvari, altera ad Moniales, et sorores in Bigardis, et Forestum; Carmen Elegiacum de statu futurae gloriae pariter referuntur in citat. Tom. XXI. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 293. et seq.; immo idem carmen legitur et in Tom. II. Biblioth. mediae et infimae latinitatis Fabricii pag. 200.

(563) Alulfi prologum in librum, qui dicitur Gregorialis refert Mabillonius in Anaclet. Veter. pag. 131.; de expositione autem Novi Testamenti, ejusdem opus habetur in Tom. IV. Part. II. Oper. S. Gregorii Magni edit. Maurin. Parisiis 1705. pag. 587.

(564) Berengosii Abbatis opuscula extant in Biblioth. PP. Lugd. 1677. Tom. XII. pag. 349.

(565) Ernulfi Roffensis Episcopi Collectanea de rebus Ecclesiae Roffensis legitur in Tom. I. Angliae Sacrae Wharton. pag. 329. B. B. b., Tomellus sive epistola de incestis conjugiis, ac altera qua respondet variis quaestionibus Lamberti in Tom. III. Spicileg. Dacherii pag. 464. et 470. E. 7.

tibus diu Anselmo adscripti fuerant (566). Lietbertus Canon. Regul. S. Augustini Psalmorum commentator (567); Hugo Metellus item Canonicus Regul. plurium Epistolarum scriptor, quae conditionem illius temporis attingunt (568): Hildebertus Archiep. Turonensis, qui dedit Sermones, Epistolas, et Carmina sacra (569); Hugo Corbejensis qui pie

(566) Eadmeri Monachi Cantuariensis opera cum notis Jo. Seldeni et Gabrielis Gerberon extant ad calcem Oper. S. Anselmi Cantuariensis, Epistola ad Alexandrum Scotorum Regem in Tom. I. Concil. Wilkins pag. 404. Vita S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis cum notis Godefridi Henschenii in Tom. II. Aprilis pag. 866. Bollandii in cujus Tom. III. pag. 293. Vita S. Wilfridi Archiep. Eboracensis, et in Tom. V. Augusti ejusdem pag. 831. vita S. Bregwini Archiepiscopi Cantuariensis; capita autem 66. 67. 68. vitae S. Anselmi, quae desunt in editis, extant in Tom. II. Angliae Sacrae Whartonii Londini 1691. pag. 181., ubi quoque sunt pag. 184. supra dicta S. Bregwini vita, pag. 191. Vita S. Oswaldi Archiepiscopi Eboracensis, pag. 211. vita S. Dustani, et pag. 222. ejusdem epistola ad Glastonienses, quo tempore asserebant, se Corpus Patroni nostri S. Dunstani habere. Praeterea citata S. Wilfridi vita habetur etiam in T. III. Act. SS. Benedict. Mabillon. pag. 175., et carmen de miraculis S. Anselmi in Tom. VI. Collect. Script. Martene pag. 983.

(567) De Lietberti Psalmorum commentario vid. Bellar. in supplem. Script. Eccl. Cf. Mabillonius in Analect. p. 471.

(568) Hugonis Metelli Epistolae LV. referuntur in T. II. p. 312. et seq. Sacrae Antiquitatis Monument. Hugonis edit. sancti Deodati 1731., et illa ad Gerlandum de SS. Eucharistiae Sacramento adversus Berengarium cum observationibus Mabillonii, legitur in ejusdem Analectis pag. 475.

(569) Hildeberti opera omnia, studio Antonii Beaugendre e Congreg. S. Mauri Parisiis apud Laurentium le Comte 1708. vulgata sunt; separatim autem reperiuntur Epistolae, Carmina, et Sermones duo Tom. XXI. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 119. 163. 168., Epistolae XXIV. apud D' Acherium Tom. III. Spicilegii pag. 450., Epi-

scripsit *de claustro animae*, *de medicina animae* (570), et Guigo Carthus. eodem in genere versatus (571), Lucas Ab. Canonicor. Regul. Praemonstrat. qui Can-

stolae historicae IV. Tom. IV. Script. Franc. Du Chesne pag. 248., Epistolae V. et Sermones II. quorum I. in Adventu Domini, alter in Carnotensi Concilio habitus Tom. III. Anecdot. Murat. pag. 213.; et Tom. XIV. Biblioth. PP. Galland. pag. 337; Carmen de Mysterio Missae, apud Hittorpium de divin. officiis pag. 524., Epistola ad Reginoldum monachum Cantuariensem, et Prologus in vitam S. Radegundis Reginae, in Analectis Mabillon. pag. 462. et seq., Epistola ad Honorium II. Papam Tom. XII. Concil. Labbé p. 1367. Epistola ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, in Biblioth. Cluniac. Marrier pag. 1823. Epistola contra Peregrinationis vanitatem, altera ad Comitissam, quae terram sanctam invisere cupiebat, alia ad Honorium Papam contra Appellationes, sermo synodicus ad Pastores super illud Lucae 12. *Cui multum datum est ab eo multum quaeretur*, descriptio Curiae Romanae, Epitaphium in Berengarium, in Append. ad Fasciculum Gratii pag. 1. et seq. Hymnus de confessione SS. Trinitatis, et Oratio ad Deum; in Diatriba Usserii de symbolo Apostolico pag. 17. ad calcem Annal. V. et N. Testamenti, Vita metrica S. Agnetis in Barthii Adversar. pag. 1449. Vita S. Hugonis Abbatis Tom. III. Aprilis Bollandianor. pag. 634., et in cit. Biblioth. Clunacien. Marrier pag. 413. Paraphrasis metrica vitae S. Mariae Aegyptiacae in Tom. I. Aprilis citator. Bollandianor. pag. 83. apud quos in Tom. III. Augusti pag. 83. ext. Vita dictae S. Radegundis Virginis Reginae.

(570) Hugonis Corbejensis de Folieto etiam vocati, De Claustro animae libri IV. extant in Tom. II. Oper. Hugonis Victorini p. 42. ubi pag. 211. legitur quoque libellus de Medicina animae, qui et ipsi Hugoni a S. Victore Canonico Regulari a quibusdam tribuitur.

(571) Guigonis Carthusiani Epistola, seu tractatus ad fratres de Monte Dei invenitur in Tom. II. Oper. S. Bernardi pag. 195. ubi pag. 324. refertur scala Claustralium, seu Paradisi, quae extat quoque in Append. ad Tom. VI. Oper. S. Augustini pag. 160., et in appendice ad citata Opera S. Bernardi pag. 1066. referuntur ejusdem Guigonis Epistolae IV; praeterea apud Mabillonium, Analect. pag. 464. ext. Epistola ad Durbonenses fratres, apud Bollandianos T. I. Apri-

tica Canticorum explanavit (572); Ogerius (573) et Odo Abb. Cisterc.; auctor alter Sermonum XV. *de Caena Domini*, alter Commentariorum in nonnulla Scripturae loca, Sermonum etc. (574); Amedeus item Cisterciensis et Episcopus a quo prodiere Homiliae aliquot in laudem M. Virginis (575); Potho Prumiensis qui egit de *Domo Dei*, *et de domo sapientiae* (576), Eckebertus refutator Waldensium per libros tredecim (577); Phil. de Harveng Can. Reg.

lis, pag. 37. Vita S. Hugonis Episcopi Gratianopolitani, et Tom. XXII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 1064. Meditationes aliquot pientissimae; Liber autem de quadripartito exercitio, qui in Tom. XXIV. pag. 1463. ejusdem Biblioth. PP. Lugdun., alteri Guigoni item Carthusiano monacho adscribendus videtur.

(572) Lucae S. Cornelii Abbatis Summariola in Aponium ad Cantica extat Tom. XIV. Biblioth. PP. Lugdun. pag. 128.

(573) Ogerii sermones XV. de verbis Domini in caena edita sunt in Tom. II. Oper. S. Bernardi pag. 610.

(574) Odonis Cisterciensis Abbatis commentaria inedita videntur.

(575) Amedei, vel Amadei Cisterciensis monachi; et postea Lausannensis Episcopi Homiliae octo de laudibus B. Mariae Virginis habentur inter Opera S. Leonis Magni edit. Raynaudi pag. 803. in Tom. XX. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 1278., et cum Richardo a S. Laurentio de laudibus B. Mariae Virg. p. 1142. Ejusdem autem epistolae tres pro actis sui Pontificatus apud Dacherium T. III. Spicilegii pag. 782.

(576) Pothonis Prumiensis presbyteri, et monachi opuscula prodiere in Biblioth. PP. Lugdun. 1677. Tom. XXI. pag. 489.

(577) Ecberti, seu Egberti Bunnensis Canonici, dein Schoenaugiensis Abbatis Sermones XIII. contra Catharos editi sunt in T. XXIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 600. et in Tom. XIV. Biblioth. PP. Gallandii pag. 447. ubi pag. 485. ext. ejusdem Excerptum de Manichaeis ex S. Augustino; vita autem S. Elisabethae Abbatissae Schoenaugiensis ab eodem scripta invenitur apud Bollandianos pag. 607. Tom. III. Junii.

Praem. qui Scripturam illustravit, Clericorum institutiones libris sex, Vitas, aliaque multa elocubravit (578); Hugo Cluniac. auctor operis *De officiis et ministris Ecclesiae* (579); Gilbertus de Oilandia ord. Cisterc. qui Bernardum secutus Cantica Canticorum exposuit (580), Elredus aliis Athelredus mon. Cisterc. qui pia multa protulit, de Sanctis, de virtutibus, in Isaiam etc. (581); S. Thom. Beket Ar-

(578) Philippi de Harveng Abbatis Bonae Spei Opera omnia, cura Nicolai Chamart Duaci per Baltazarem Bellerum 1621. vulgata sunt; insuper epistola ad Alexandrum III. extat in Tom. III. Dacherii pag. 527. Vita S. Amandi Episcopi Trajectensis cum duabus Epistolis Tom. I. Februarii Bollandii pag. 857. Vita Vener. Odae Virginis Praemostratensis Tom. II. Aprilis ejusdem pag. 773., Translationis S. Cyrici, et Julittae ad Elbonense S. Amandi Monasterium Tom. III. Junii pag. 34.

(579) Hugonis Cluniacensis, ex Radingensi Abbate Rothomagensis Archiepiscopi Dogmatum fidei Christianae contra Haereticos sui temporis sive de Ecclesia, et ejus ministris libri tres habentur in Tom. XXII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 1340., et cum operibus Guiberti de Novigento pag. 690., epistola ad W. Abbatem, quod sacramenta presbyterorum, excommunicatorum, et depositorum sunt nulla, in Tom. I. Part. II. Anecdot. Pezii pag. 297., Dialogorum, seu quaestionum Theologicarum libri VII., Tractatus in Hexameron, Fragmentum, Vita S. Adjutoris monachi Firmensis in Thesaur. Anecdot. Martene Tom. V. pag. 891. et seq. ubi in ejusd. Tom. IX. pag. 1185. et seq. extant etiam Tractatus de memoria, alter de fide Catholica, et oratione Dominica, ac epistola ad Innocentium II. de obitu Stephani Regis Anglorum.

(580) Vid. nostra nota sup. (547) pag. 402.

(581) Aelredi seu Adilredi opuscula varia cum notis Richardi Gibboni inveniuntur in Tom. XXIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 1. et seq. et aucta XXV. sermonibus in Biblioth. Cisterciensi Tissierii Tom. V. pag. 160. Praeterea de vita eremitica ad sororem in Append. ad Tom. I. Oper. S. Augustini pag. 42., et liber de

chiep. Cantuar. et martyr, cujus Epistolae libris V. distinctae libertatem Ecclesiasticam asserunt (582). Hujus socius et comes Joan. Sarisberiensis *Polycraticon* seu de nugis curialium, et *de Vestigiis Philosophorum* lib. VIII., Epistolas, vitam praeclari illius martyris, aliaque confecit (583); Jo. Cornubiensis Anglus, qui egit *de Sacramento Altaris* (584).

Amicitia in dict. Append. ad Tom. VI. pag. 66., Regula ad inclusas moniales, quae eadem est ac de vita Eremitica ad sororem in Codice Regularium Holstenii Tom. III. pag. 110. Sermo in Adventu Domini, et Tractatus de Jesu puero duodenni in T. II. Oper. S. Bernardi pag. 568. et seq. Vita et miracula S. Eduardi Regis apud Bollandianos Tom. I. Januarii pag. 293. apud Surium ad diem 5. Januarii apud Twessdenum de scriptoribus Anglicanis p. 369. apud quem pag. 334. 347. ac 415. sunt, et Historia de bello inter Regem Scotiae, et Barones Angliae ad Standardum, Genealogia Regum Angliae a Davide Rege Scotorum ad Willelmium, ac historia de sanctimoniali de Watthun.

(582) S. Thomae Becket Cantuariensis Archiepiscopi Epistolarum libros quinque collegit Christianus Lupus, et evulgavit Venetiis 1727. Tom. X. pag. 63. et seq. suarum operum.

(583) Joannis Saresburiensis Episcopi Carnotensis Policraticus, sive de Nugis Curialium, et vestigiis Philosophorum libri VIII. Lugduni Batavorum apud Franciscum Raphelengium 1595. in lucem prodiere iidem una cnm tercentum ac tribus epistolis habentur etiam in Tom. XXIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 410. et seq. Vita autem S. Thomae Archiepiscopi Cantuariensis et nonaginta tres Epistolae apud Christianum Lupum Tom. X. p. 2. et seq. suarum operum Venetiis 1727., altera vero ab eodem scripta vita S. Anselmi scilicet Archiepiscopi Cantuariensis in Tom. II. Angliae Sacrae Wharton pag. 151., et carmen de membris conspirantibus, ad calcem T. IV. Biblioth. mediae et infimae latinitatis Fabricii pag. 296.

(584) Joannis Cornubiensis Eulogium ad Alexandrum III., quod Christus sit aliquis homo, refert Martene in Thesauro Anecdot. T. V. pag. 1655. Lutetiae Parisiorum 1717.

Adamus Scotus Can. Reg. Praem. ad quem multa pertinent pie admodum conscripta, Sermones etc. (585); Hugo Etherianus, cujus pereruditus est liber *de Processione Spiritus Sancti adversus errores Graecorum* (586); Arnoldus Carnotensis et Bernardi discipulus, qui de septem verbis novissimis a Christo in cruce prolatis, et de laudibus Mariae Virg. eximie pertractavit (587); Thomas mon. Cisterc. (588), et Gilbertus Foliot Ab. Canonicor. Regular. qui Can-

(585) Adami Praemonstratensis Abbatis opera Antuerpiae apud Petrum Bellerum 1659. typis evulgata; ejusdem vero soliloquia de Instructione Animae leguntur quoque in Tom. I. Part. II. Anecdot. Pezii pag. 337.

(586) Hugonis Etheriani de animarum regressu ab inferis, ac de haeresibus, quas in latinos graeci devolvunt, libri tres extant in Tom. XXII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 1176. ac 1199.; Epistola autem ad Aimaricum Patriarcham Antiochenum in T. I. Thesaur. Anecdot. Martene pag. 479.

(587) Arnoldi Carnotensis, Bonae-vallis Abbatis opera, sive Tractatus inveniuntur in Appendice ad Opera S. Cypriani edit. Fell. pag. 63., et de septem verbis Domini in Cruce, et de cardinalibus Christi operibus, item in Appendice ad dicta Opera S. Cypriani edit. PP. S. Mauri pag. 38. 71. Idem opus praeterea de septem verbis Domini in Cruce, cum scholiis Francisci Titelmanni, alterum de laudibus B. Mariae Virginis, et de Operibus sex dierum in T. XXII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 1260., 1281., 1284. Opuscula duo, alterum in Psalmum LXXXII., alterum de donis Spiritus Sancti, in Tom. XIV. Biblioth. PP. Gallandii pag. 487. Vita demum S. Bernardi Abbatis in Tom. II. Oper. S. Bernardi edit. Mabillon. p. 1106., et in Tom. IV. Augusti Bollandianor. pag. 277.

(588) Thomae Abbatis Vercellensis commentarius Hierarchicus in Cantica Canticorum qui incipit « *Osculetur me osculo oris sui* » legitur in Tom. II. Part. I. Thesaur. Anecdot. Pezii pag. 503. Augustae Vindelicorum, et Graecii 1721.; hic autem Thomas Canonicus Regularis potius fuisse videtur.

tica Canticorum declararunt (589). Balduinus mon. Cisterc. Arch. Cantuar. auctor operum de Sacramento Altaris, de commendatione fidei etc. (590); et Henricus Card. Albanensis (591), Petrus (592), et Guarnerus Abb. Claraevallenses (593), Isaac Stella (594), et alii ejusdem ordinis Cisterciensis qui vel Bernardi Patris disciplina vel exempla excitarunt. Constitutiones, ut vocantur, Portuenses composuit Canonicis Regularibus Petrus Honestus (595), quae diutius Petro Damiano adscriptae sunt: alia quoque Cann. Regg. Anglis Gilbertus eorum propagator (596). Libros Revelationum aliosque fo-

(589) De hoc Gilberto videatur nostra nota sup. (547) pag. 402.

(590) Balduini ex abbate Fordiensi Cantuariensis Archiepiscopi opera extant in Biblioth. Cisterciensi Tissierii Tom. V. pag. 1. et seq.

(591) Henrici Claraevallensis Abbatis, dein Albanensis Episcopi, et Cardinalis Epistolae XI. habentur in Thesaur. Anecdot. Martene pag. 576.: illa vero, qua Clerum ad modestiam, humilitatem, ac paenitentiam hortatur, in Tom. I. Collect. Monument. Martene pag. 975. et Tom. II. Supplement. Mansi ad Concil. pag, 743. Declaratio autem adversus Albigenses in Annal. Baronii ad annum 1178. Num. 29.; liber demum de peregrinante civitate Dei in Tom. III. p. 1. et seq. Biblioth. Cistercens. Tissierii, Bonofonte 1660. ubi quoque et nonnullae ejusdem epistolae.

(592) Petri octavi Claraevallensis Abbatis XIX. quas scripsit epistolae ap. cit. Tissierium leguntur pag. 264. et seq.

(593) Guarneri pariter noni Claraevallensis Abbatis, dein Lingonensis Episcopi sermones extant ut supra pag. 75. et seq. ubi et aliorum quoque Abbatum sermones, epistolaeque referuntur.

(594) Isaaci Stellae opera quoque in eadem Bibliotheca Tisserii Tom. VI. pag. 1. et seq. inveniuntur; ejusdem vero epistola de Canone Missae apud Dacherium Tom. I. Spicileg. pag. 449.

(395) Vid. nostra nota sup. (500) pag. 377.

(596) Vid. nostra nota sup. (547) pag. 402.

vendae pietati reliquerunt Elisabetha Schonaugiensis (597), et Hildegardes, Benedictinarum praesides (598).

§. LII.

Scriptores historici.

—

Praestitere caeteris saec. XII. historicis Sigebertus, Hugo, atque Otho. Sigebertum (599) Gemblacensem monachum in Brabantia Henricianae partes Romanis Pontificibus haud aequum dedere.

(597) Elisabethae visionum, seu revelationum libri tres, et Epistolarum liber unus Coloniae typis 1628. editi sunt.

(598) Hildegardis epistolae, quaestionum solutiones, Explicatio regulae S. Benedicti, Explicatio Symboli S. Athanasii habentur in Tom. XXIII. Biblioth. PP. Lugdun. 1677. pag. 535. 583. 590. 594. Praeterea epistolae variae in Tom. II. Collect. Monument. Martene pag. 1014. Prophetia adversus Fratres Mendicantes, in Biblioth. mediae latinitatis Fabricii Tom. III. pag. 261.; vita S. Ruperti Ducis Bingae, et B. Berthae ejus matris Tom. III. Maii Bollandianorum p. 504., et vita S. Disibodi Episcopi apud eumdem T. II. Julii p. 588.

(599) Sigeberti Chronographia legitur in Tom. I. Part. II. Scriptor. Rer. Germanic. Pistorii p. 689. ubi pag. 943. adest et Chronicon ab an. 1112 ad 1136. Anselmi Gemblacensis qui scripsit quoque libellum de gestis Abbatum Gemblacensium, quem retulit D'Acherius in Tom. II. Spicileg. pag. 759. Praeterea appendicem ad Chronicon Sigeberti collegit Labbeus in Tom. I. pag. 390. Biblioth. MSS. Opus autem quod idem Sigebertus elucubravit de scriptoribus Ecclesiasticis, non solum Miraeus in Biblioth. Ecclesiast. Part. II. p. 93. evulgavit, sed et Suffridus Petri de Scriptoribus Ecclesiast. pag. 309. Insuper alia etiam edidit Sigebertus et ipsius sane est epistola Leodicensium rescripta Trevirensibus de differentia quatuor temporum, quae reperitur in Tom. I. Collect. Anecdot. Martene p. 294., vita S. Maclovii, quae apud Surium die XV. Novembris. Vita V. Olberti Abbatis Gemblacensis quae apud Mabillon. Tom. VIII. Act. SS. Bene-

Caeterum famam adeptus est, duobus praesertim operibus, quorum alterum: *De viris illustribus* una cum aliis qui de Ecclesiasticis Scriptoribus egerunt, edidit Antuerp. an. 1639. Aub. Miraeus; alterum autem Chronicon ab an. 381. quo desinit Hieronymus ad an. 1112., deinde per Anselmum Ab. monasterii ejusdem Gemblacensis, usque ad an. 1137. perductum est: quam operis consecutionem cum aliis etiam annum 1225. attingentibus typis cudendam curavit Antuerp. Miraeus ipse an. 1608. Hugo (600) mon. Floriacensis ex ord. Benedict. qui

dict. pag. 523. ubi in anteced. pag. 297. Vita S. Guiberti Gemblacensis Monachi, quae etiam in Tom. V. Maii Bollandianor. p. 266. apud quem Tom. I. Februarii pag. 227. et 236. Vita S. Sigiberti Regis Austrasiae, et historia translationis, nec non Tom. III. Septembris pag. 593. Acta S. Theodardi Trajectanensis Episcopi, et Mart. et Tom. V. ejusdem mensis pag. 589. altera vita S. Lamberti, seu Landeberti pariter Trajectensis Episcopi, et martyris.

(600) Hugonis Floraciensis excerpta chronica de gestis quorumdam Regum, et Imperatorum a Nino Assyriorum rege, usque ad Ludovicum Pium, sub Ivonis Carnotensis nomine habentur in corpore Francicae Historiae veteris Freheri pag. 1. et seq. ubi pag. 51. et ad calcem operum Ivonis pag. 305. Tom. II. sub dicti Ivonis nomine pariter legitur breve aliud ejusdem Hugonis chronicon de rebus Francorum a Pharamundo usque ad Philippum Regem; insuper Fragmentum chronici a Carolo Simplici usque ad Hugonem Capetum collegit Du Chesne Tom. III. Script. Franc. pag. 347., et aliud Fragmentum ab Anno Christi 987. usque ad annum 1034. in sequenti Tom. IV. pag. 142., Epistola ad Mathildem Imperatricem nuncupatoria, libri de gestis modernorum Regum Franciae vulgati sunt in Tom. I. Thesaur. Anecdot. Martene pag. 327., et de Regia potestate, et Sacerdotali dignitate apud Balutium Tom. IV. Miscellan. p. 98. vita demum S. Sacerdotis Lemovicensis apud Bollandianos Tom. II. Maii pag. 14.

viguit an. prope 1115. omni studio contexuit Chronicon a constitutione mundi, typis evulgatum Monasterii in Germania an. 1638., deditque libros de regia potestate et de Sacerdotali dignitate ad Henricum Anglorum regem, quos publica luce donavit Balutius tom. IV. Miscellan.

Otho (601) regali progenie e Germania ortus, (erat enim Henrici IV. Aug. nepos) cum Cisterciensibus nomen dedisset, Abbas primum Morimundensis in Burgundia, ad Frisingenses deinde infulas elatus est. Adiit loca sancta Palaestinae una cum Conrado III., et abdicato pontificali munere, in Monasterium Morimundense reversus, vitam ibi sanctissimam cum caelesti beatitudine commutavit an. 1158. Scripsit Chronicon rerum gestarum a mundi exordio usque ad an. 1146. septem in libros tributum, quibus alterum adjecit de mundi interitu, de Antichristi persecutione, et resurrectione mortuorum; quos omnes primus edidit Argentinae an. 1515. Jo. Cuspinianus, quique deinde Basileae recusi, tandem-

(601) Ottonis Chronicon, sive rerum ab orbe condito ad sua usque tempora gestarum libri VIII., ejusdem de gestis Friderici I. Caesaris Aug. libri duo, Radevici Frinsingensis Canonici de ejusdem Friderici gestis libri duo, Guntheri Poetae Ligurini, sive de gestis Friderici libri X., Basileae apud Petrum Pernam 1569. evulgata sunt. Praeterea Chronicon ab origine mundi, usque ad tempora Friderici Aenobardi Imperatoris extat in Bibliotheca Cistercensium Tissierii Tom. VIII. pag. 1. et seq. Chronicon, et de rebus gestis Friderici I. Imperatoris non solum in Part. I. Histor. Germanic. Urstizii pag. 1. et 403. ubi pag. 195. ext. appendix Ottonis de S. Blasio, sed et in Tom. VI. Rer. Italic. Muratorii pag. 625.

cum operis consecutione per Othonem de Blasio ad an. 1210. deducta, studio Chr. Urstitii Francofurti prodierunt annis 1585. et 1670. Confecit et duos libros de gestis Friderici I. Aug. nepotis sui, quibus duos alios addidit Rodericus Canon. Frisingensis.

Innumeri autem sunt, qui hoc saeculo chronicos libros, enarrationes Hierosolymitanae expeditionis, Ecclesiarum historias, regnorum annales, et caelitum vitas elucubrati sunt, quorum nomina cum non admodum pervagata fuerint, praetermittimus.

§. LIII.

Scholastici.

Principem inter eos obtinet locum Petrus Lombardus (602), patria Novariensis, qui ex Bononiensi Academia ad Parisiensem translatus, ob eximiam doctrinae famam, et celebritatem Parisiensis Episcopus ann. 1159. renunciatus est, haud multos post annos mortali vita defunctus. Nomine *Magistri Sententiarum* inclaruit, quippe qui vulgatissimum *Sententiarum* opus quinque tributum libris confecerit, innumeris Theologorum, qui scholastici audiunt, commentariis et adnotationibus illustratum.

(602) Petri Lombardi opera pluries edita sunt, sed haec emendatiora videntur: Sententiarum libri quatuor Parisiis excussi 1565. ex recognitione Joannis Oleamne, Glossae seu Commentaria in Psalterium Davidicum 1541. et Collectanea in omnes Divi Pauli epistolas ibidem ab haeredibus Badii 1535. summa arte prodiit.

In quo illa fere omnia, quae theologicae institutioni in praesentia dari solent, breviter complexus est, idque potissimum ex Patrum effatis quibus opus contexuit, discrepantes praeterea, ut videntur, eorum sententias componens: in quo plura etiam de Angelis, de opere sex dierum subtiliter magis ac veri similiter quam solide pertractata invenias, plura deinde, quae Catholicae Ecclesiae rationes, Romanos Pontifices, Concilia etc. respiciunt desideres. Psalterium Davidicum, et Pauli Ap. Epistolae omnes, additis illius Commentariis, prodierunt. Vir singulari in Deum pietate, editisque praeclaris fidei testimoniis invidiam effugere non potuit, quae apud Alexandrum III., et Lateranense Concilium sub Innocentio III. habitum haeresis crimen Petro nostro objecit, quod est amovendum, licet non omnia eidem castigatiores theologi aeque assentiantur.

Alii in eodem doctrinae genere, quamvis non eodem tempore versati, famam non mediocrem adepti sunt. Pertinet ad saec. XI. Anselmus Archid. Ecclesiae Laudunensis (603), qui excerptis sententiis ex SS. Patrum libris Testamento utrique *glossam interlinearem* addidit, et Matthaeum, Apocalypsim aliaque ex S. Scripturis illustravit, cujus laudes, licet felici-

(603) Anselmi Laudunensis glossa interlinearis in Vetus, et Novum Testamentum extat cum Lyrano in Scripturam sacram Venetiis edit. apud Magnam Societatem 1603; caetera quae eidem nonnulli tribuunt opera, an revera sint, non certo constat.

tate magis quam vi ingenii partas inclamet Abaelardus, non omnino tamen abjicimus. Algerus Leodiensis (604), qui Cluniacensibus postea nomen dedit medium prope saec. XII. inter scholasticos effloruit, docte scripsit de gratia, de misericordia et justitia Dei, absolutissime autem, ut adnotat Petrus venerabilis, tribus libris de Sacramento Augusto quos Berengario opposuit.

Longa in Dialecticis exercitatio ingentem famam, at nimios attulit spiritus Petro Abaelardo (605) patria Nannetensi, ab Heloisae amoribus notissimo, et monacho tandem Cluniacensi, cui multae magnaeque contentiones fuere cum Catholicis doctoribus et Bernardo praesertim, ob ea quae scripserat de Trinitate, et quae apologeticis libris insanae fidei crimi-

(604) Algeri libellum de libero arbitrio refert Pezius in T. IV. Part. II. Thesaur. Anecdot., alterum de misericordia, et justitia, Martene in Tom. V. Thesaur. Anecdot. p. 1019; in eumdem librum praefationem Mabillonius in Analectis pag. 130. De sacramento autem corporis, et sanguinis Domini libri tres leguntur in Tom. XXI. pag. 251. Biblioth. PP. Lugdun. 1677.

(605) Abaelardi opera cum praefatione Francisci Amboesii, et notis Andreae Quercetani Parisiis per Nicolaum Buon 1616. in lucem prodiere; ipsius Apologia seu confessio legitur etiam in T. II. Historiae Universitatis Parisiensis Bulaei pag. 196. et inscripta Responsio contra calumnias Objectorum in Biblioth. Cisterciensium Tissierii T. IV. pag. 259., insuper epistola ad Gaufredum Parisiensem Episcopum in Tom. XII. Concil. Labbei pag. 800., Ethica, seu liber inscriptus « Scito te ipsum » in Anecdotis Pezii Tom. III. Part. II. pag. 626. Theologia Christiana, et Expositio in Hexaemeron ad Heloisam in Tom. V. Anecdot. Martene pag. 1139. et 1361. et Rhythmus de SS. Trinitate in Tom. IX. Collect. Monument. Martene pag. 1092.

ne liberare conatur. Edita sunt illius opera una simul cum scriptis Heloisae Parisiis an. 1628. ibique *Epistolae, solutiones ad problemata, Commentarius in Epist. ad Rom. Sermones* etc. quibus addes *Expositionem in Psalterium, et in Epist. Pauli,* Commentariolum in Ezechielem, *Commentaria in Genesim,* et alia, ubi omnis fere notio dialecticis obstructa difficultatibus in cavillationes, et controversias innumeras adducta est.

Petrum (606) in maximo templo Parisiensi Cantorem saec. XII. (unde ei cognomen adhaesiit) multa atque egregia illustrium virorum praeconia ornarunt. Commendatur autem non minus a nobilitate virtutum, quam ab excellentia doctrinae, quae tanta in eo fuit, ut praestantissimis illius aetatis Theologis adnumeraretur. Duas confecit *Summas*, et tertiam deinde *magnam de Sacramentis,* ubi pleraque ex SS. Patribus excerpsit, necnon et librum, ut appellavit, *de contrarietatibus Theologiae,* aliaque demum quae Petro Comestori interdum ob easdem initiales literas, adscripta sunt. Plura de eo praebebunt rerum Cisterciensium Scriptores, qui virum pientissimum, ab Episcopali fastigio abhor-

(606) Petri Cantoris opera inedita videntur praeter summam quae dicitur « Verbnm Abbreviatum, » eo quod ab his verbis incipiat, impressam in Montibus Hannoviae 1639. cum notis Georgii Galopini apud Franciscum Waudreum ; alterius autem Petri sive Comestoris dicenda omnino est Historia Scholastica, Beneventi edita ex typographia Archiepiscopali 1699.:. de ceteris MSS. ineditis vid. supplement. Bellarm. p. 407.

rentem, et huic Ordini, in quo an. 1197. obiit, sollemniter obstrictum utique praedicant.

§. LIV.

Victorini Monasterii Sciptores.

Peculiarem locum suo jure efflagitat hoc saeculo celebre illud Cann. RR. Monasterium S. Victoris Parisiensis, ex quo tamquam ex fonte et seminario Scriptores nobilissimi profecti sunt. Inde cognomen tulit Hugo origine Saxo Victorinus ita appellatus et Canonicis RR. additus an. 1115., eorumque postea Abbas, qui cum Augustinum plane teneret, Augustini Lingua, Augustinus alter vocabatur, dignus praeterea qui a sanctis Doctoribus Bernardo et Thoma aliisque permultis miros in modos extolleretur. Ejus opera qui anno 1140., florentis vero aetatis 44. mortalia exuit, edita sunt Parisiis an. 1526., tum Venetiis an. 1588. cura et studio Th. Garzonii Can. Reg. Lat., et absolutissime in posterum a Cann. RR. S. Victoris Parisiensis Rothomagi an. 1648. (607): versantur ea praesertim in Bi-

(607) Hugonis de S. Victore Opera non solum simul collecta edita diligentissime fuere CC. RR. Parisiensium, cura Rothomagi 1648. per Joannem Berthelin, ut cl. auctor innuit, sed divisim quoque inveniuntur, illud de substantia dilectionis in Append. ad T. VI. Oper. S. Augustini pag. 75. et ibidem pag. 247. alterum in Canticum *Magnificat*; praeterea Opusculi de studio legendi caput ultimum de ingenio in Analectis Mabillon. pag. 132. Parisiis 1723. et de modo dicendi, et meditandi cum Epistola Otberti de obitu Hugonis Victorini in Tom. V. Thesaur. Anecdot. Martene pag. 883. et 887.

bliorum explanatione, in Theologicis disquisitionibus ac perutili Christianae pietatis institutione. Quae de Sacramentis egit peculiari laude digna videntur, nam geographica nonnulla et historica eidem adscripta eruditi commemorant. Effloruit inter CC. RR. Victorinos opinione praeclarae virtutis, exquisitaeque sapientiae Guillelmus de Campellis (608), cognomento venerabilis, qui Parisiensis antea Ecclesiae Archidiaconus et dialecticae doctor, imo primus, ut vocabatur, *Scholasticae Theologiae ordinator* virorum per ea tempora illustrium praeconiis innumeris est cumulatus. Quae satis superque illius doctrinam nobis suadent, licet opera nonnulla ejus nomine diutius vulgata, eodem, critice admota, indubitanter adeo gloriari posse minime videantur. Sane *Dialogum Christiani et Judaei* Gilberto Westmonasteriensi omnino adjudicat Gabr. Gerberon inter Maurinos gallos eximie doctus, et *Compendium Moralium S. Gregorii* recentiores dant Garnero, qui et ipse Can. Reg. S. Victoris an. circit. 1178. sapientiae fama ornabatur. At ex hisce ut diximus, Guillelmi nomen obscurari nequit. Richardum a S. Vi-

(608) Guillelmi de Campellis dialogum inter Christianum, et Judaeum de fide catholica qui sub ejus nomine in Tom. XX. Bibliothec. PP. Lugdun. 1677. pag. 1885. legitur, Gilberto Westmonasteriensi tribuendum esse docet Gerberon, ut cl. auctor animadvertit, in edit. quam dedimus in praecedent. notis ad opera ejusdem Gilberti; alterum autem opus, compendium scilicet Moralium S. Gregorii Paris. edidit 1610. Joannes Pichardus; qui autem absque dubitatione nostro Guillelmo adjudicandus videtur Tractatus, est de Origine animae qui habetur apud Martene Tom. V. Thes. Anecdot. pag. 877.

ctore (609) Congregationis ejusdem sodalem, origine Scotum, doctissimi eorum temporum viri praedicarunt, Bernardus inprimis, cum quo amicitiam utriusque scriptis testatam junxerat. Qui cum praefecturam illius monasterii gereret scientiarum disciplinis virtutumque omnium exercitationibus operam impendit quae eum in communem admirationem traduxit. Nobilem inter Scholasticos Doctores locum promeruit, et ingenio subtilis, ab Augustini argutia non alienus dicitur a Sixto Senensi, et disputator acutissimus a Matt. Palmierio. Neque ea tam acris judicii vis in ejus scriptis ostenditur, quae pietatis ignes reprimat cum eosdem potius mire effundat. In commentariis Scripturarum crebris digressionibus sermoneque utitur inconcinno. Plura autem sunt quae de mysteriis Christianae fidei, aliisque theologicis doctrinis perspicue satis pertractavit; plura item quae ad vitae sanctimoniam excitandam, allegoriis saepe adhibitis, tradidit. Illius opera duobus voluminibus constare solent. Ipse anno 1173. e vivis cessisse videtur.

Ecclesiasticae historiae Magister duobus atque amplius saeculis praedicari consuevit Petrus Comestor (610) patria Trecensi Can. Reg. S. Augustini

(609) Richardi a S. Victore operum plures sunt editiones, Veneta nempe apud Joannem Baptistam Ciottum 1592. Coloniae Agrippinae 1621. et Rothomagi 1650.

(610) Petri Comestoris eruditissimam historiam scholasticam jam commemoravimus in notis ad Petrum Cantorem. Sermones ab

in Victorino monasterio, quippe qui historiam utriusque Testamenti ex sanctis praesertim libris, variisque librorumque ipsorum interpretationibus copiose confecerit: opus nec dumtaxat historicum, in quo philosophorum opinationes saepe obscuras, saepe imbecilles admiscet: quin et ipsa rerum gestarum monumenta prudentiori sane judicio ac discrimine indigent. Reliquit et sermones permultos, quorum nonnulli Petri Blesensis jampridem nomine donati, a Petro de Gussanvilla Petro nostro vindicantur. Hujus obitus saeculi XII. exitum prope attingit. Diu hic immorandum esset si alios, quos Victorinum monasterium scholasticis XII. praesertim saeculo disciplinis peperit, persequeremur: satis sit Hugonem Farsitum (611) meminisse et Robertum de Flamesburia qui libris quatuor *poenitentiale*, ut nuncupatur, *nobile et amplum* complexus est (612).

eodem digesti an typis demandati sint certo non constat; sermo vero de immaculata B. Virginis Mariae Conceptione Antuerpiae apud Guillelmum Vestermannum 1536. excussus dicitur; an aliqui autem sub nomine Petri Blesensis editi sint, videantur ejus opera in praecedenti nota (557).

(611) Hugonis Farsiti liber de Miraculis B. Mariae Svessionensis extat ad calcem Historiae Gallicae B. Mariae Svessionensis ordinis S. Benedicti pag. 481. et seq. Parisiis 1675. studio Michaelis Germani edit. per Coignard.

(612) Quoad Poenitentiale Roberti de Flamesburia vid. supplem. Bellarm.

§. LV.

Juris Sacri prudentia. Gratianus.

Quod Irnerus praestabat in civilis juris disciplinam, quae pluribus saeculis barbarorum tenebris delituerat, et splendorem suum ab eo refert acceptum, id in sacras Ecclesiae leges promovendum curavit Gratianus, patria Clusinus, ordine Benedictinus (613), qui medio prope hoc saeculo inclaruit. Dionysium exiguum imitatus, Isidorum, Cresconium, Burchardum, Ivonem Carnutensem, et alios, qui sacras Ecclesiae leges digesserant, multum operae ac laboris insumpsit canones quamplurimos colligendo a Pontificum oraculis, a Conciliorum decretis et SS. PP. sententiis, quam rerum collectionem *Decretum* sive *Concordiam discordantium canonum* appellavit, ubi plurima specie discrepantia simul conciliare studuit. Multa in hoc opere culpantur, quae non satis exculto per ea tempora prudentique judicio ignosci debeant, idque praesertim quod supposititia non pauca pro genuinis acceperit, et SS. Patribus tribuerit. Verum haec ingenti rerum copiae, quam versavit, incuriosaeque aetati melius dabis, cum id laudis assecutus

(613) Gratiani decretum, seu concordantiae discordantium Canonum et absque, et cum notis saepissime editae sunt; omnium tamen prima quae lucem aspexit, videtur editio Henrici Eggestein Argentinae 1471.

fuerit Gratianus, ut suo *Decreto* primam sacri juris institutionem, suadente vel jubente Eugenio III. Bononiae, ubi explanari caepit, ipse ediderit, exemplum scilicet quod Petrus Lombardus apud Parisiensem Academiam secutus est.



NIHIL OBSTAT

Fr. Jo. Ferrini Proc. Gen. O. M. C.
Censor Theol.

NIHIL OBSTAT

Jos. M. Graziosi Censor. Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

J. M. Vespignani Archiep. Tyan.
Vicesgerens.

INDEX

—

PERIODUS TERTIA

A CAROLO MAGNO AD CONCILIUM LATERANENSE IV.

PARS EXTERIOR



CAPUT PRIMUM

DE CHRISTIANÆ RELIGIONIS PROPAGATIONE.

—

CAPUT SECUNDUM

DE *SACRIS EXPEDITIONIBUS* ET DE *ORDINIBUS EQUESTRIBUS*.

—

CAPUT TERTIUM

DE *PERSECUTIONIBUS* IN *CHRISTIANOS* EXCITATIS.

PARS INTERIOR

—

CAPUT PRIMUM

DE REGIMINE ECCLESIÆ ET ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

CAPUT SECUNDUM

DE *ROMANIS PONTIFICIBUS.*

CAPUT TERTIUM

DE *CONCILIIS.*

CAPUT QUARTUM

DE DOCTRINA ECCLESIAE.

CAPUT QUINTUM

DE RITIBUS ET DISCIPLINA ECCLESIÆ ET DE MORIBUS CHRISTIANORUM.

—

CAPUT SEXTUM

DE *HAERESIBUS.*

—

CAPUT SEPTIMUM

DE *SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.*



